Gb 528

213.

Königl Rath Gymnas. Lehrer

Liebich zu Gross Glogau

160

0

Fac
Thi Arca
ATHANASII KIRCHERI
S.J.
ARCA NOE
AMSTELODAMI
Apud JOANNEM JANSSONIUM à WAESBERGE. Anno. 1675.



ATHANASII KIRCHERI
è SOC. JESU

ARCA NOË,

IN

TRES LIBROS DIGESTA,

QUORUM

I. *De rebus quæ ante* Diluvium,

II. *De iis, quæ ipso* Diluvio *ejusque duratione,*

III. *De iis, quæ post* Diluvium *à* Noëmo *gesta sunt,*

Quæ omnia novâ Methodo,

NEC NON

Summa Argumentorum varietate, explicantur, & demonstrantur.

Collegij Soctis Jesu Glogoviæ 1690 acquisitus dono Excellsi Dni Comitis à Nostitz Capitanei Glogoviensis

BIBLIOTHECA REG. CATH. GYMNAS. GLOGOVIENSIS

AMSTELODAMI,

Apud JOANNEM JANSSONIUM à WAESBERGE.

ANNO CIↃ IↃC LXXV. *Cum Privilegiis.*

JOANNES PAULUS OLIVA,
PRÆPOSITUS GENERALIS
SOCIETATIS JESU.

CUm *Opus, quod inſcribitur* Arca Noë *à* P. Athanasio Kirchero *noſtræ Societatis Sacerdote compoſitum, aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, poteſtatem facimus, ut typis mandetur, ſi iis, ad quos pertinet, videbitur. Datum Romæ* 20. *Novembris* 1669.

JOANNES PAULUS OLIVA.

Imprimatur,

Fr. Hyacinthus, Libell. Sacr. Palat. Apoſtol. Magiſt.

BIBLIOTEKA UNIWERSYTECKA K.U.L.

REGI CATHOLICO
CAROLO II.
AUSTRIACO,
MONARCHÆ HISPANIARUM
MAXIMO;

ATHANASIUS KIRCHERUS *è* SOC. JESU
FELICITATEM.

Arcam Sisto TIBI, *Rex Maxime*, *Arcam*, dico, non *Pandoræ* fanaticis Deorum muneribus locupletatam, non *Mausoli* Regis opibus cimeliisque confertam, non *Cræsi* inexhaustis opulentam thesauris, cæteraſque haud absimiles, quas suis affinxit Regibus fabulosa antiquitas; sed *Arcam*, quâ quicquam Mundus non vidit grandius; Divinius nihil, nihil Mortalium admiratione dignius; cujus Architectus fuit DEUS *Opt. Max. Noë* faber, *Moses* Interpres, quam deindè omnium Seculorum Scriptores quà Sacri, quà profani, fæcundo calamorum profluvio immensis laudibus toti divulgarunt posteri-

DEDICATIO.

Queis probè expenſis ſanctè jam affirmare auſim, nihil in antecedentium temporum Hiſtoriis quidpiam aut Monarchiâ TUA potentius, aut amplitudine diffuſius, aut opum immenſitate grandius, verbo, Divinæ Dominationi (ſi ita loqui fas ſit) propius obſervatum fuiſſe. Hanc TIBI granditatem incomparabilem Majores TUI fortium geſtorum Heroës *Fernandi*, *Caroli*, *Philippi*, & Cæſares & Reges ſtupente Mundo pepererunt. Quid enim ab Orbe condito, Mundo inſolentius inclaruiſſe dici poteſt, quàm novos, & ne famâ quidem notos detexiſſe Mundos, nova novis adjeciſſe Regnis, Orientem Occidentemque, Auſtrum & Aquilonem TUÆ ſe feciſſe poteſtatis; & quod omnibus excellentius eſt, incredibili Divinæ gloriæ ſtudio, acquiſitorum potentiam Regnorum DEO *Opt. Maxim.* ſubditam in Ovilis augmentum, & amplitudinem *Chriſto* ſubjugaſſe, tanto per Orbem Terrarum, animarum & fructu, & lucro, quantum non dicam ſperare, ſed ne animo quidem concipere, aut credere quisquam ſibi perſuadere potuiſſet. Quorum quidem omnium TU, REX MAXIME, ex alto Heroûm ſanguine prognatus,

&

& Princeps es, & Hæres minimè degener; cùm Talia de TE efflorescentium in tantilla ætate virtutum specimina jam dudum dederis, ut extra communem hominum sortem, spiritus Heroïcos vel ex ipso Magnæ & Augustæ Matris TUÆ lacte suxisse videaris, Matris, inquam, ANNÆ Serenissimæ Reginæ, Parentis TUÆ, quæ pari felicitate ex præcelsa *Austriacorum* Cęsarum prosapia exorta, etiamnum Orba & Regni, & thori conjuge, magnis tamen, & grandibus rebus intenta, in tanta exulceratione temporum, hostiumque machinis, cogitationi fœmineæ masculum indens animum, quanto se Sola ingenii robore, quanto consilio, prudentiâ, ac Religionis ardore, in administranda Monarchia se gesserit, Orbis novit, & obstupuit. Haud imparem rerum gerendarum telam TU ordiri videris REX MAXIME, dum de vivida indolis TUÆ lætitia, de matura in tenello corpusculo prudentia, de præcoci animi fortitudine rerumque rectè agendarum dexteritate, de TE quidpiam humana sorte altius Mundus sibi polliceatur, atque adeò thema paulatim dictare incipias, quod acerrima Historicorum ingenia quandóque sit defatigaturum. Quæ quidem uti summa admi-

ratio-

ratione celebrare non ſemel audivi, ita quoque, neſcio, quo felici omine iſthoc Monumentum, veluti Gloriæ TUÆ prodromum, glorioſi Nominis TUI immortalitati confecrandum cenſui cedro perennius:

Quod non imber edax, neque Aquilo impotens
Poſſit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries, & fuga temporum.

Vale REX MAXIME Auguſtæ Domus & Orbis delicium, vive in Spem magnam DEO, Regnis, Religioni Catholicæ, TIBI. E Collegio Romano Societatis JESU, 24. Junii 1673.

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

CUm, Benevole Lector, à quinque Lustrorum transacto curriculo, nullo non tempore vehemens ad ea argumenta, quæ in Sacrarum Literarum monumentis, Physicam potissimùm & Matheſin ſapiunt, dilucidanda, animo meo inſederit deſiderium; inter cætera verò conſideratione digniſsima, nullum mihi præſtantius, illuſtrius, celebrius, quodque curioſiora ingenia majori ſtupore & admiratione agitet, quàm vas illud admirabile, opus verè Excelſi, Arcam, dico, à Noëmo Divino quodam ductu magiſterioque, perdito jam mundo in cunctorum viventium conſervationem ſalutemque exſtructam; & uti fervor ingens modum neſcit, ita is quoque eò me impulit, ut ſine ulteriori prolongatione inviſam Operis fabricam olim Geometricis, Staticis, atque Architectonicis rationibus ſtabilitam in publico phrontiſterii Mathematici Synedrio demonſtrandam ſuſceperim; Auditores, ut id veluti exoptatiſſimum argumentum quantocyus prælo ſubditum publici juris ad multorum uſum profectumque fieret, à me obnixis precibus contendere, non deſtitêre. Verum enim verò cum concepti operis thema grandius, fœcundius, rerumque in eo tradendarum ubertate, & opulentiâ fœcundius videretur, quam ut id exiguo paucorum foliorum libello comprehenſum, inſtituti dignitatem, atque æſtimationem non dicam congruè exponeret, quin potius rerum in eo explicandarum copiam, & varietatem inconcinna ſua brevitate, vel quàm maximè obſcuraret; undè illud opportuniori tempori reſervatum, ſi DEUS vitam viresque largiretur, ampliori, quoad liceret, eruditionum cumulo auctum nos edituros quod tunc temporis ſpoponderamus, id modò, qualecunque tandem judicio doctorum ſit, in Reipublicæ Literariæ bonum emolumentumque, tum Sacrarum Literarum Interpretibus, tum aliarum quarumcunque artium & ſcientiarum eximiis Magiſtris, cultoribuſque exhibemus. Eſt autem ſuſcepti operis argumentum adeò grande, fœcundum, atque ob abſtruſiſſimos in eo Divinæ providentiæ receſſus adeò admirandum, ut nullum exiſtimem dari poſſe, tantæ ſublimitatis ingenium, nullam tam ſtudioſe affectatam Orationem, quæ hujuſmodi præſtantiam, myſteriorumque ſub eo latentium profunditatem, non dicam ſufficientibus verborum ampullis, ſed ne profundiori quidem internæ mentis con-

contemplatione comprehendere valeat; ut proindè à Mundi conditu nil huic fabricæ quid ſimile, nec viſum ſit, nec uſque ad ejuſdem conſummationem viſum iri, tutò aſſeverare audeamus; in qua nimirum exſtruenda ſtupente Mundo, vel ipſos centenos annos omnis Divinæ humanæque Sapientiæ induſtriæque labor deſudaverit; ſi finem tantæ machinæ conſideres, in illa ἀῤῥήτου καὶ ἀνεκφώνητον Divinæ juſtitiæ & miſericordiæ ſacramentum contineri reperies, ut videlicet Deus Opt. Max. *veteri Mundo ob conclamatam ſcelerum peccatorumque enormitatem perdito, Mundum novum, novamque Terram per* Noëmum *virum juſtum & perfectum atque ob conſtantem ejuſdem in* Deum *fiduciam, charitatem, obedientiam, ſummumque meritorum cumulum, intra* Arcam *totius inſtaurandæ naturæ viventis ſeminarium, pro ineffabili ſuâ providentiâ, conderet. Sed hæc in hujus Operis decurſu luculentius patebunt; cujus ἰχνογεγραφίαν paucis accipe.*

Dividitur Opus in tres Libros: quorum primus *rerum à* Noëmo *ante* Diluvium *ſexcentorum annorum decurſu geſtarum hiſtoriam continet; Vitam nimirum* Noëmi, *continuumque virtutis & perfectionis ſtudium; Fabricæ* Arcæ *à* Deo *ſibi præſcriptæ in nidos & manſiunculas diviſionem, præterea animantium intra eam introducendarum modum & rationem, una cum rerum, tum hominibus, tum ſingulis animalibus ad vitam annuo ſpatio conſervandam neceſſariarum comeatu deſcribit.*

Liber Secundus *formidabilem Cataclyſmi cataſtrophen exhibet, quo ruptis fontibus Abyſſi magnæ; & Cataractis Cœli apertis, totus Terrarum Orbis obrutus, dum nulli hominum, animaliumque effugii locus datur, ad unum omnes miſerabili morte, præter octo animas, vitæ naufragium fecerunt; deſcribit præterea ea quæ intra* Arcæ *clauſtrum à* Noëmo, *& à filiis filiorumque Uxoribus geſta ſunt circa officiorum diſtributionem; ac circa ſummam ſingulis ſpeciebus animalium congruis alimentis conſervandis curam, modumque à Sapientiſſimo* Arcæ *Navarchæ, exactiſſimis legibus præſcriptum exponit.*

Liber tertius, Noëmi, *ceſſante jam* Diluvio, *extra* Arcam *egreſſum, animaliumque ad novæ lucis radium, & novæ auræ refrigerium, incredibile tripudium, hilaritatem, & ad fœcundæ propagationis motus concitationem, & promptitudinem declarat; Sequitur* Noëmi *in beneficiorum acceptorum recognitionem, oblatum* Deo *gratiſſimum ſacrificium; reperiet hîc Lector novam Mundi faciem, oppidò à prioris Mundi conſtitutione diſformem, ſtupebit vel intra trecentos*

annos

annos immenſam humani generis propagationem à tribus Noë *filiis* Sem, Cham, & Japhet, *per univerſas Mundi regiones,* Noë *adhuc vivente peractam; cum innumeris aliis, quæ ibidem deſcripta cernentur; in quarum quidem hic recenſitarum rerum expoſitione hoc unicum intendimus, ne ad unguem quidem à genuino* Geneſeos *ſenſu recederemus, & proindè ad literalis ſenſus veritatem penetrandam, concordandasque opinionum varietates, poſt Latinam quintuplici linguarum,* Græcæ, Hebrææ, Chaldææ, Syriacæ, *atque* Arabicæ *verſione, veritatem rimamur, & Authorum quidem in ſententiis diſſidentium nomina conſultò reticuimus, nè videlicet ulli ex tot præſtantiſſimis Doctoribus, peritiſſimisque Sacrarum Literarum Expoſitoribus, cultoribuſque refellendi præjudicio forem. Quod deindè multa nonnunquam circa Sacri Textûs explicationes ſolis conjecturis fulta protulerim, id mihi condonari velim, cum id fecerim, quod Sacris quoque Interpretibus, Sanctiſque Patribus in omnibus ſolitum uſitatumque fuiſſe deprehendi. Quod deinde in Iconismis operi inſertis, nonnullâ libertate uſus fuerim, ea prudentem Lectorem, tanquam certa & indubia, minimè cenſere velim; ſed quod juxta rectæ rationis dictamen, ita fieri debuiſſe arbitrati ſimus. Quæ cum ita ſint, nil jam amplius reſtat, niſi ut ſuſcepti operis inſtitutum Divini Luminis adſpirante gratia, eâ quam ingenii mei inbecillitas permiſerit* ὑμεϐοτέρως *proſequamur; in quo ſi quidpiam tortum, hiulcum, ac expoſitioni meæ incongruum occurrerit, id non Patri luminum, ſed meæ inſufficientiæ, & incapacitati acceptum ferat. Vale Lector, & auſibus meis annue.*

SYNOPSIS OPERIS
IN
LIBRIS, SECTIONIBUS, & CAPITIBUS.

LIBER PRIMUS
EST
ISAGOGICUS,
Continens ea quæ centum ante Diluvium *annis commemoratione digna acciderunt.*

PRÆFATIO. *Pag.* 1

SECTIO I.

De Statu rerum ante Diluvium.

CAPUT I. DE ſumma humani generis Perverſitate ante *Diluvium*. *Pag.* 3
II. Utrum nonnulli Libri extiterint, quibus peſſimus mortalium ante *Diluvium* ſtatus deſcriptus fuerit. *p.* 4
III. De Gigantibus ante *Diluvium*. *p.* 8
IV. De vita *Noë* ejuſque virtutibus geſtiſque. *p.* 12
V. De ejuſdem Rectitudine apud DEUM & homines. *p.* 14

SECTIO II.

De Fabrica Arcæ Noë.

CAPUT I. De mira DEI Providentia in fabrica *Arcæ*. *Pag.* 16
II. De Materia *Arcæ* à *Noë* exſtructæ. *p.* 18
III. De Bitumine, ejuſque ſpeciebus, quibus *Arca* intus foriſque illita fuit. *p.* 20
IV. De Regione *Edenia* in qua *Noë* *Arcam* exſtruxiſſe putatur. *p.* 22
V. De Scientia *Noë* in fabrica conficienda à DEO ipſi infuſa. *p.* 23
VI. De Apparatu rerum ad *Arcam* conſtruendam neceſſariarum. *p.* 25
VII. *Noë Arcæ* fabricam incipit prævia exhortatione ad impiam gentem &c. *p.* 27
VIII. De Cubito, Pede, Palmo, menſuris *Arcæ*. *p.* 28
IX. De Proportione *Arcæ* ad ſymmetriam corporis humani, & de ejus capacitate. *p.* 33
X. Quomodo *Noë* primò fundamenta *Arcæ* jecerit. *p.* 35
XI. De Forma *Arcæ Noë* Interpretum ſententiæ. *p.* 41

SECTIO III.

De Habitaculorum, Nidorum, ſeu Stabulorum in Arca *diſtributione*.

CAP. I. De *Noë* infuſa Scientia circa ea quæ in *Arcæ* conſtructione neceſſaria videbantur. *Pag.* 45
II. De diſtributione Stabulorum ſeu Manſionum in Prima *Arcæ* contignatione pro Quadrupedibus & Reptilibus. *p.* 46
III De omnibus & ſingulis Speciebus Animalium Quadrupedum, quæ in *Arcam* introduci debebant. 48
IV. Ἐξήγησις. De Reptilium Inſectorumque Varietate, Natura & Proprietate, & quænam ex iis in *Arcam* intrarint. *p.* 51
V. De Quadrupedibus in *Arcam* introductis. *p.* 56
Claſſis Quadrupedum. *p.* 57
VI. De Animalium Volatilium in *Arcam* introductorum ratione, Natura & Proprietate. *p.* 74
Claſſis Avium. *p.* 76
Conſectarium Apodicticum. 94

VII. *Noë*

CAP. VII. *Noë* infusâ Animalium scientia dotatus à DEO, juxta præcepta Domini tandem *Arcæ* stabula nidosque unicuiq; sive Quadrupedibus, sive Volucribus, convenientia exstruere orditur. *p.* 98

Nomenclatura { Quadrupedum. *p.* 101 / Volucrum. *p.* 102

VIII. Explicatio Ichnographica primæ Contignationis *Arcæ*, in qua Quadrupedum stabula & mansiones ordine sunt positæ. *p.* 103

Pinax Stabulorum. *p.* 105

IX. De Commeatu omnibus & singulis Animantibus in *Arcam* introductis sufficienti & necessario, & de Penariis, Reconditoriisque eâ de causa in *Arca* exstructis. *p.* 106

X. De Commeatu pro omnibus & singulis Animalibus in *Arcam* introductis in particulari. *p.* 108

Tabula Penariorum. *p.* 109

XI. Explicatio secundæ Contignationis *Arcæ* in qua Ciborum necessariorum apparatus continetur. *p.* 110

XII. De Tertia & suprema Contignatione *Arcæ*, quæ octo homines unà cum Volucrum speciebus inhabitabant, & Ὀρνιθοτροφεῖον dicitur. *p.* 112

Tabula Ornithotrophii. *p.* 116

LIBER SECUNDUS.

CATACLYSMUS sive DILUVIUM UNIVERSALE.

PRÆFATIO, *totius Libri summam continens.* Pag. 117

PARS I,

De Ingressu Animalium in Arcam *è superveniente* Diluvio.

CAP. I. QUid *Noë* cum sua familia ante Ingressum in *Arcam* egerit. Pag. 119

II. De Animalium ex toto Orbe paucis ante diebus congregatorum modo & ratione. *p.* 121

III De Cataclysmi seu *Diluvii* omnibus seculis memorandi formidanda Catastrophe. *p.* 124

IV. Quid sibi velint Sacri Textus, *Fontes Abyssi magnæ & Cataractæ Cœli.* *p.* 127

V. De Aquis *Diluvii* quindecim cubitis supra omnes Montes sese extollentibus. *p.* 131

VI. Utrum apud Veteres Scriptores Gentiles aliqua, hujus *Diluvii* & *Arcæ Noëticæ* notitia habeatur. *p.* 136

VII. Hydrostaticum: de Pondere *Arcæ*, & quantum illa intra Aquas, tam hominum quàm animalium, nec non commeatus onere aggravata subsederit. *p.* 143

VIII. De Ministerio & Administratione Animalium qua *Noë* cum filiis suis & uxoribus eorundem distinebatur in *Arca.* *p.* 146

IX. De Mystico-allegorico-tropologica *Arcæ* Expositione. *p.* 149

X. De Diminutione Aquarum *Diluvii*, & de Tempore quo decreverit. *p.* 154

XI. Quid intelligatur per *Spiritum* quem *adduxit Dominus super terram ad exsiccandas aquas*, & Quomodo intelligenda sit *Clausura fontium Abyssi & Cataractarum Cœli, Pluviarumque prohibitio.* *p.* 156

Appendix Erotematica quoad difficultates Textus Sacri. *p.* 158

LI-

SYNOPSIS OPERIS in LIBRIS, &c.

LIBER TERTIUS,

DE

EGRESSU NOË EXTRA ARCAM.

PRÆFATIO. *Pag.* 163

PARS I.

De iis quæ in Arcæ *Egreſſu contigerunt.*

CAP. I. DE *Noë* mora extra *Arcam* antequam egrederetur. *p.* 165

II. De Altari & Sacrificio quod *Noë* fecit DEO, deq; Divina ejuſdem Sacrificii approbatione. *p.* 167

III. Utrum Carnium eſus ante *Diluvium* in uſu fuerit, an poſt *Diluvium* primò cœperit. *p.* 170

IV. Cur eſum Carnium poſt *Diluvium* expreſsè, non item ſuffocatorum aut ſanguinis eorum DEUS conceſſerit. *p.* 173

V. Utrum ante *Diluvium* fuerit Pluvia, & Iris & Quid ſit *Signum* illud quod DEUS aſſumpſit poſt *Diluvium* placationi ſuæ erga genus humanum. *p.* 176

PARS II.

De Geſtis Noë *poſt* Diluvium.

CAP. I. An *Noë* aliquanto tempore in montanis *Ararat* regionibus commoratus ſit. *p.* 179

II. De Plantatione Vineæ à *Noë* facta, & Utrum ante *Diluvium* uſus plantationis Vitium & Vini fuerit. *p.* 180

III. De multiplicatione Animalium poſt *Diluvium*, & an *Noë* poſt *Diluvium* filios genuerit. *p.* 183

IV. De Monte *Ararat*, & Utrum ex poſteris *Noë* nonnulli ad *Arcam* ſpectandam Montem adſcenderint. *p.* 184

PARS III.

De Tranſmigratione Gentium, qua per tres filios Noë, *genus humanum per univerſam Terram diſſeminatum fuit.* p. 187

CAP. I. De facie Terreni Globi poſt *Diluvium* comparata cum illa ante *Diluvium*. *p.* 187

Corollarium. *p.* 191

II. De Statu Geocoſmi poſt *Diluvium*. *p.* 192

III. Quomodo Animalia per univerſas Globi terreni regiones in Inſulas devenerint. *p.* 195

IV. Utrum Paradiſus Terreſtris *Diluvio* deſtructus ſit, & Ubinam locorum fuerit. *p.* 197

V. Utrum ante *Diluvium* de variis Artibus & Scientiis ſcripti fuerint Libri, & Utrum illi ad poſterum Mundum fuerint propagati. *p.* 204

VI. De Libris & Scriptoribus primis poſt *Diluvium*. *p.* 208

VII. De *Mercurio Triſmegiſto*, ejuſque Libris. *p.* 216

VIII. De numeroſa Progenie filiorum *Noë*, *Sem*, *Cham*, *Japhet*. *p.* 223

IX. De Tranſmigratione gentium per progeniem *Japhet* filii *Noë*. *p.* 223

ATHA-

ATHANASII KIRCHERI

ARCÆ NOËMICÆ,

LIBER PRIMUS

ISAGOGICUS.

Continet ea quæ centum ante *Diluvium* annis commemoratione digna acciderunt.

PRÆFATIO.

HUmanum ingenium, uti naturæ pronitate, veluti pondere quodam fertur ad acquirendam intimam cognitionem earum rerum, quæ vel in Naturæ majestate reconditæ refulgent, vel quidpiam insolitum, sublime, peregrinum & arduum, in insanæ molis fabricis à veteribus humanæ artis industriâ quasi superiori extructis exhibetur, ita quoque inter cætera nullo non tempore satis admirari non potuerunt hanc, quam modò ordimur Noëmicæ Arcæ *fabricam; cujus comparatione meritò* Barbara pyramidum *fileat miracula* Memphis, *fileant* Babylonici Semiramidis Muri, *fileant, quæcunque Veteres de* Colosso Solis, *de* Jovis Olympii Statua, *de* Dianæ Ephesinę Templo, *de cæteris Mundi Miraculis ultra fidem humanam protulerunt; Si enim Lectores animum paulò profundius in hujus admirandi operis fabricam intenderunt, luculenter contuebuntur, huic nihil unquam in humanis rebus par fuisse, nil humana consideratione dignius, utpote omnium, non dicam, humanorum, sed & operum Divinorum in restauratione Mundi post* Christi *in carne adventum maximum; neque id cuiquam mirum videri debet; fuit enim hæc* Arca *ipso* DEO *Architecto secundum omnes & singulas symmetriæ leges servo suo* Noëmo *dictata, leges præscriptæ, modus & ratio in fabricæ prosecutione,* DEO *docente inspirata. Non ignoro, trium potissimum in* Sacrarum literarum contextu, *celeberrimarum fabricarum mentionem fieri, quarum excellentia & prodigiosa constructio hucusque omnium Interpretum ingenia mirum in modum torsit; Horum primum fuit* Mosis Tabernaculum, *secundum* Templum Salomonis, *tertium* Arca Noë; *sed hæc meritò tantò cæteris admiratione dignior est, quantò argumentum grandius continet, tum ob longitudinem temporis*

Sublimitas Argumenti.

Celeberrimæ in *Sacris literis* fabricæ.
1. *Tabernaculum Mosis.*
2. *Templum Salomonis.*
3. *Arca Noë.*

centum annorum, quêis in ea extruenda insudatum fuit, tum ob magnitudinem & capacitatem, quâ nihil adhuc simile post orbem conditum in aquis visum est; si finem & usum ejus spectemus, in eo sanè contemplando meritò humana mens caligat, ratio ob Divini consilii altitudinem confunditur, intellectus in operis vastitate, & singularum partium distributione concipienda quodammodò absorbetur, præter intentionem DEI *abditam, quæ exuperat omnem sensum. Fuit enim reale & veridicum totius viventis Mundi compendium, universi Orbis in* Diluvio *effugium, hominum animaliumque novum post deperditum Mundum seminarium, quo hominum animaliumque genus in posterum Mundum conservaretur repararetur que, nova renascentis Mundi origo. Non dicam hîc modò de iis, quæ circa animalium in* Arcam *introductionem acciderunt. Silebo de receptaculis, loculis, nidisque, singulis animalibus conditionique eorum propriis, quæ uti omnem exuperant admirationem, ita quoque de iis, quantum quidem nostri imbecillitas intellectûs permiserit, in sequentibus acturi sumus. Harum itaque stupendarum rerum circa eam, atque intra eam gestarum admiratione perculsus jam à multo tempore, & ad multorum impulsum, nil dignius me præstare posse existimavi, quàm si in hoc Sacro Divinæ fabricæ argumento quàm penitissimè explicando, omnes ingenii mei vires expanderem; non tam ob proprii ingenii mei (quod ob sublimitatem rei prorsus insufficiens esse sincerè fateor), curiositatem; quàm potissimum, ut ex eo Lector disceret, ineffabilem prorsus, & incomprehensibilem* DEI Optimi Maximi *erga genus humanum bonitatem & misericordiam, quâ tam admirabili modo, per servum suum* Noëmum, *de Mundo peccatis jam perdito, instaurando, tam paternè providere & disponere sibi complacuit; quæ uti omnem rationem transcendunt, ita quoque omnibus, vitiorum peccatorumque consuetudine oppressis, summo ad unionem cum* DEO *per veram pœnitentis animi compunctionem, bonorumque operum prosecutionem recuperandam, incitamento esse possunt; Hæretici verò & Athei, qui nil eorum, quæ non capiunt, credere volunt, discant, non stulto ac temerario ausu* Sacrarum Literarum *veritati præsumptuosius contradicere, neque* Genesin *veluti nugas Mosaicas, captuque impossibiles amplius explodere præsumant; meum erit,* Arcam *hanc Architecto* DEO *à* Noëmo *constructam, hoc præsenti libro omnium animalium conservationi non solùm, quod Athei negant, sufficientem fuisse, sed etiam compluribus si forent, capiendis, sat amplam fuisse, demonstrare. Ad rem igitur;* DEUS *adsit ausibus nostris.*

Arca Divinum opus.

Authoris intentio.

Atheorum confusio.

SECTIO

SECTIO I.

De Statu rerum ante *Diluvium*.

CAPUT I.

De ſumma humani generis Perverſitate ante Diluvium.

QUemadmodum primordialis Mundi Status ad *Diluvium* uſque, 1656 annorum ſpatio quoad naturalium rerum conſtitutionem feliciſſimus, omniumque rerum ad victum neceſſariarum copiâ uberrimus fuit, ita quoque homines novi recentiſque Mundi florentiſſimam ſortem participantes, corpore exiſtebant robuſto, ingenio vegeto, & vivaci, atque in complurium centenorum annorum curricula vitam propagantes, tantæ quoque fæcunditatis, ut plerique *Sancti Patres* autumârint, Mulieres non unum, uti poſteris temporibus paſſim fieri cernimus, ſed complures uno partu fœtus effudiſſe; unde juxta Divinæ vocis oraculum, *Creſcite & multiplicamini*, univerſa Terra hominibus referta, uti multitudinis vix capax, ita prodigioſorum quoque eventuum occaſionem dedit; Non aliâ, hoc uberrimo rerum ſtatu, niſi lege Naturæ vivebant omnes. Verùm quemadmodum primum *Adæ* peccatum, omnium miſeriarum calamitatumque prima origo fuit, ita brevi quoque omnis caro adeò vitiata & corrupta, ut nullus, qui Legis Naturæ vim cognoſceret, exiſteret; ſiquidem unuſquiſque, quo eum naturæ impetus rapiebat, pro arbitrio vivebat; undè cum ciborum nutrimenta recentis Mundi vigore ſaluberrima, ſaluberrimam quoque hominum temperiêm, robuſtam, longævam, atque omnium bonorum, quæ corpori accidere poſſent, copiâ præditam conſtituerent; Hinc accidit, ut paulatim bonorum memoratorum affluentia luxuriantes, ſpretâ lege Naturæ, in ultimum omnium vitiorum ſcelerumque barathrum, laxatis ad omnem voluptatem & libidinem habenis, ex qua ſe revocare nollent, infeliciter prolapſi, non ex ignorantia, nec ex perturbatione, vel animi quadam imbecillitate peccarint, ſed ex malitia, id eſt, ex pravo habitu & conſuetudine, ſcientes volentes ſine ullo pudore, nullo DEI hominumque reſpectu, cum deliberato gaudio è voluptate in quælibet ſcelera brutorum more ruerint. Nam uti rectè Sacer Textus docet: *Videns autem* DEUS, *quod multa malitia hominum eſſet in Terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum, pœnituit eum, quod feciſſet hominem in Terra, & præcavens in futurum, & tactus dolore cordis intrinſecùs: Delebo, inquit, hominem quem creavi à facie Terræ, ab homine uſque ad animantia, à reptili uſque ad volucres cœli, pœnitet enim me feciſſe eos*; undè patet, multam fuiſſe malitiam, non intra unam alteramve Regionem incluſam, ſed longè latèque patentem; quæ non erat ſimplex, & unius generis, ſed varia & multiplex, quæ omnia flagitiorum genera complecteretur; vel denique quia non erat mediocris, ſed ſumma, & ad ultimum ſcelerum faſtigium perducta, atque prorſùs intoleranda, & uti Scriptura loquitur, *malitia completa & conſummata*: Nam ut rectè Hebraica Lectio pro his verbis; *Cogitatio cuncta intenta eſſet ad malum*, ponit: כל יצר מחשבות. *Omne figmentum cogitationum in malum ſolum eſſet*, id eſt, cuncti idolis venereis intenti, quicquid

Fæcunditas primævi temporis.

Lege naturæ ſpreta vivebant omnes arbitrio.

Ubertas rerum luxuriæ cauſa.

Geneſ. 6.

Summa hominum malitia.

concupiſcentia carnis ipſis dictabat, nihil intentatum relinquebant ; Undè non immeritò DEUM pœnituiſſe dicitur : Apud *Symmachi* verſionem habetur, ἀπέστρεψεν, id eſt, *averſatus eſt*; *Aquila* habet; μετεμελήθη, & *Septuaginta*, ἐνεθυμήθη, id eſt, *recogitavit*; Quæ omnia per ἀνθρωποπάθειαν quandam de DEO dicuntur ; Non quòd pœnitentia cadat in DEUM, abſit, ſed juxta humanam conſuetudinem loquitur ſic DEUS: Non enim cogitat DEUS, uti homines, teſte Divo *Ambroſio*, neque iraſcitur, neque dolore afficitur, quaſi mutationi obnoxius ; ſed hæc leguntur, ut exprimatur peccatorum noſtrorum acerbitas, quæ Divinam meruerit offenſam, tanquam eò uſque excreverit culpa, ut etiam DEUS, qui ex immutabilitate naturæ ſuæ non movetur aut irâ, aut odio, aut perturbatione ullâ ad iracundiam provocatus videatur. Sed hæc fuſiùs in *ſequenti Capitulo*.

DEUM non pœnituit more humano.

CAPUT II.

De Statu rerum ante *Diluvium*.

Utrum nonnulli Libri extiterint, quibus peſſimus Mortalium ante Diluvium *Status deſcriptus fuerit.*

Status Teræ ante *Diluvium*.

CErtum eſt, Statum Naturæ ante *Diluvium*, à poſtero poſt *Diluvium* Mundo Terreſtri diverſiſſimum fuiſſe, exceptis tamen montium altiorum catenis, quos remanſiſſe nemo dubitare jure debet ; cum eæ ad compaginandum molem terræ à primordio, à Sapientiſſimo Conditore rerum conſtitutæ ſint, uti in *Mundo* noſtro *Subterraneo* fusè demonſtravimus ; De cæteris tamen Clivis & Vallibus planitiebuſque non eadem eſt ratio, cum veriſimile ſit, *Diluvium* univerſam Terræ faciem prorſus immutaſſe, ita ut in multis locis, ubi Maria ſtabulabantur, in Terreſtres partes abierint, contrà ubi Terra quondam exiſtebat, poſteris temporibus, Mare ſtationem ſuam poſuiſſe, non vanâ conjecturâ nobis conſtet, quod idem fluminibus, lacubus, & clivis montium accidiſſe dicendum eſt ; multa ſiquidem flumina & lacus limo oppletos, alibi exitum ſortiri neceſſe fuit ; Montes verò minoris ordinis ex limoſa terreſtrium portionum miſcellâ validis *Diluvii* procellis in cumulos aggeſti, ubi priùs non erant, poſteà extitiſſe comperti ſunt, quemadmodum in hunc uſque diem nonnulli montes ex differentibus conchyliorum generibus coagmentati, luculentur oſtendunt, niſi velimus ea à Natura producta, de quo vide nos fuſiùs diſputantes in *Mundo Subterraneo*. Qui verò præſumptuoſiùs aſſerunt, Tellurem ante *Diluvium* planam fuiſſe, ſine montibus, illi utique audiendi non ſunt, cum vel ex ipſo *Sacro Textu* facilè redarguantur, cum expreſsè dicat, aquas *Diluvii* quindecim cubitis altius aſſurrexiſſe ſuper omnes montes, qui ſunt in univerſa Terra, & deindè *Arcam* requieviſſe ſupra montes *Ararat* ; eſt itaque hæc opinio frivola, abſurda, temeraria, & in fide vacillans, quam & in *citato* paulò antè *Opere* noſtro quàm fuſiſſimè confutavimus. Urbes autem & oppida tanquam vitæ humanæ neceſſaria ante *Diluvium* ob ingentem hominum in infinitum ſe multiplicantium multitudinem extructa fuiſſe, & primam urbem fuiſſe *Enoch* nomine à *Chain* extructam, *Sacra Scriptura* dicit, cæterarum verò nomina unà cum *Diluvio* uti ex hominum memoria deleta ſunt, ita quoque non attinet ampliùs inquirere; Artes tamen & ſcientias huma-

Terreſtris faciei poſt *Diluvium* mutatio.

Terra ante *Diluvium* plana non fuit.

Urbes ante *Diluvium*.

Scientiæ & artes floruere.

humano generi neceſſarias maximè floruiſſe, quempiam ambigere nolim, cùm ab *Adamo* infuſa â *Deo* ipſi omni rerum naturalium cognitione & ſcientia, abundè fuerint inſtructi, circa naturam elementorum, metallorum è Terra eruendorum, fundendorum, & in uſum publicum præparandorum modum & rationem; Architectonicam quoque, Muſicam & Mathematicam docuiſſe, ſat ſuperque ex *capite quarto Geneſis* pateat. Sed hæc paulò amplius proſequamur.

Adamus omnium artium & ſcientiarum Author.

Suidas primò *Adamum* Authorem literarum facit; idem facit univerſa *Hebræorum* Schola, cui non diſſentiunt *Syrorum* & *Arabum* monumenta, quemadmodum fuſiùs in *Obeliſco Pamphilio* teſtimoniis, authoritatibuſque ampliſſimis comprobavimus. Quæ quidem ſucceſſiva traditione ab *Adamo* ad *Sethum* filium, cæteroſque *Adæ* filios uſque ad *Enoch* tranſlatæ, magnum incrementum ſumpſerunt; de qua re vide citatum *primum Obeliſci Pamphilii librum*, exactè & copioſè tractantem: *Henoch* verò ſcripſiſſe Libros certum eſt, cum *S. Judas in Epiſtola* ſua *Canonica*, & Divus quoque *Auguſtinus lib.* 15. *de Civit.* id palam fateantur; ex quibus *Origenes* & *Tertullianus* integras ſanè paginas citant. Quid verò hi libri continuerint, dubium eſt. *Citati Authores*, eos continuiſſe ajunt multa vaticinia, videlicet, de his, quæ eventura erant filiis ac nepotibus Patriarcharum, de futuris *Hebræorum* ſceleribus, & pœnis, de Mundi Salvatore ab eis occidendo, de eorundem everſione, captivitate, & diſperſione inter gentes perpetua. *Annius in Commentariis ſuper Beroſum Apocryphum* ſcribit, in eodem *Henoch* volumine fuiſſe celebre Vaticinium de geminis totius terræ cladibus, altera per inundationem, altera per incendium futuris. *Origenes* apud *Sixtum Senenſem in* 28. *hom. lib. Num.* unà cum *Tertulliano* tradunt argumentum *Libri Enoch* fuiſſe, præter prophetias, de numero & nominibus ſtellarum, & ipſarum ſecretis virtutibus, de deſcenſu filiorum DEI, ad filias hominum, de Gigantibus ex Angelorum coitu progenitis, de extremo judicio DEI erga impios. Verùm ut Lector ſpecimen aliquod videat, afferam hoc loco fragmentum quoddam ex *Libro Enoch*, quod circumfertur, & adducitur à *Scaligero in Annotationibus* ſuis *in Euſebium* quod & in *Bibliotheca Græca Monaſterii Salvatoris Meſſanenſis Urbis* celeberrima videre contigit anno 1637. Et quamvis is *Liber Apocryphus* ſit, quia tamen antiquiſſimus eſt, & ante *Chriſti* tempora, vetuſtiſſima traditione ſcriptus, hìc ejus, inquam, fragmentum apponendum duxi, ut videant Lectores curioſi, hoc minimè diſcrepare ab illis, quæ paulò antè ex *Patribus* de argumento *Librorum Enoch* retulimus. Ex Græco autem à nemine, quod ſciam, tranſlatum, nos Linguæ Latinæ verbotenùs donamus. Quod dum facimus, totum hoc qualecunque ſit antiquitatis fragmentum, ita libero Lectoris judicio relinquimus, neque ullum ad ea quæ adducimus, irrefragabili authoritate credenda adſtringere volumus. Et quamvis hoc fragmentum quoque in *Secundo Tomo Oedipi* propoſuerimus, hoc tamen adeò oportuno loco, omiſſo Græco Textu, ſervato Latino reponendum cenſuimus.

Liber Apocryphus Henoch adſcriptus.

Libri *Henoch.*

Quid *Libri Henoch* continuerint.

Prophetiæ *Librorum Henoch.*

EX PRIMO LIBRO ENOCH.

De *Egregoræis*, ſive Angelis malis.

Et factum eſt, cum multiplicati fuiſſent filii hominum, natæque ipſis filiæ pulchræ & decoræ, contigit, ut deſiderarent eas Egregori *(ſcilicet Angeli) & unus alterum ſeducebat, dicentes ad invicem: Eligamus nobis fœminas è filiabus hominum Terræ. Et dixit* Semiexas *princeps eorum ad ipſos; timeo ne fortè non velint inire hoc negotium, & ero ego ſolus debitor peccati maximi; & reſpondebant ei omnes dicentes: Jurabimus omnes, & jurejurando nos obligabimus invicem ad in nullo à data*

fide recedendum, donec omnia compleverimus. Tunc omnes juramento præstito se obligarunt, erant autem viginti, qui ascendentes in diebus Jared *summitatem montis* Hermoniim, *quem à jejurando ita appellarunt, ibi fœdere per juramentum inito se invicem obstrinxerunt. Nomina autem Principum sunt sequentia:*

Viginti Principes sceleris in diebus *Jared.*

1. Semixas *Princeps eorum.*
2. Atarkuph.
3. Arakiel.
4. Chababiel.
5. Orammame.
6. Rhamiel.
7. Sapsich.
8. Zakiel.
9. Balkiel.
10. Azalzel.
11. Pharmarus.
12. Amariel.
13. Anagemas.
14. Thausael.
15. Samiel.
16. Sarinas.
17. Eumel.
18. Tyriel.
19. Jamiel.
20. Sariel.

Sic & omnes reliqui anno 1170 *Mundi, acceperunt sibi ipsis mulieres, & inceperunt contaminari in ipsis usque ad* Diluvium; *pepereruntque ipsis tria genera (hominum.) Primum genus erant* Gigantes *magni: Gigantes autem generabant* Naphilim, & τοῖς Naphilim *nati sunt* Elud; *& multiplicabantur juxta magnitudinem eorum, & docebant ipsos & fœminas eorum magiam, & incantationes, sive artem præstigiatricem. Primus* Exaël decimus *Principum docuit facere machæras, & thoraces, sive loricas, & omnis generis arma bellica, & metalla (id est metallicam artem) & usum auri & argenti, quanam ratione videlicet in varios luxûs usus adhiberi possent, & fecerunt varia ornamenta mulieribus; docuerunt quoque eas Cosmeticam Artem, id est, fucos & stibii varium usum in condecorando vultu, lapides quoque pretiosos, & faciebant sibi filii hominum, fœminis, & filiabus ipsarum similia; quibus prævaricari, & errare faciebant ipsos Sanctos, & extitit impietas multa super Terram, & corruptæ sunt universæ viæ mortalium. Antesignanus quoque dictorum Principum* Semiaxas *docuit esse* * *iras animi & radices terræ.*

3. Hominum genera generata ab ipsis.

Magiam docebant.

Exaël armorum cusor.

* Desunt hic nonnulla.

Undecimus *autem* Pharmarus *nomine docuit Magiam, & Artem incantatricem, præstigiatorumque expiatoria sacra.* Nonus *autem docuit artem deducendi stellas.* Quartus *Astrologiam divinatricem.* Octavus *docuit artem divinandi per aërem.* Tertius *signa Terræ.* Septimus *docuit signa Lunæ. Omnes hi inceperunt uxoribus suis & filiis earum dicta revelare mysteria. Post hæc inceperunt Gigantes vesci carnibus humanis, repereruntque impio hoc exterminio homines decrescere super Terram. Reliqui verò ob detestabilem Gigantum malitiam clamabant in cœlum dicentes, petentesque coram eo suscipi memoriam eorum. Audientes autem quatuor è majoribus Archangelis* Michaël *videlicet,* & Raphaël, & Gabriël, & Uriël, *è supremo cœlorum habitaculo terram inspiciebant, contemplantesque sanguinem multum effusum super Terram, & omnem impietatem & iniquitatem, quæ fiebat super ea, egredientes ad invicem dixerunt: eccè spiritus & animæ hominum afflictione, oppressioneque suspirantes clamant ad nos, ut petitiones, perditionemque ipsarum ad Altissimi thronum deferamus; procedentesque hi quatuor Archangeli dixerunt Domino.*

Gigantes Anthropophagi.

Apparitio bonorum Angelorum.

Tu ô! DEUS Deorum, & Dominus Dominantium, & Rex Regnantium, DEUSque hominum custos, Thronusque gloriæ tuæ in omnes seculorum generationes, & nomen tuum sanctum & benedictum in omnia secula.

Tu enim omnia creasti, in omnibus potestatem possidens, cujus conspectui omnia nuda sunt, & aperta, omnia videns, nec est, qui se à te abscondere possit. Vides quanta mala faciat *Exaël*, quanta introducat, & quanta doceat peccata atque iniquitates super Terram, & quod nil nisi dolus super Aridam. Docuit enim mysteria, & manifestavit seculo ea quæ sunt in cœlo, conanturque omnibus modis ejus instituta & mysteria cognoscere. Filii hominum *Semixæ* potestatem dederunt eorum, qui cum ipso simul erant, & ibant ad filias hominum Terræ & dormiebant cum

"Oratio Angelorum ad DEUM.

"Quanta mala Dæmones in terram introduxerint.

„ cum ipsis, & polluebantur in virgini-
„ bus puellis, & iis manifestabant omnia
„ peccata, & docebant ipsas facere instru-
„ menta fornicationis. Et nunc vide, filii
„ hominum gignunt ex iis filios Gigan-
„ tes. Adulterinum, suppositititiumque
„ genus hominum super Terram diffu-
„ sum, totum Universum iniquitate re-
„ plevit. Et nunc eccè spiritus anima-
„ rum defunctorum hominum interpel-
„ lant, & usque ad cœlos ascendit gemitus
„ eorum, neque potest venire & pertin-
„ gere ob enormes, quæ in Terra acci-
„ dunt, iniquitates. Et tu hæc scis ab ipsis
„ fieri; & vides ipsos, & finis pateriſque
„ ipsos, neque dicis, quid oporteat face-
„ re, aut quod remedium tantorum ma-

Responsio Dei. lorum. *Tunc* Altissimus *dixit*, & Sanctus magnus *locutus est*, & *misit* Uriël *ad Filium* Lamech *dicens: Abi ad* Noë, & *dic ipsi meo nomine: Absconde teipsum, & manifesta ipsi finem rerum omnium instantem, & quod tota Terra perdetur. Et dices ipsi, quod* Diluvium *universæ Terræ futurum, omnia quæ super faciem aridæ*

Nuncii ad Noë Angeli. *sunt, disperdet. Instrue justum, quid facere oporteat filium* Lamech; & *anima ipsius in vitam conservabitur, & effugiet mortem per æternum, atque ex illo plantabitur planta, quæ consistet in omnes generationes sæculorum. Et* Raphaëli *dixit: Vade* Raphaël, & Exaëlem *manibus & pedibus vinctum projice in tenebras; aperies quoque Eremum existentem in Eremo* Dodoël, & *illuc vadens projice eum, suppositis ipsi saxis acutis & asperis, operies eum tenebris, & habitet ibi in perpetuum; & aspectui illius oppones operculum, ne lumen ei unquam appareat, & in die judicii revocatus in judicium, incendio ignis destinabitur; & sanabitur Terra, quam coruperant, & labefactaverant* Egregori; *medelam autem Terræ manifesta, ut curetur Terræ à plaga sua, & non pereant omnes filii hominum, quæ dicta sint in mysterio, quod dicebant* Egregori, & *docebant filios hominum; & desolata est universa Terra in operibus instructionis* Exäel, & *ex ipsa exarata sunt omnia peccata. Ad* Gabriëlem *verò dixit: Vade* Gabriël *ad Gigantes, ad adulterinos & falsarios filios fornicationis, & perdas filios* E'γεηγόρων *à filiis hominum; committas ipsos adinvicem in bellum & ultimam perditionem, & exterminium; & longitudo dierum nequaquam attingat dies patrum ipsorum, qui sperabant vivere vitam sempiternam, & quod unusquisque eorum non amplius, quàm centum annis victurus sit. Et ad* Michaëlem *dixit: Vade* Michaël, *alliga* Semixam, & *omnes asseclas ejus, quotquot commisti filiabus hominum polluerunt, contaminaveruntque eas in immunditia eorum; & cùm jugulati fuerint filii eorum, & cognoverint perditionem dilectorum suorum, alligabis eos in 70 generationes in abdita Terræ loca usque ad diem ipsis in judicium producendis destinatum, diem consumationis rerum omnium, diem quo terminabitur judicium seculi seculorum. Tunc præcipitabitur in Chaos ignis, & in tormentum & in carcerem conclusionis æternæ, & cùm condemnati fuerint, unà cum ipsis projicientur usque ad consummationem generationis eorum. Gigantes autem nati à spiritibus & carne, Spiritus maligni in Terra vocabuntur, ut sit habitatio eorum super Terram. Spiritus maligni erunt, spiritus egressi à corpore, & carne ipsorum, partim ab hominibus, partim ab* Egregoræis *geniti. Principium creationis eorum, & initium fundamenti illorum Spiritus maligni erunt super Terram. Spiritus autem Gigantum distributi, injusti, destruentes, invadentes, colluctantes, jaculantes super Terram, & cursus facientes: neque tamen comedunt, sed cibo abstinentes sunt & variis phantasmatis illudentes, sitientes & impingentes; & Spiritus resurgent cum filiis hominum & mulierum qui processerunt ab eis. A die verò cædis & perditionis, mortisque Gigantum,* Nephilim *fortes, & robusti supra Terram, magni & famosi, spiritus egressi ab anima eorum,*

Gabriëlis expeditio.

Michaëlis expeditio.

Gigantes.

Nephilim.

velut

velut ex carne, erunt corrumpentes usque ad judicium magnum. In quo Æon, *sive seculum magnum simul terminabitur. Circa montem verò, in quo jurârunt, etiam juramento se invicem obstrinxerunt, ut in perpetuum non desistat ab eo frigus, nix, pruina, & ros, neque descendat in ipsum, nisi in maledictionem descenderit in ipsum, usque ad diem judicii magni, & in illo tempore comburetur, & Terræ adæquabitur, & contabescet, liquescetque sicut cera à facie ignis, ita consummabitur, destrueturque cum omnibus operibus eorum.*

Vobis verò filiis hominum dico, magnâ irâ excandesco in vos, & in filios vestros, & perdentur dilecti vestri, & morte morientur chari vestri à facie universæ Terræ. Et omnes dies vitæ ipsorum abhinc usque in futurum non erunt plures quàm 120 *anni; neque vobis persuadeatis ultra vivere; nunc verò non erit ipsis via evadendi iram, quâ in vos exarsit Rex omnium seculorum; nè putetis quod effugietis ea.* Huic Relationi Traditio quæ in *Chronico Arabum Abulhassen* Authore legitur, uti & Hebraicis fabulis prorsùs congruit, quam vide *Tomo II. Oedipi folio* 76.

CAPUT III.

De Gigantibus ante Diluvium.

DE Gigantibus Sacer Textus sic habet, c. 6. *Gigantes autem erant super Terram in diebus illis; postquam autem ingressi essent filii* DEI *ad filias hominum, illæque genuerunt, illi sunt potentes à seculo viri famosi.* Gigantes itaque ex filiis DEI natos *Sacer Textus* asserit; de quibus varia apud *Interpretes* lis est, & controversia. Nonnulli ex filiorum *Seth*, & *Chain* commixtione natos esse volunt; Erat autem *Seth* legitima & DEO fidelis *Adæ* progenies, undè filios DEI vocatos fuisse asserunt; *Cain* verò degener, & maledicta progenies; Undè ex bonorum malorumque concubitu Gigantes prodiisse volunt; ita Divus *Augustinus.* Alii verò per filios DEI non homines, sed Cacangelos intelligunt, quos accedentes ad filios hominum, ex prodigioso concubitu Gigantæa monstra genuisse *Rabbini* tradunt, uti ex *Apocrypho Libro Enoch* suprà patuit, & ab omnibus ferè sensatioribus *S. Scripturæ Interpretibus* tanquam absurda & temeraria revelluntur confutanturque. Veriorem sententiam, quæ est de Sethiana progenie commista cum improba stirpe *Caini* amplectuntur *Cyrillus*, *Josephus*, *Augustinus*, *Hieronymus*, & ex modernis *Pererius*; *Cornelius* aliique innumeri, quique ex Sacris literis evincunt, Gigantes hoc loco non tam ex insolita & incredibili eorum vastitate, & magnitudine, quàm ex superbia, fortitudine, & immanitate morum, nuncupatos fuisse; Erant enim quinque potissimùm rebus insignes: Vastitate corporis, robore, scientiâ, potentiâ ac bellicâ fortitudine supra humanum modum pollentes, denique propter inhumanitatem, & truculentiam omnibus terribiles, & formidabiles, propter quos maximè DEUS Mundum *Diluvio* perdere voluit: Quorum Regiam urbem ad montem *Libanum* extitisse, *Berosus Annianus* narrat; Verisimile tamen est, non omnes homines tunc temporis fuisse hujus inusitatæ vastitatis; sed parvos quoque, mediocres, magnos, maximos, uti hodiè evenire solet, extitisse; neque Gigantes, ejus vastitatis fuisse, quales *Poëtæ* eos describunt, qui per montes montibus impositos in cœlum aditum, ad exterminandum *Jovem*, sibi facere ausos fuisse, fingunt *Mythologi.* Quibus adstipulantur *Rabbini* nugatores *in Bereschit Rabba*, qui eos centum cubitos longos fuisse fabulantur; si enim

Sententiæ de progenie Gigantum ex filiis DEI & filiis hominum.

5. Rebus insignes Gigantes.

Non omnes istius temporis homines Gigantes fuerunt.

Fabulosa proceritas Gigantum.

si enim tanta proceritate corporis constabant; instar turrium eos comparuisse necesse fuit; Quoniam verò eos civitates ædificasse constat, quamnam domum tantæ vastitatis ad eos recipiendos, capacem fuisse putabimus? nisi eos sine domo, sine tecto, nudâ terrâ contentos, sub dio commoratos dicamus? Quodnam rogo nutrimentum sive carnium, sive frumenti, herbarumque tam copiosum Terra producere poterat, quod hujusmodi monstruosis hominum stomachis suffeciisset, quibus vel deni aut centeni frumenti modii, & totidem oves vel unica die in cibum non suffeciissent: addo, hujusmodi monstra generationi prorsus, nisi cum similibus sibi conjungerentur mulieribus, inepta fuisse; & quemadmodum *Rabbini* fingunt, pinus ingentes & præaltas pro baculis gestasse; quod si ita est, omnes sylvas in baculorum usus, brevi eradicatas fuisse, nemo dubitare debet, qui enormem eorundem vastitatem penitiùs consideraverit. Qui verò asserunt, uti *Berosus*, vel ipsum *Noëmum* unà cum filiis suis ex hujusmodi Gigantum stirpe natum esse, ii unà cum *Rabbinis*, cacchinnis explodendi sunt; cum hæc *Noëmo Arcæ* fabricatori prorsùs incongrua sint; sequeretur enim vel solum *Noë* tertiam *Arcæ* partem cubando occupasse; quid dicemus de 3 filiis pariter gigantibus, & uxoribus eorum vastitatis proportionatæ viris; certè hisce 8 hominibus *Arcam* minimè sufficientem fuisse, nemo dubitare debet; cum & *Noëmum*, & filios in administratione animalium non incedere, sed reptare oportuisset in *Arca* nonnisi 30 cubitorum alta, quam ipse 70 cubitorum altitudine sua longè superabat, & quoniam nutrimentum proportionatum esse debet moli corporis, certum indè deducitur, octo homines *Arcæ* administratores, vel uno integro mense totum illum commeatum, qui unius anni spacio omnibus animalibus conservandis erat collectus consumere potuisse. Vides igitur Lector, quàm inconcinna, quàm absurda, quàm ridicula, insulsaque sibi humana mens imaginetur, nullâ reflexione factâ ad ea, quæ manifestam involvunt contradictionem & ἀδυναςίαν.

Vastis Gigantum corporibus nullus sufficiebat cibus.

An *Noë* gigas fuerit.

Jungam hoc loco illud, quod de *Og* Rege *Basan* in *Historia Sacracenica Arabes* recitant, quæ uti *Historiæ Geneseos* prorsùs disonat, ita quoque fabulosis poëtarum narrationibus, anilibusque deliramentis propriè annumerandam censeo. Verba ex Arabico in Latinum à me translata ita se habent. Og *Gigas ante & post* Diluvium *superstes, cum* Noë *insigni & irreconciliabili inimicitia & dissidio exercebatur, quem & continuò ad internecionem quærebat; cùm vero* Noë *tantæ vastitatis Oggæ (erat enim montibus altior) immanitati resistere nequiret, in montium antris se abscondebat, ad quæ corporis mole præpeditus* Og *penetrare non poterat. Nam quemadmodum musculus exiguo se foramini insinuans omnes felium conatus eludit; ita quoque* Noë Oggi *Gigantis insidias. Accidit quodam tempore, ut* Og Noëmum *in campis adortus cùm intra dictas montium speluncas fugientem consequi non posset, indignatione & rabie perculsum, evulsam barbam post eum projecisse, quæ statim instar cedrinæ sylvæ universam campi planitiem cooperuit, ita ut quot pili, tot cedri projecti spectarentur, ex quibus* Noëmum *postea* Arcam *extruxisse*, insulso sanè figmento, & oppidò ridiculo *referunt*. Tam immensæ verò vastitatis fuisse fabulantur, ut cum *Arcam* in *Diluvio* quæreret, aquas non nisi ad genua ejus pertigisse dicunt. Interim fame cruciatus balænas venabatur, quas à sole tostas veluti uno bolo stomacho ingesto devorabat; & similia, quæ & risum movent, & ob insulsum fabulæ commentum etiam stomachum. Qui plura hujusmodi desiderat, is adeat *Tomum II. Mundi Subterranei*, ubi quam fusissimè de Gigantum magnitudine ex professo tractatum reperiet, ubi & de putatitiis Gigantum ossibus, quæ in diversis Orbis Terræ partibus detecta feruntur, mentem meam fusiùs apertam comperiet. Cum verò hujusmodi Gigantum Patres, seu genitores *in libro Henoch* ἐγρήγορες vocantur, id est, *Vigiles*, quid per hoc nomen indicetur, exponendum censui.

Ridicula historia de *Og* Gigante.

Insulsæ de *Og* fabulæ.

Quid sibi velit vox ἐγρήγορος.

Quid igitur *liber Enoch* per Ἐγρηγόρους, id est, *Vigiles* intelligat, *Africanus* explicat his verbis: Πλήθους ἀνθρώπων γνομένου ἐπὶ τῆς γῆς Ἄγγελοι τοῦ οὐρανοῦ θυγατράσιν ἀνθρώπων συνῆλθον. *Multitudine hominum super terram factâ Angeli cœli filias hominum conveniebant*, &c. Ubi per *Egregoros*, id est, *Vigiles*, Angelos, utique non bonos intelligit. Meminit horum quoque *Cedrenus* his verbis: Καὶ πᾶς Ἄγγελος Ἐγρήγορος λέγεται. *Et omnis Angelus* Egregorus *dicitur*. *Clem. Alex. Pædagog.* 2. Μακάριοι γὰρ οἱ Ἐγρηγορότες εἰς αὐτὸν, σφᾶς αὐτοὺς ἀπεικάζοντες Ἀγγέλοις, οὓς Ἐγρηγόρους καλοῦμεν. Nos arbitramur cum *Scaligero* versum illum 10. *Dan.* c. 4. (ubi hæc verba habentur: וחזית בחזוי ראשי ואלו עיר וקדיש מן שמיא נחית. *Et videbam in Visione capitis mei, & eccè Vigil & Sanctus de cœlo descendit*) de *Egregoræis* intelligendum, ubi עיר *Vigilem* significat, quales Angeli sunt, qui quatuor ob causas, Vigiles dici possunt. *Zosimus* quoque *Panapolites* apud *Photium* ita de iis loquitur: Χρῆσις Ζωσίμου τοῦ Πανοπολίτου φιλοσόφου ἐκ τῶν πρὸς θεοσέβειαν ἐν τῷ ἕκτῳ τῆς Ἰμοὺθ βίβλῳ. Φάσκουσιν αἱ ἱεραὶ γραφαί τινι βίβλοι, ὡς Γωάμ, ὅ, τι ἐστί τι δαιμόνων γένος, ὃ χρῆται γλωσσίν. Ἐμνημόνευσε καὶ Ἑρμῆς ἐν τοῖς φυσικοῖς, καὶ σχεδὸν ἅπας λόγος φανερὸς, καὶ ἀποκρυφος τοῦτο ἐμνημόνευσεν. τοῦτο δέ ἔφασαν αἱ ἀρχαῖαι καὶ θεῖαι γραφαὶ, ὅτι Ἄγγελοι ἐπεθύμησαν τῶν γυναικῶν, καὶ κατελθόντες ἐδίδαξαν αὐτὰς πάντα τὰ τῆς φύσεως ἔργα ὧν χάριν προσκρούσαντες ἔξω τοῦ θείου ἔμειναν. ὅτι πάντα τὰ πονηρὰ καὶ μηδὲν ὠφελοῦντα τὸν ψυχὸν ἐδίδαξαν τοὺς ἀνθρώπους. ἐξ αὐτῶν φάσκουσιν αἱ αὐταὶ γραφαὶ, καὶ τοὺς Γίγαντας γεγονέναι. ἐστὶν δὲ αὐτῶν ἡ πρώτη ὠφέλεια χρῆμα περὶ τούτων τῶν τεχνῶν, ἃς ἐκάλεσαν ὑπὸ ταύτου τοῦ βίβλου χρῆμα. ὅθεν καὶ ἡ τέχνη χημία καλεῖται. *Usus* Zosimi Panapolitæ *Philosophi eorum, quæ ad cultum divinum tradit in* 9. libro Ιμεὺθ. *memorant* Sacræ Scripturæ, & Biblia, *quod* Gynæ, *certum Dæmonum genus, utantur mulieribus. Meminit quoque* Hermes in Phys. *& ferè omnis sermo apertus & occultus primævaque ac Divinæ Scripturæ. quod Angeli desideraverint mulieres, & venientes docuerint eas omnia opera Naturæ; quarum & gratiam reperientes manebant extra cœlum, & sic omnia mala & inutilia docuerunt filios hominum. Ex quibus, dicunt dictæ Scripturæ, natos esse Gigantes, quorum prima traditio fuit* Chima *de his artibus, librumq; hunc vocant* Chima, *unde & ars ipsa* Chimia.

Ἐγρήγορος idem quod Angelus Vigil.

Zosimus Panapolita apud Photium.

Georgius Syncellus priscus Author *in sua historia librum Henoch* citans, *Egregororum* quoque meminit, dicitque omittendas eas esse scripturarum fabulas, quas Apocryphas nominamus. *Eò quod earum occulta origo non claruit Patribus, à quibus usque ad nos authoritas veracium scripturarum certissimè & notissima successione pervenit.* Quæ totidem ferè verbis S. *Augustinus* refert. *Etsi enim,* (inquit) *aliqua in hujusmodi Apocryphis inveniatur veritas, propter multa tamen subreptitia ejus non esse canonicam authoritatem. Scripsisse autem quædam Divinum illum* Henoch, *negari non posse, cùm hoc in* epistola Judas Apostolus *dicat. credi tamen ea ut plurimùm posse, præsertim quæ de descensu* Egregororum *& Gigantum impietate, utpote* Sacræ Scripturæ *consentientia, & à* Mose *approbata, recitantur.*

Apocrypha de libris *Henoch.*

S. August. condemnat Apocrypha.

Quia verò de Gigantibus agitur in hoc fragmento, non prætereundam duximus sententiam veteris cujusdam Scriptoris de iisdem: Οἱ τοῦ Σὴθ καὶ Ἐνὼχ καὶ Ἐνὼς παῖδες υἱοὶ Θεοῦ νοείσθωσαν, οἵτινες ἀλόντες ἀκολασίᾳ πρὸς τὰς θυγατέρας Καὶν εἰσῆλθον, ἐξ ὧν οἱ ἐκ τῆς καταλλήλου μιαγαμίας γίνονται Γίγαντες, διὰ μὲν τὸν δίκαιον ἰσχυροὶ καὶ μέγιστοι διὰ δὲ τὸν ἄδικον καὶ βέβηλον πονηροὶ καὶ κάκιστοι. *Filii* Seth, Enoch & Enos *pueri filii* DEI *intelliguntur, qui capti*

Filii *Seth* vocantur filii DEI, filii *Kain*, filii hominum.

capti victique intemperantiâ, & venereâ libidine, ad Caini *filias ingressi sunt, ex quibus Gigantes ex promiscuis impurisque nuptiis orti sunt, ob justum quidem robusti & maximi, ob injustum verò & profanum, improbi & pessimi.* Vocantur hæ nuptiæ à *Suida* μίαι Γαμίαι. Atque ex his manifestò patet, fragmentum hoc etsi Apocryphum, non tamen ita absonum esse ab iis, quæ aut *Sacra Scriptura*, aut *Sancti Patres* tradunt, quàm aliqui putare possent. Etsi enim Autographum *Enoch* vetustate temporum perierit; verisimile tamen est, ut suprà quoque ex *Origene* ostendimus, tam admirabilem filiorum hominum ante *Diluvium* historiam continuâ & successivâ traditione propagatam scriptisque ab antiquis viro DEI traditam, ad *Christi* tempora, & indè ad nos usque pervenisse. Nam ab *Adamo* literas & disciplinas cœpisse in præcedentibus dictum est, & ex *Profana Historia* notum est; *Chaldæos* quoque Astronomiam, & literas habuisse ante *Alexandri* Monarchiam tribus millibus & sexcentis annis, ac triginta quatuor, apertè docet *Georgius Syncellus* Author Græcus. *Epigies* quoque ait, septingentos annos & ampliùs ante *Ninum* & *Phoroneum* inventos *Babyloniæ* laterculos coctiles inscriptos pro siderum observatione. Quæ omnia *Moysi* consentiunt, ut alibi demonstravimus. Infamem autem vitam hominum, peccataque enormia oppressionis, libidinis, & promiscuæ luxuriæ, ob quæ DEUS justa indignarione commotus, genus humanum delendum putaverit, præter ipsam *Sacram Scripturam*, etiam alia *fragmenta Orientalium* testificantur. Quod verò *Historia Apocrypha* narret, Spiritus, seu Dæmones se hominibus commiscuisse, id SS. PP. atque omnium ferè *Interpretum* placitis repugnat. *Rabbini* tamen more solito superstitiosi, hanc inauditam scelerum enormitatem, ab impiis ante *Diluvium* hominibus perpetratam, mordicus defendunt & inter cæteros *Rab. Becchai* & *Rabboth*, super hoc *Genesis* verbum:

Laterculi in quibus astronomiæ præcepta insculpta fuerunt.

his verbis: זה ספר תולדות אדם והם רוחין ושדים ולילין וכמו שדרשו רז"ל ורוחות זכרים היו מתחממים מן האשה ויולדים נקבות ורוחות נקבות היו מתחממת מאדם ויולדות זכרים. *Et isti sunt spiritus, & dæmones, & Lamiæ (qui videlicet ex promiscua enormique libidine procreati sunt;) spiritus enim mares, imprægnati à fœmina genuerunt fœminas, & spiritus fœminæ imprægnatæ ab homine viro, progenuerunt mares.* Quæ aliter ac de incubis & succubis dæmonibus intelligenda non sunt; in hoc solùm impudentissimè errant, quòd *Adamum* hujus quoque impietatis & authorem & complicem faciant. Quæ & *Berosus* antiquissimus, hoc est, בר הושיע, *Bar Hoschia*, filius *Hoseæ*, in suo de Temporibus libello testatur: *Scribunt*, inquit, *illis temporibus circa* Libanum *fuisse* Enoh *urbem maximam Gigantum; Hi vastitate corporis, ac robore confisi, inventis armis omnes opprimebant, libidinique inservientes, invenerunt papiliones, & instrumenta Musica, & omnes delicias. Manducabant homines, & procurabant abortus in eduliumque præparabant (veluti ova) & commiscebantur matribus, filiabus, sororibus, masculis & brutis.* Ubi alii legunt *(dæmonibus brutorum formâ.)* Certè majorem hominum malitiam ante *Diluvium* fuisse, quàm hodiè, indè constare potest, quod passiones amoris, iræ, vindictæ, libidinis in corporibus integerrimæ sanitatis & robustissimis, multò quàm novissimis seculis vivaciores essent. Accedit quod uti sine lege ulla positiva aut Rege improba & maledicta *Kainæ* stirpis soboles, vivebat, ita quoque mirum non est, infrænem libidinem, & insatiabilem carnis appetitum unà cum detestabili idololatriæ abominatione totum mundum inundâsse. quo quidem statu rebus versantibus, haudquaquam mirum videri debet, si dæmones eorum sese operibus occultè & per varias illusiones immiscerent, cùm sive ad fovendas carnis illecebras, sive ad verum DEI cultum in universa terra abolendum, suumque stabiliendum major non suppeteret occasio, uti plerique *SS. PP.* docent.

Dæmonas incubi & succubi.

Berosus.

Immania Gigantum scelera.

Cur tanta fuerit ante *Diluvium* hominum malitia.

BIBLIOTEKA UNIWERSYTECKA K.U.L.

CAPUT IV.

De Vita Noëmi *ejuſque virtutibus geſtiſque.*

ANtequam ad vitam *Noë* deſcribendam nos accingamus, ad faciliorem rerum intelligentiam, Genealogiam priùs Filiorum *Dei*, & filiorum hominum hîc apponendam cenſuimus, unâ cum annis ab orbe condito, quibus ſinguli vixerunt.

GENEALOGIA

Filiorum DEI *& filiorum hominum.*

Filii DEI.

Adamus protoplaſtus creatus fuit Anni ab Orb. Cond. 6. die.

1. *Seth Adami* filius. natus 130
2. *Enos* filius *Sethi*, nepos *Adæ*, qui primus incepit invocare nomen Domini. 235
3. *Cainan* filius *Enos* 325
4. *Malaleel* filius *Cainan* 395
5. *Jared Malaleel* filius 460
6. *Enoch* filius *Jared* raptus à DEO 622
7. *Mathuſalem* filius *Enoch* 687
8. *Lamech Mathuſalæ* filius 874
   Seth moritur 1042
9. *Noë Lamechi* filius 1056
   Enos moritur 1140
   Cainan moritur 1235
   Malaleel moritur 1290
   Jared moritur 1422
   Noë jubetur *Arcam fabricare* 1556
   Mathuſalem moritur 1655
   Diluvium univerſale 1656

Filii hominum.

1. *Kain*, primus Urbem condidit *Henochiam* à filio *Henoch* ſic dictam.
2. *Henoch Caini* filius.
3. *Irad Henochi* filius.
4. *Mauiael Irad* filius.
5. *Mathuſaël Mauiaël* filius.
6. *Lamech Mathuſaëlis* filius, duas uxores habuit. *Ada* & *Sella*, *Kainum* occidiſſe traditur *Lamech*.
7. *Jabel* & *Jubal* ex *Ada* filii. Hic citharœdus, ille paſtor.
8. *Tubalcain* ex *Sella*, faber æris & ferri.

Ex filiis DEI cum filiis hominum matrimonio copulatis nati ſunt Gigantes, non tam mole corporis ſtupendi, quàm viribus morumque perverſitate inſignes, qui DEUM ad univerſale *Diluvium* impulerunt; inventores artium, quas teſte *Joſepho* columnis inciderunt.

Natus eſt *Noë* Patriarcha, magnum illud Divinæ providentiæ inſtrumentum, anno Mundi 1056. poſt mortem *Adami* 126 annis, ex Patre *Lamech*, quem cum Protoplaſto 56 annos vixiſſe ex calculo *Sacræ Chronologiæ* oſtenditur. Quoniam verò ex hoc loco ex æquivocatione nominum varii errores naſci poterunt, veritatem *Sacri Textus* paucis declarandam cenſui. Docet *c.4. Geneſ.* duas progenies filiorum *Adæ*; quarum prima ex *Cain* primogenito *Adæ* filio; altera à *Seth* tertio *Adæ* filio proceſſit. Illa à plerique *Commentatoribus* ſub nomine filiorum hominum; hæc ſub nomine filiorum DEI indigitatur: illa ob fratricidium *Abelis* maledictioni ſubjecta & ob ſceleratam vitam: hæc ob Religionis cultum filiorum *Seth* & *Enos* DEO devotos Patriarchas protulit: qui tamen poſtea ſacrilegis nuptiis cum aliis *Canaitis*, id eſt filiis hominum contractis contaminati, in immanium ſcelerum barathrum præcipitati, iſtius Religionis, Divinique cultus, divortium iniere. Utramque progeniem hic apponendam cenſui.

Filii

Filii DEI ſtirps Sancta.

Adamus & *Eva* eorumque filii
Cain, *Abel*, *Seth*.
Seth genuit *Enos*.
Enos genuit *Cainan*.
Cainan Melaleel.
Melaleel Iared.
Iared Enoch.
Enoch Mathuſalem.
Mathuſalem Lamech.
Lamech genuit *Noë*.

Filii hominum.

Cain genuit *Henoch*, à quo Urbs prima *Henochia* fuit.
Henoch Irad.
Irad Mauiael.
Mauiael Mathuſael.
Mathuſael Lamech.
Lamech duas habuit uxores *Ada* & *Sella*, illa *Jabel* & *Jubal*; hæc *Tubalcain* fabrum progenuit.

Ex hiſce itaque luculenter patet, hunc *Lamech* minime ex ſtirpe *Seth*, ſed ex *Cain* progenie fuiſſe ejuſque filios fuiſſe ex duabus uxoribus prognatos, videlicet, ex *Ada*, *Jabel* & *Jubal*, quorum ille pater habitantium in tentoriis, & paſtorum, hic pater canentium cythara & organo, *Tabulcain* vero ex *Sella* prognatus faber fuit in omnia opera æris & ferri; *Lamech* itaque ex maledicta ſtirpe *Cain*, primo ob Cainocidium, deinde ob polygamiæ introductionem, & commixtionem cum *Sethianis* peractam, merito ſcelerum enormium, atque idololatriæ potiſſimum author fuit. unde toto cœlo aberrant, qui eum cum *Lamech Methuſalæ* filio imperitè confundunt. Quomodo vero, & qua occaſione, *Lamech Cain* tritavum occiderit, hoc pacto narrant Authores *S. Hieronymus*, *Liranus*, *Toſtatus*, *Cajetanus*, & ex his *Pererius del Rio*, *Cornelius à Lapide*. Ibat *Lamech* venatum in ſylvam, intra quam *Cain* conceſſerat, vel ambulandi, vel capiendi aëris frigidoris cauſa; comes ergo armiger *Lamech*, quem *Tubalcain* filium fuiſſe putant, advertens ſtrepitum & motum foliorum quem faciebat *Cain*, indicavit *Lamecho* patri ſuo, ibi latere feram; *Lamech* jaculatus occidit non feram ſed *Cain*. Re deprehenſa *Lamech* ira exæſtuans armigerum, aut arcu, aut fuſte occidit: unde ipſe paulò poſt mortuus eſt. Cum itaque ob duplicis homicidii ſcelus commiſsum, omnium odium incurriſset: anxius & pavidus, ne *Caini* pœnam ſuſtineret, ſuis uxoribus *Adæ* & *Sellæ* ipſi ſcelus exprobrantibus conqueſtus, ſe excuſaſse dicitur, his verbis: Quoniam occidi, id eſt occidi fateor virum & adoleſcentem, mortemque ideo meritus ſum: Veruntamen ſi *Cain* interfector fratris fui ſeptuplum eſt puniendus, utique mei interfector ſeptuagies ſepties eſt, id eſt longè gravius punietur: Ego enim *Cain* inſcius occidi, armigerum verò meum non occidere ſed caſtigare tantum volui.

Mirantur haud immeritò Sancti Patres, poſt 77. filios, quos *Lamechum* ex illicita polygamia habuiſſe, referunt, tandem ex eo tam nobile illud Mundi germen *Noëmum* prodiiſſe; hunc ſolum gratiam in conſpectu DEI à *Diluvio* liberum inveniſſe, reliquis aut variis caſibus, vel *Diluvio* pereuntibus. Atque hoc pacto allegoricè interpretantur, ut per *Lamechum* & 77. filios, peccatores, per *Noëmum* verò, *Chriſtus Meſſias* intelligatur, qui poſt 77. generationes, quas ab *Adam* ad *Chriſtum* apud *Luc.* 3. *c.* deſcriptas habemus, peccatum exoluturus ſit, atque illas pœnas ſua paſſione ſit finiturus; ita D. *Hieronymus*; vel ut alii, 77 generationes per *Lamech* deſignari, in quarum fine puniendus ſit, ejuſque 77 filios *Diluvio* perituros; ita *Joſephus*. Sed hæc relinquamus Interpretibus latiùs exponenda. Nos ad *Noëmum* progrediamur, quem *Sacro Textu* teſtante *Lamech* mox ac natus fuit *Noë*, veluti Mundi conſervatorem prædixerat. Plerique aſſerunt, cum *Adamus* per revela-

Vaticinium *Lamech* de filio ſuo *Noë*.

tionem cognoviſſet de Adventu *Meſſiæ*, cujus ortu omnibus malis expulſis omnia in excellentis gratiæ ſtatum reducerentur, iſque progeniem ſuam tot tantiſque afflictionibus doloribuſque oppreſſam, de hac quiete & conſolatione per *Meſſiam* venturum, ad patienter tolerandos hujus vitæ labores, continuò animâſſet, poſteri id de *Noë* intelligendum crediderint, ob verba *Lamechi: ipſe conſolabitur nos ab operibus & laboribus manuum noſtrarum in Terra, cui maledixit Dominus.* Erat enim *Noë* איש צדיק ותמים vir juſtus & perfectus in generationibus ſuis, id eſt, in ſæculo, quo mortalium perverſitas modum & terminos excedebat; undè ſolus invenit gratiam in oculis DEI ambulavitque cum DEO. Quid autem cum DEO ambulare aliud eſt, quàm in omnibus actionibus ſummâ curâ & ſollicitudine, quo ad per ſingulare Divini Numinis auxilium in hac mortali vita licuit, juſtitiæ, ſanctitati, & perfectioni totis viribus ſeſe impendere, generoſas *Henochi* proavi ſui in virtutum exercitio actiones, veluti virtutum omnium ectypon ad imitandum ſibi propoſitum continuò meditari?

CAPUT V.

De Vita Noë, *ejuſque rectitudine apud* Deum *& homines.*

Solus *Noë* juſtus inventus eſt in ſuis generationibus.

CLariſſimum ſanè excellentis juſtitiæ & innocentiæ argumentum eſt, in tanta hominum ſui temporis malita & corruptelà animorum, & ſtudiorum morumque perverſitate, tantaque omnium ſcelerum colluvie, & immanitate, eum ſolum ab omni flagitio puriſſimum, ſanctiſſimum, *Deo*que chariſſimum, denique optimum inter peſſimos fuiſſe cum ſua haud degenere familia; Etſi enim tanta perverſorum hominum multitudo in ſummam malitiam projecta Divinæ gratiæ oblationem repudiâſſet, ſolus tamen juſtus *Noë* excellentis virtutis ſcintillam conſervâſſe legitur, & quemadmodùm illi operum perverſitate Divinam miſericordiam ad indignationem provocarunt, ſic ille eximio ſplendore virtutum, gratiam invenit coram DEO Domino ſuo.

DEUS ſingularem curam *Noëmi* habuit.

Non eſt perſonarum acceptator DEUS; verùm ſi in tanta multitudine unum hominem, qui quæ placita fuerint ei, faciat, non deſpicit, ſed ſuâ eum curâ dignatur, & tanto illius majorem tutelam habet, quantò cum tot fuerint, qui ad ſcelerum participationem eum omnibus modis trahere conarentur; majori conſtantia & fortitudine reſtiterit. Quin vel ipſum nominis etymon *Noë* נח, quod ei prophetico ſpiritu impoſuit *Lamech* pater ejus, quantus eſſe debebat, veluti ἐν τῷ τύπῳ vel luculentiſſimè expreſſit. Scriptura ita habet: Lamech *centum octuaginta duobus annis genuit filium, vocavitque nomen ejus* Noë *dicens, ipſe conſolabitur nos ab operibus & laboribus manuum noſtrarum in Terra, cui maledixit Dominus:* quaſi diceret, iſte *Noë*, cui nomen quietis impoſui, requieſcere faciet homines in Terra impia & maledicta à DEO perditoque jam per *Diluvium* Mundo, DEUS in ipſo, & per ipſum generis humani animaliumque in *Arca*, ſeminarium inſtaurabit, unicus ſui temporis DEUM inter & homines mediator: iſte eſt, qui operibus perverſorum hominum finem imponet, qui renaſcente Mundo conſolabitur nos ab operibus manuum noſtrarum, eò quod hic primus erit Agricola, qui vomerem & aratrum excogitabit, & ſub jugum boves, tum ad aratrum trahendum, tum ad terram proſcindendam coget, cum hucuſque propriarum labore manuum homines id fecerint; atque adeò

Terra

Terra ipſa deinceps minori & cura, & labore coletur; iſte eſt, qui *Meſſiæ* nobis promiſſi perſonam exprimet, à quo reconciliato cum DEO Mundo, homines requiem invenient animabus ſuis. Itaque *Noë* ſtatim in primo ætatis ſuæ flore, ea dedit virtutis ſpecimina, ut minimè otioſa viderentur ea, quæ divino agitatus inſtinctu pater ejus *Lamech*, de eo prædixerat; quæ præclarè ſanè deducit homil. 21. in Geneſin S. Baſilius: *Hinc*, inquit, *animadvertite Dilecti, quomodò puerulus ille* (de Noë loquitur) *paulatim creſcens, omnibus ipſum videntibus, occaſio diſcendi fuerit; nam mox ut quis nomen pueri ſciſcitabatur, ex interpretatione diſcebat, eventurum generalem interitum; ſiquis divino ſpiritu afflatus ſimpliciter hoc futurum dixiſſet, ſtatim fuiſſet oblivioni traditum, & gravitas pœnæ non fuiſſet tota cognita: At verò quia ille puer ante omnium verſabatur oculos, tempeſtivè, & intempeſtivè Divinam repræſentabat indignationem, & conſequenter tandem quietem & conſolationem*; deindè ad maturiorem ætatem provectus, uti erat Divina gloriæ zelantiſſimus ſectator, ita quoque hominum, qui effreni quadam licentia in omnem improbitatem effundebantur, vitam increpare, morum enormitatem reprehendere, leges benè feliciterque vivendi præſcribere, eoſque tandem ad DEI conditoris ſui cultum, & veneration inducere non deſiſtebat; verùm undè fructum vitæ æternæ ſperare debebant, indè mortis æternæ ſibi pœnam adſciverunt; ſiquidem ex dehortatione ejus à vitioſa & perverſa vita, tandem adeo pertinaci contra eum odio exarſerunt, ut ad eum perdendum nihil non excogitârint, ut ex *fragmento Libri Enoch* ſupra citato apocrypho ſatis patuit.

Noëmi pueritia.

De *Noë* pueroquid ſentiat *S. Baſilius.*

Noë unde amorem perverſorum hominum adquirere debebat, inde odium incurrit.

Filiis quoque legem vitæ & diſciplinæ tradebat, univerſam familiam, juxta præcepta à Protoplaſto ipſis relicta ad vitam in timore DEI, cæterisque officiis tranſigendam neceſſariis, inſtruebat, impiorum conſortio minimè ſe ingerebat, niſi quando in injuriis DEO illatis vindicandis, tempus & occaſio ipſi permittebat. Itaque quingenteſimum vitæ ſuæ annum pertingens genuit tres filios, *Sem*, *Cham*, & *Japhet*; de aliis verò filiis progenitis ſilet *Moſes* in ſua *Geneſi*. Undè *Sancti Patres*, & inter cæteros Divus *Chryſoſtomus* ſatis mirari & deprædicare non potuit tantam ejus viri Continentiam, præſertim in prima illa Mundi ætate, quâ uti conjugio, & inſervire generationi filiorum, non modò honeſtum & laudabile, ſed & propè neceſſarium ducebatur; in illa inquam, ætate, quâ homines non contenti matrimonii legibus, laxatis cupiditatum frænis, ad omne libidinum & obſcœnitatum genus præcipites ruebant. Filios verò, *Sem*, *Cham* & *Japhet* in poſteri Mundi ſemen deſtinatos, in timore DEI erudiebat, nec ut perverſæ & ſpuriæ *Caini* progeniei commiſcerentur, permittebat; ne & ii ex fœda iſtiuſmodi hominum converſatione, labe contracta ſimiles illis fierent. Hiſce itaque perfectæ vitæ exercitiis dedito *Noëmo*, tempus venit, quo DEUS *Opt. Max.* Divini ſui conſilii arcanum ipſi aperuit, ſolumque *Noëmum* cum tribus filiis, & totidem uxoribus, prioris Mundi per *diluvium* perdendi, poſterique inſtaurandi rationem edocuit his verbis: *Finis univerſæ carnis venit coram me, repleta eſt Terra iniquitate à facie eorum. & ego diſperdam eos cum Terra*; *fac tibi arcam &c*: Hoc itaque fuit *Arcæ* fabricandæ principium; in quo uti nihil non admirabile eſt, utpote quod humani ingenii capacitatem longè excedat, ita quoque temeritatis præſumptioniſque pœnas non immeritò incurram, ſi illotis, ut ita dicam manibus, tanti momenti fabricam deſcribere & explicare contendero. Verùm cum particulari quodam inſtinctu, ad Divinæ Sapientiæ divitias, ac providentiæ opulentiam Mortalibus exponendam, me agitatum jam dudum ſenſerim, in ejus infinita

Generatio *Sem, Cham* & *Japhet.*

Continentia *Noë.*

Geneſ. 6.

nita bonitate confisus, opus aggredior, spe firmâ fretus, futurum, ut qui instinctum dedit, ipse quoque gratiam ad id pro tenuitate ingenii conficiendum, sit daturus, qui in suis, & velle & posse perficit.

SECTIO II.

De Fabrica *Arcæ Noëmicæ*.

CAPUT I.

De mira DEI Providentia in fabrica *Arcæ*.

DIvinorum Consiliorum profunditas tanta est, tùm in omnibus rebus Mundo præstitis, tùm potissimùm in *Arca Noëmi*, quam explicandam assumimus, ut humanæ mentis imbecillitas prorsùs in ejus mysteriis penitiùs considerandis, veluti abysso quâdam absorpta videatur. Dum ille, cui innumeri Mundi conservandi modi & rationes pro infinita sua potentia & sapientia suppetebant, genus tamen humanum perditum per *Arcam* ligneam, *Noëmo* Architecto & Nauclero subdelegato, veluti in quodam totius Naturæ penuario, conservare constituit. Quis non obstupescat, DEUM, cujus potentiæ non est numerus, nec terminus, eò se ad humano generi succurrendum, inclinâsse, ut quod ipse in ictu oculi præstare poterat, voluerit per alium agere, & in *Arca* extruenda Magistrum & Architectum sē *Noëmo* præbere, præcepta fabricæ præscribere, in negotio humana industria superiori, infusâ quâdam scientia ad rerum omnium, ad fabricam conficiendam necessariarum comprehensionem concedere, & superiori luminis radio illuminare in tanta rerum multitudine & varietate, non sit dedignatus? Sunt hæc inscrutabilia DEI judicia, quæ humanus intellectus non nisi per umbras quasdam conjecturarum attingere potest; quantum tamen ex similibus Divinis arcanioris consilii operibus colligere possumus, id propensioris consilii signum fuisse conjicimus: ut DEUS *Opt. Max.* quod ob scelerum in isto primævo Mundo hominum enormitatem, per hominem, mundum perditum voluit; per hominem, *Noëmum* videlicet, Typum *Christi* in Ecclesiæ suæ *Arca*, veluti alterum *Noë* conservaret; de quo in *Tertio Libro* pluribus. Sed jam ad rem.

Dignatio DEI O. M. in *Arcæ* fabrica.

Dixit itaque DEUS ad *Noë*; *Fac tibi* arcam, &c. Verùm antequam ulteriùs progrediamur, hîc variorum Textuum Lectiones hujus loci adducam, ut, si cui fortassis in tanta Textuum differentia dubium occurrerit, quomodò ii concordandi sint, Lector curiosus videret. *Genes. 6.*

Hebræa Lectio. Hebræa Lectio.

עשה לך תבת עצי גפר קנים תעשה את התבה וכפרת אתה מבית ומחוץ בכפר: וזה אשר תעשה אתה שלש מאות אמה ארך התבה חמשים אמה רחבה ושלשים אמה קומתה: צהר תעשה לתבה ואל אמה תכלנה מלמעלה ופתח התבה בצדה תשים תחתים שנים ושלשים תעשה: *Genes. 6. vers. 14.*

Græca Lectio 70. Græca Lectio 70.

Ποιήσον σεαυτῷ κιβωτὸν ἐκ ξύλων τετραγώνων· νοσσιὰς ποιήσεις ἐπ' αὐτῆς· καὶ ἀσφαλτώσεις αὐτὴν ἔσωθεν καὶ ἔξωθεν τῇ ἀσφάλτῳ. καὶ οὕτως ποιήσεις τὴν κιβωτὸν, τριακοσίων

σίων πηχέων τὸ μῆκος τῆς κιβωτοῦ, καὶ πεντήκοντα πηχέων τὸ πλάτος, καὶ τριάκοντα πηχέων τὸ ὕψος. Ἐπισυνάγων ποιήσεις τὴν κιβωτὸν. καὶ εἰς πῆχυν συντελέσεις αὐτὴν ἄνωθεν. τὴν δὲ θύραν ποιήσεις ἐκ πλαγιῶν· κατάγεια διώροφα καὶ τριώροφα ποιήσεις αὐτήν.

Id est,

Fac igitur tibi Arcam *de lignis quadratis : mansiunculas facies in ea, & bituminabis eam intrinsecus & extrinsecus bitumine ; & sic facies* Arcam *: trecentorum cubitorum longitudo* Arcæ *, & quinquaginta cubitorum latitudo , & triginta cubitorum altitudo ; Colligens facies* Arcam *: & in cubitum consummabis eam desuper : at portam facies ex latere : inferiora bicamerata & tricamerata facies eam.*

Lectio Chaldaica.

Lectio Chaldaica.

עביד לך תיבותא דאעין דקדרום מדורין תעביד ית תיבותא ותחפי יתה מנו ומברא בכופרא : ודין דתעביד יתה תלת מאה אמין ארכא דתביותא חמשין אמין פותייה ותלתין אמין רומה: ניהור תעביד לתיבותא ולאמתא תשבללינה מלעלא ותרעא דתיבותא בסטרה תשוי מדורין ארעאין תנינין ותליתאין תעבדינה :

Id est,

Fac tibi Arcam *de lignis cedri : mansiones facies in* Arca *: & operies eam intus & foris bitumine ; & sic facies eam: trecentorum cubitorum erit longitudo* Arcæ *: quinquaginta cubitorum latitudo ; & triginta cubitorum altitudo ejus ; fenestram facies in* Arca *: & in cubito consummabis eam desuper : & ostium* Arcæ *in latere ejus pones ; mansiones inferiores , secundas & tertias facies in ea.*

Lectio Arabica.

Lectio Arabica.

اصنع لك تابوتا من خشي الشمشار واصنعها طبقات وقفرها من داخل ومن جارح بالقفر ۞ وهذا مقدارما تصنعها عليه ثلثماية ذراع طولها ۞ خمسون ذراعا عرضها ۞ وثلاثون ذراعا سمكها ۞ واصنع لها ضياء والي ذراع تسكملها من العلو. وصير لها بابا من جانبها اسافل وثواني وثوالث تصنعها ۞

Id est,

Effice tibi Arcam *ex ligno buxi , & fac illam tabulatam, & illine eam interiùs & exteriùs pice ; & hæc est mensura secundùm quam facies illam. Trecenti cubiti longitudo ejus , quinquaginta cubiti latitudo ejus , & triginta cubiti crassities ejus ; & fac illi lumina , & ad cubitum perficies illa à summitate : & fac illi ostium à latere ipsius : infima , media , & suprema facies in ea.*

Syriaca Lectio.

Syriaca Lectio.



ܥܒܕ ܠܟ ܬܒܘܬܐ ܕܩܝܣܐ ܕܥܪܩܐ. ܘܥܕܝܪܐ ܥܒܕܝܗ ܠܬܒܘܬܐ. ܘܫܘܥܝܗ ܡܢ ܠܒܪ ܘܡܢ ܠܓܘ ܒܟܘܦܪܐ. ܘܗܟܢܐ ܥܒܕܝܗ. ܬܠܬ ܡܐܐ ܐܡܝܢ ܐܘܪܟܗ ܕܬܒܘܬܐ. ܘܚܡܫܝܢ ܐܡܝܢ ܦܬܝܗ. ܘܬܠܬܝܢ ܐܡܝܢ ܪܘܡܗ. ܘܐܘܝܕܢܐ ܥܒܕ ܠܬܒܘܬܐ. ܘܥܠ ܐܡܐܣܝܟܝܗ ܡܢ ܠܥܠ. ܘܬܪܥܗ ܕܬܒܘܬܐ ܒܣܛܪܗ ܥܒܕ. ܘܥܕܝܪܐ ܬܢܝܢܐ ܘܬܢܝܢܐ ܘܬܠܝܬܝܐ ܥܒܕܝܗ.

Id eſt,

Fac tibi Arcam *de ligno viminis : in manſiunculas compone* Arcam ; *& lini eam extrinſecùs & intrinſecùs bitumine ; Et hoc pacto facies eam Trecentorum cubitorum erit longitudo* Arcæ , *& quinquaginta cubitorum latitudo ejus , & triginta cubitorum altitudo illius ; & ſpeculas fac* Arcæ , *& cubito perſtringe eam ſuperne, & oſtium* Arcæ *in ejus latere facito : manſiunculam infimam & ſecundam, ac tertiam facito eam.*

Ecce hi ſunt præcipui *Textus*, qui in *Sacris Litteris*, juxta differentes editionum Lectiones proponi & exponi ſolent, in quibus nullus fere occurrit, qui quoad *Arcæ* proportionem, non idem habeat, uti enim *Arcæ* proportio DEI dictamine præſcripta fuit, ita quoque nil clarius luculentiuſque in ea deſiderari potuit, ut proinde non ſit mirum, omnes editiones differentium linguarum in unum, quoad *Arcæ* menſuram hìc conſpiraſſe. Sed jam explicemus ſingula.

Fac tibi Arcam ; Hebræa תבה habet Græca κιβωτὸν , Chaldæa , תבותא, Syriaca ܬܝܒܬܐ Arabica تابوة quæ vocabula ſeorſim conſiderata non aliud ſignificant, quàm *Ciſtam* quandam rebus in ea collocandis, aptam ; *Arcas* verò hujuſmodi utplurimum ſub forma parallelogrammi confici videmus , niſi quod ſubinde arcuato cooperculo inſtructas comperiamus , de quo paulò poſt. Unde colligimus , nullo modo in morem navigii fuiſſe formatam, ut plures perperàm ſentiunt, cujus latera in carinam arcuantur, & ſummitas ejus vel patet, vel concameratur ; neque in hac *Arca* quis exſpectet malum, varietatem velorum, *Arcam* nullis antennis aut carcheſio, funibuſque, aut temone puppi prorâque inſtructam, ſed ad modum *Ciſtæ* undique clauſæ & quadrangulæ, quæ infernè plana eſſet & æqualis quaquaverſum, id eſt , fundus *Arcæ* perfectum parallegrammum , quod & biſſongum vocant, referret ; ſuperne verò quaſi plana eſset , ita tamen , ut modicè in culmen, protuberatione exiguâ aſsurgeret ; quæ in *ſequentibus* copioſiùs aperiemus.

Arcâ nil habuit ſimile cum nave.

CAPUT II.

De Materia Arcæ *à* Noëmo *extructæ.*

POſt datam formam materia rectè ſubjungitur. Lectio Hebraica habet מעצי גופר ex *lignis lævigatis* ; Græca habet ἐκ ξύλων τετραγώνων, ex *lignis quadrangulis* ; Quod verò illud fuerit lignorum genus aut ſpecies, id ſane omnium pæne interpretum mentem non parum vexavit. Hebraica lectio habet / מעצי גופר / ex *lignis Gopher lævigatis* ; Quid verò *Gopher* ſit, nemo eſt , qui explicet : quidam per *Gopher* pinum , alii cupreſsum , abietem , aut laricem , ſimileſque picearum arborum ſpecies intelligunt; Ego quantum ex variarum lectionum conſideratione didici , vocem hanc *Gopher* minime alicujus certæ arboris ſpeciem eſſe, ſed genus cujuſcunque tandem arboris eâ denotari. *Onkelos in paraphraſi* ſua *Chaldaica* dicit , *Arcam* ex cedrinis lignis extructam. / מאעין דקדרוס / ex ligniscedri, quam *Thalmudiſtæ* ſequuntur , qui in *Tractatu de fabricis* quatuor cedri genera recenſent, & ſunt: עצי שמן ארז *lignum pinguedinis* ברוש *abies*, כדרום *Cedrus* ; Arabica lectio habet : من خشب الشمشار *ex ligno ſittin* , quod eſt unum ex lignis incomputribilibus, cui favent, qui ſequuntur

Ex quo ligni genere *Arca* fabricata.

Quadruplex genus Cedri.

tur ſententiam *Onkelos in paraphraſi Chaldaica*, dicentis ex cedro incomputribili ligno conſtructam. Qui verò ex arboribus ſulphur ſpirantibus, uti eſt *Terebinthus*, conditam volunt, quemadmodum *Oleaſter*, & *Rab. Salomon*, qui voce גפרית quod *ſulphur* notat, vicina voci *Gopher* גפר, decepti, à ſcopo plurimùm aberrârunt; qui verò τὸ ξύλον, ut *Septuaginta* habent, pro *goſsypii* frutice intelligunt, prorſus exſibilandi ſunt: quid enim *goſsypii* ſive planta, ſive frutex ad *Arcæ* fabricam conferre potuerit, nemo concipere poteſt, cum iſtiuſmodi frutex neque dolari, neque deaſciari queat; Et *Sacer Textus* luculenter ei repugnat, qui ex lignis lævigatis, dolatis, & in quadrangularem formam redactis conditam fuiſſe, dicit. Sed relinquamus hujuſmodi nugas; cum parùm referat, quibuſnam ex lignis *Arca* fabricata fuerit; hoc conſtat, *Noëmum Arcæ* conſtruendæ rationem uti DEO dictante accepit, ita quoque apta ad fabricam ritè perficiendam ligna inveniſſe; Undè ego ſalvo aliorum judicio, non ex unius ſpeciei ligno, ſed ex variis lignorum ſpeciebus, pro commoditate partium *Arcæ* exſtructam fuiſſe cenſeo, & ex voce *Gopher*, quod, ut *ſuprà* dixi, non determinatam arboris ſpeciem, ſed genericè omne lignum *Arcæ* aptum, ſignificat. Conſtat enim ex regulis Architectonicis, domum utplurimum non extrui ſolere ex uno ligno ſolummodò, ſed nunc hìc rudiori, ſolidiorique, illic nobiliori, alibi leviori, alicubi graviori; ita quoque *Noëmum* feciſſe probabile eſt. Quemadmodum enim arbores qualitate & quantitate differunt, id eſt, aliæ gravitate, levitate aliquæ, aliæ poroſitate, nonnullæ completioris ſubſtantiæ; aliæ mollis, aliæ durioris naturæ; ita quoque in *Arcæ* ſtructura factum eſſe credideris. Sunt enim nonnullæ arbores, quæ ex trabibus longiſſimis vigorem & robur fortiſſimè

Arca ex variis lignis conſtructa.

ſervant, & baſi ſanè quàm aptiſſime ſerviunt, humiditatemque arcent, cujuſmodi ſunt, cedri, abies, pinus, cupreſſus, & omnes fere arborum picearum ſpecies, cujuſmodi arbores recenſitæ ſunt; quæ uti ponderoſiores ſunt, ita quoque fundi ſubſtructionibus apte conducebant: Quædam verò contignationibus, aſſamentiſque tabulatorum committendis proderant; nonnullæ ad interiora manſionum receptacula, tectumque, ob inſitam ſibi levitatem præ aliis eligebantur. Neque hìc aliquis arbores etſi robuſtiſſimas pro *Arcæ* fundo aptas ſibi perſuadeat, quemadmodum ſunt quercus, fagi, terebinthus, Alni, ſimileſque, quæ etſi in magnam altitudinem excreſcant, quia tamen ramoſiores erant, quàm ut inde trabs longa & recta elaborari poſſet, ideò neglectas fuiſſe cenſeo; ſervire tamen potuiſſe pro iſtis palorum ſubſtructionibus, ſupra quos *Arca* fundabatur, de quibus poſteà. Reſtat itaque, *Noëmum* piceas iſtas arbores ſupra memoratas altitudine omnes cæteras ſuperantes pro fundamento *Arcæ* aſſumpſiſſe; Cedri enim paſſim in *Monte Libano*, immenſa altitudine aſsurgere dicuntur. Sed audiamus de hiſce Theophraſtum, qui lib. 5. cap. 9. de cedris aliiſque ita loquitur: *Nam in* Celtis *alibi, alibi cedrus miranda aſſurgit, ut in* Syria *videre licet; illinc enim cedri in montibus, tum longitudine, tum craſſitudine præſtantiſſimæ exeunt, quippè quæ adeò craſſeſcunt, ut ſint, quas ulnæ hominum quatuor nequeant amplecti, addunt his ampliores pulchrioreſque comperiri in hortis. Quod ſi quis ſinat, nec cædat, mirum in modum quodque arborum genus, modò ſibi proprium habeat ſolum, ex* creſcere poſſe *videtur. Itaque quod in* Cypro *Reges cùm ex imperitia, tum ex tranſportandi difficultate nunquam materiem cæciderint; longitudo ejus, quæ ad undeciremem* Demetrii *Regis cæſa ſunt, paſſuum tredecim quæ conficiunt* 65. *pedes Geometricos,*

Ligna quænam fuerint apta *Arcæ*.

Altitudo cedrorum.

ſive palmos 96. Audivi à *Maronitis*, incolis *Montis Libani*, cedros nonnullas ibidem in tantam proceritatem exſurgere, ut earum altitudinem diverſi, nunc centum, nunc 150 pedum invenerit. In *Corſica* quoque, teſte *Theophraſto, citato loco* adeò proceras arbores naſci, ut ex iis *Romani* ratem conderent, 50 velis ducendam, quam in pelago periiſſe addunt. Non dicam hìc de proceritate arborum, quæ paſſim in utraque tum *Ortiva*, tum *Occidua*, *India* provenire ſolent, tantæ altitudinis & craſſitiei, ut humanam fidem ferè vacillare cogant. In *Monte Ætna* corticem unicum ex caſtanea exciſum, integrum Ovium gregem concluſiſſe me vidiſſe memini. Non dicam de *Herciniæ Sylvæ* arborum proceritate, quæ ad 140. pedum altitudinem adoleſcunt. *Plinius* ampliſſimam ac proceritate ſtupendam, ſuo tempore ſe *Romæ* vidiſſe teſtatur, videlicet Laricem pedes 120 longam, quam veluti prodigioſam in ponte pro Naumachia expoſuerat *Tyberius Cæſar*; Cœtera legat, ſi placet, apud *Plinium*, *Theophraſtum* alioſque. Cum itaque cedrus, & reliquæ reſinaferarum arborum ſpecies, Pinus, Larix, Abies, ex ſe & ſua natura, proceritatis dignitatem præ cæteris ambiant, ita & à *Noëmo* præ cæteris ad fabricam electas fuiſſe, clarum eſt.

Arborum altitudo mira.

Caſtaneārum in *Ætna* monte vaſtitas.

Sed hæc non ita dicta velim, ut aliarum arborum lignis in reliquis *Arcæ* partibus non ſit uſus, ſed quod in primo fundo *Arcæ* longiores arbores tam ſolidæ in porrectorum, tranſverſorumque lignorum continuatione, hæ reliquis ipſi aptiores viſæ ſint. Nam ut rectè & peritiſſimè de fabricis navium, ex diverſis lignorum ſpeciebus conficiendis loquitur Theophraſtus; verba ejus ſunt: *Ad ſummam*, inquit, *quibus quæque materies commoda, quæque navibus ædibuſque commoda, explicare tentabimus; Abies, Pinus, Cedrus, ut ſummam contingam, materies ſunt aptiſſimæ navibus; Triremes enim, atque longa navigia ex abiete, lævitatis gratiâ faciunt; rotunda verò ex pino, quoniam non putreſcit; Nonnulli quoque Triremes ex ea condunt, quia abiete carent. Qui* Syriam Phœnicemque *incolunt, cedro utuntur; quia pino etiam egent*; Cyprii *carinæ quernam ſubiiciunt, ut cum in terram attrahitur, reſiſtere poſſit; Navibus onerariis pineam, atque etiam quernam ſubjungunt, cum extrahendas ædificant; non quidem in fundo navium, ſed loco ſubſtructionum, ſupra quas naves extruuntur; pinus enim & abies minimè ob naturalem antipathiam conglutinari poſſunt, utpote diſſimiles natura.* Pergit deinde exponere eas lignorum ſpecies, quæ ſingulis navium partibus commodiores ſunt, quas nè longior ſim, Lector *lib.* 5. *c.* 8. legere poterit.

CAPUT III.

De Bitumine, ejuſque ſpeciebus, quibus Arca *intus foriſque illita fuit.*

MAgnam Bituminis copiam ad tantæ magnitudinis *Arcam*, tùm foris, tùm intus, uti *Sacer Textus* memorat, oblinendam, neceſſariam fuiſſe, ex ipſa molis vaſtitate patet, Bitumine autem illitam fuiſſe, *Hebræa*, *Græca*, *Chaldaica* habent; quod enim *Hebræis* eſt כפר / *Chaldæis* כפורא / id eſt *Græcis* eſt ἄσφαλτον, quæ tertio vocabulo conſona ſunt, & bitumen ſignificant; *Arabica* habet زفت *Zephet*, quod picem aut reſinam ſignificat; eſt autem hæc differentia bitumen inter, & picem, quod illud ex intimis telluris viſceribus ebulliat, & inter mineralium fluores computetur; hæc verò uti & reſina, & omnes illi liquores, quos gummi vocant, ex vegetabili natura originem ſuam habeat, ex apertis arborum corticibus emanantes; Ex quibus patet,

Noë-

Noëmum non ſola pice & reſina in *Arca* illinenda, uſum fuiſſe, ſed magna ex parte bitumine; quamvis non incongruè quoque dici poſſit, picem bitumini ad ſolidiorem conſiſtentiam commiſcuiſſe; quod & *Naturalium rerum Scriptores* πισάσφαλτον, id eſt, *Picebitumen* vocant. Bitumen in *Mari Mortuo* præ omnibus Mundi partibus maxima copia provenit, undè & *Aſphaltici Lacus* nomen ſortitum eſt; nam ut rectè Cardanus, *non unum*, inquit, *bituminis genus eſt, ſed eſt, quod propriè Aſphaltum, cui tanquam differentes ſpecies generi ſubjiciuntur: piſſaſphaltum, naphtha, gagates, ampelites, maltha, thracius lapis; carbones foſſiles, ſuccinum, petroleum, Camphora, quamvis de bitumine liquido non duro, & ex ſaxis elicito, quæ hîc comprobanda, intelligenda ſint; non ita tamen liquido, ut non cum tempore lenteſcat induratum*; nam ut *Dioſcorides* ait, bitumen eſſe pingue quoddam *Lacus Aſphaltici* aquis innatans, quod undis ventiſque agitatum in littore concreſcit, denſatur, coit, tenaciſſimumque redditur, quoniam verò proprietatem habet ſulphuri haud abſimilem, & cuilibet humido potenter reſiſtit, optimum proindè pro illinendis eo navibus. Et quamvis vix Regio ſit, ubi non hujuſmodi bituminis veſtigia reperiantur; uti in *noſtra Hetruria* fuſè oſtendimus: cumprimis tamen id genus maximè celebre reddiderunt *Mare mortuum*, ſive *Lacus Aſphaltites*, *Babylonia*, & *Syria*; & ut multa paucis comprehendam, ubicunque loca ſulphurea, & Vulcanii montes vim ſuam exhibent, ibi fere ſemper bitumen ſe comitem præbet. In *Albuneo Lacu Agri Tiburtini* copioſum bitumen colligitur, quod ex intimis lacus inexplorabilis profunditatis viſceribus ebullit, quod & viminibus terreſtribuſque partibus commixtum, ex levitate inſulas natantes procreat, de quibus vide *noſtrum Latium*, & in *Hetruria noſtra de Thermis Thuſciæ*, & *Sulphureis Lacubus*, uti & in *Mundo Subterraneo de Campis Phlegræis*, & *Vulcaniis montibus*, *Ætna*, *Strongylo*, *Vulcano*, *Veſuvio*, ubi de bitumine quàm ampliſſime egimus. Quodnam verò genus bituminis optimum ſit ad illitiones navium; *Plinius* optimum eſſe ait illud, quod in *Lacu Aſphaltite* provenit: *Dioſcorides* præ reliquis valde approbat Judaicum; verùm hoc idem eſſe, quod Aſphalticum, ipſa Loci natura probat: Nam uti 14. *cap. Gen.* habetur, de pugna *Abraham* cum quinque Regibus in valle *Sodoma*; verba ſacri Textus ſunt: *Vallis autem ſylveſtris habebat puteos multos bituminis*: Jungitur hoc à *Moſe*, ut ſignificet Regem *Sodomæ* cum ſuis hunc locum elegiſſe, eo conſilio & dolo, ut hoſtes *Babylonii* horum locorum ignari, utpote peregrini, in hoſce puteos pugnando corruerent; ſed DEI beneficio factum eſt, ſcilicet, ut ipſimet *Sodomitæ* victi metuque perculſi in haſce foveas, quas hoſtibus pararant, ipſas morituri caderent. Quonam autem modo *Noëmum* bitumen præpararit in uſum oblinendæ *Arcæ*, cum nihil de eo dicat *Sacra Scriptura*, de eo nihil niſi conjecturâ aſſerere poſſumus. Veriſimile tamen eſt, bitumen prius liquidum, poſteà in glebas duriores aëris ſiccitate redactas, pice tamen mixta priùs decoctum fuiſſe, quemadmodum hodierna die Nautis uſu venit, & hoc pacto in uſum convertiſſe. Sed de his in *ſequenti Capite* pluribus.

Bitumine aſphaltico *Arcam* illitam fuiſſe.

Judaicum bitumen idem quod Aſphalticum.

Præparatio bituminis.

Bitumen in omnibus fere regionibus Sulphureis aquis redundantibus naſcitur.

Bitumen aſphalticum omnium celeberrimum.

Lacus Tiburtinus Albuneus.

CAPUT IV.

De Regione Edenia *in qua* Noë Arcam *extruxiſſe putatur.*

SAcræ Literæ de Loco, ubi *Arca* conſtructa fuit, nil dicunt, neque *Interpretes* hunc locum tangunt; Nos ne quicquam omiſiſse videamur, ad propoſitum nobis thema rite deſcribendum, eum hìc quantum exiguitas ingenii mei mihi permittet, explicare conabor.

Adamus ubi conditus.

Dico itaque, *Adamum* uti extra *Paradiſum*, à DEO in *Agro Damaſceno*, juxta ſententiam *Doctorum* magis probabilem creatus plaſmatuſque fuit, ita & in peccati commiſſi pœnam, *Paradiſo* ejectum, in vicino *Paradiſo* diſtrictu commoratum fuiſse; *Kain* quoque à facie DEI profugum in Terra ad Orientalem plagam *Eden* habitâſse, ibidem civitatem *Henoch* ædificaſse, *Sacer Textus c.* 4. refert. Cùm itaque ſuprà oſtenderimus, *Kainum* à *Lamecho Mathuſalæ* filio ibidem interemptum fuiſse; ibidemque vivente adhuc *Adamo*, ſtirpem *Adami Sethianam Kainitis* conjugio, id eſt, filios DEI cum filiis hominum, copulatam, malorum omnium, atque adeò humani generis per *Diluvium* perdendi occaſionem dediſſe; Certe & indubitate colligitur, *Terram Eden*, communem primævi Mundi patriarcharum patriam fuiſſe, ut proinde plerique Patriarchæ, *Set*, *Enos*, *Irad Henoch*, *Matuſala*, *Lamech*; *Adamo* ſynchroni, & non infrequenter, uti plerique *Authores* docent, ad eum veluti humani generis caput, & Judicem omnium de controverſiis inter ſuos ortis conſulturi confugerint; imò litem inter duas uxores & *Lamechum*, ratione *Caini* à *Lamech* interfecti ad *Adamum* delatam, non contemnendi *Authores* aſſerunt. Quæ cum ita ſint, jam ubinam *Terra Eden* ſitum ſuum habuerit, explicandum reſtat. Et ut paucis me expediam,

Eden Regio communis Patriarcharum incolatus.

Dico, *Aſſyriam* fuiſſe; *Aſſyria* verò propriè dicta non ſolùm *Syriam*, & univerſum *Libanum*, & *Ciſjordanem Judææ* partem, ſed & *Babyloniam*, *Meſopotamiam*, *Armeniam* in ſe complectitur; & in eadem *Paradiſum* extitiſſe, plerique ſenſatiores *Interpretes* indubiè aſſerunt, idque ex fluminibus *Euphrate* & *Tygri*, quæ *Sacer Textus* ex *Paradiſo* emanare tradit, colligunt. Atque hanc *Aſſyriam*, quæ ante *Diluvium* à voluptate *Paradiſi Eden* dicebatur, communem Primævorum Patriarcharum habitationem fuiſſe; atque in hac *Noëmum*, qui poſt obitum *Adami* 126. annis, uti *ſuprà* diximus, primum natus fuit, *Arcam* ſuam quingenteſimo vitæ ſuæ anno conſtruxiſſe, ita certum eſt, ut ei contradici ſine ratione non poſſit nec debeat; in hac quoque *Turrim Babel Noëmo* præſente ædificatam, *Abulenſis* ſcribit. Verùm ut Lector luculentius *Edenæ Regionis* ſitum perſpiciat, hìc ejus Chorographiam apponendam exiſtimavi.

Paradiſus in *Eden*, fuit plantatus.

Eden commodiſſima regio ad *Arcam* fabricandam.

Magnum ſanè & irrefragabile argumentum eſt, in hac *Edenia Regione Arcam* conſtructam fuiſſe, tum ob rationes *ſuprà* adductas, tum ob commoditatem loci, ad fabricam expediendam opportuniſſimam; Hinc enim partim ex *monte Libano*, partim ex *Meſopotamia* vicina, ingens cedrorum, aliarumque celſiorum arborum quantitas ei ſubminiſtrabatur; *Babylonicus* verò *Ager*, quem *Sacra Scriptura Sennaar* vocat, maxima bituminis copia, fluminis *Euphratis* beneficio, abundabat, uti etiam ex aſphaltici maris vicini *Judææ* bituminoſis fontibus; hæc enim loca bitumine melioris notæ vim magnam gignere, in præcedenti capite dictum fuit. In loco itaque, quem Mappa monſtrat, quantum conjecturà aſſequi poſſu-

30
35
Occidens
40
45
Descriptio
REGIONIS
EDENIÆ
Sedis et Patriæ Patriarcharum ante Diluvium ex mente Authoris.
Putei Sulphurei JUDÆÆ
SOBE. PARS.
LIBANUS
Henoch Civitas Gigantum prima omnium quæ in Sacra Scriptura memorantur à Cain fabricata.
MONS
Mare Rubrum
Ex monte Libano ligna Cedrina pro Arcæ fabrica.
Damascus
Hefron
SUR Desertum olim ante Diluvium fœcundissima postea limo lapidoso oppleta
Cauca
EDENIA
CHUS.
Locus fabricationis Arcæ.
Tei
ÆTHIOPIA
Meridies
Septentrio
ORIENTALIS
Ligna pro Arcæ fabrica
Fons Euphrat.
Mon
post
DILUVIUM.
MESOPOTAMIA
Cain
Abel
Fons Tigris
Euphrates fluv.
IBERIA.
Tigris fluv.
COLCHIS.
Sinus Persicus.
BABYLONIA.
Putei
Bitumi
Geon fluv.
ARMENIA MINOR.
Arca
Ararat mons
Terra Sennaar
Unde pix pro Arcæ fabrica.
Mare Caspium
Physon flu.
ARMENIA MAJOR.
Turris
Babel
PERSIÆ
TERRA
PARS.
HEVILA.
ÆLAM.
30
35
Oriens
40
45



posſumus, videlicet in *Agro Damaſceno*, & *Monti Libano*, & *Meſopotamiæ* vicino, *Arcam* extructam eſse, salvo tamen aliorum judicio, asſerimus, cùm locum opportuniorem ad istiusmodi negotium cum commoditate conficiendum, facta omnium locorum circumjacentium cum hoc combinatione, reperire non licuerit. Sed de hoc in *ſequentibus* uberiùs.

CAPUT V.

De Scientia Noëmi *in fabrica conficienda à* Deo *ipſi infuſa.*

NOn eſt dubium, accepto à DEO de *Arcæ* fabrica præcepto, *Noëmum* ſeriò cogitaſse de rebus ad tantæ molis fabricam, magnâ curâ, & ſollicitudine expediendam neceſsariis. *Primo* enim Divinæ ſapientiæ radiis illuſtratus, cognoſcebat perfectè proprietatem qualitatemque lignorum, contra omnem aquarum impetum & violentiam duraturorum. *Secundo* videbat quoque commiſsuras trabium adeò aptè jungi non poſse, quin aqua per rimas penetraret, unde iſtud incommodum prævidens, non niſi bitumine priùs quam optime præparato ei remedium dari poſse vidit. Hoc enim *Arcam* foris intuſque probè illitam, omnem aquarum impetum ſuſtinere poſſe, quam penitiſſimè perſpiciebat; videbat quoque cedrinis aliarumque arborum picearum trabibus & tabulatis, bitumen ex naturæ quadam ſimilitudine adeò intimè per unionem quandam ſympathicam jungi, ut unum quodammodo corpus cum ipſo conſtituat. Hiſce plenè conſideratis, jam ſeſe ad Architectonicas rationes à DEO ſibi præſcriptas converſus, ad tantæ molis opus haud dubie archetypon quoddam futuræ *Arcæ* veluti exemplar, modulum dico quendam, ut juxta tantam rerum varietatem, in eo tamquam in ſpeculo quodam, formam modumque, tum contignationum, tùm manſiuncularum in ea diſponendarum proportionem & ſymmetriam contueretur, neceſſariam cenſuit. Non enim veriſimile eſt, *Noêmum* in fabrica centum annorum, tumultuariè, ut dici ſolet, & ſine longa & matura deliberatione proceſſiſſe, ſed ex prototypo priùs à DEO ipſi inſpirato, rem tentâſſe, ut quid in *Arca* poſteà jungi, quid demi, quid & quomodò omnia melius diſponi poſſent, ediſceret; & hoc pacto leges à DEO præſcriptas quàm exactiſſimè ſervaret. Poſtquam verò audiſſet, totum viventis ſentientiſque animæ ſeminium in ea ſervandum, & pro ſingulis quadrupedum, volatilium, reptiliumque ſpeciebus recipiendis manſiunculas & receptacula conficienda, deinde tam pro ſe ſuiſque, quàm pro ſingulis animantibus juxta naturam & proprietatem uniuſcujuſque ſufficientem commeatum procurandum; piè certe cogitare poſſumus eum veluti attonitum exhorruiſſe, metuque perculſum hâc ad DEUM apoſtrophe uſum fuiſse, *O Clementiſſime, juxta atque juſtiſſime* DEUS, *cujus natura bonitas eſt, cujus ſapientiæ non eſt numerus. Quis ego ſum filius peccati, vilis hujus Terræ vermiculus, cui tanti momenti opus committis? Tu qui omnium corda noſti, ſcis, me artis fabrilis oppidò imperitum, neque me ad hujuſmodi fabricas animum unquam applicuiſſe: quomodo noſſe poſſum, niſi tua infinita bonitas & ſapientia me doceat, tot animalium differentes ſpecies, tot viribus & proprietatibus diſtinctas, quas ſempiterna tua providentia in hac* Arca *per me pauperem ſervum tuum ad renaſcentis Mundi ſeminarium conſervare conſtituit. Heu benigniſsime conditor meus, quò me vertam? Ubi primò opus mihi commiſſum incipiam neſcio. Tu noſti, quod præter camelos, equos, aſinos, pecudum pecorumque greges, aliaque animalia tam fera, quàm domeſtica, quæ patria hæc Regio producit,*

Scientia *Noë* in rebus ad *Arcæ* fabricam neceſſariis.

Noë primo archetypon *Arcæ* in parva forma conſtruxiſſe putatur.

Oratio *Noë* ad DEUM.

ducit, cæterorumque in peregrinis; quas nunquam vidi, Nationibus degentium, notitiam neque habeam, neque unquam habuerim, & quomodo pro ſingulis neceſſaria nutrimentorum genera procurabo, niſi tu me inſtruas, & ſuperno lumine illuſtres? Et quiſnam, benigniſſime DEUS, *illam innumerabilem animalium varietatem & copiam ex totius Orbis ambitu collectam, huc adducet? & quomodò ſingula conſociabuntur? quomodò ferocia à manſuetis, munda ab immundis ſeparabuntur? quomodò ſingulis locus eorum magnitudini aut parvitati proportionatus aſſignabitur? ſunt hæc debili & imbecilli ingenio meo ſuperiora: Hæc ſunt, quæ me terrent. Sed in tua infinita ſapientia & bonitate, uti mihi præcepiſti, ita quoque non niſi auxilio, & perpetua tua aſſiſtentia, me confecturum confido; Tu enim, æterne conditor, omnia in omnibus operaris.* Hiſce DEO magna lachrymarum ubertate propoſitis, veriſimile eſt, audiſſe Divinæ vocis ſibilum auribus ejus hujuſmodi verba inſurrantem: *Audi* Noë, *ſerve fidelis, quia tu ſolus ex omnibus, in tam intolerabili humani generis perverſitate exſtitiſti, qui viam mandatorum meorum tenuiſti, juſtus & perfectus in generationibus tuis; tu ſolus non commiſcuiſti te perverſorum hominum conſortio, ambulans coram me in ſanctitate & juſtitia omnibus diebus vitæ tuæ. Quapropter dignus es habitus, qui gratiam & benedictionem invenires coram me. Te itaque aſſumpſi ad magnum hoc, ſublime & arduum in ſemine tuo per* Arcam *tum conſervandi, tum inſtaurandi generis humani officium. Viriliter itaque age, & confortetur cor tuum, & ne dubites de mea erga te tuosque providentia; Ego tibi aſſiſtam in omnibus; Ego te de modo & ratione procedendi inſtruam; Ego tibi in tutores & adminiſtratores Angelos meos mittam, qui te in omnibus dirigant, & à dæmonum, qui tibi inſidiabantur, malignitate cuſtodiant. Fac itaque tibi* Arcam, *&c.* Hoc Divinæ vocis oraculo, uti credere licet, mirificè animatus *Noëmus*, omni depoſita diffidentia & anxietate animi excuſſa, commiſſum ſibi operis munus, magna conſtantia & fortitudine animi acceptavit, atque unà Divino hoc eloquio excitatus, mox omnia, quæ ad fabricam perficiendam, tum quo ad animalium ſtabula, nidoſque juxta cujuſque ſpeciei magnitudinem & parvitatem diſponendos, tum denique, quæ ad naturam & proprietatem uniuſcujuſque, juxta nutrimentorum unicuique ſpeciei propriorum commeatum, tum quo ad modum, unamquamque ſpeciem juxta mores à natura ei inſitas gubernandi exequi cœpit; Hæc inquam omnia, repentinâ luce, verborumque Divinorum efficaciâ perfuſus perfectè cognovit, neque veriſimile eſt, uti multi perperàm ſentiunt, *Noëmum* rerum omnium ſcientiam à DEO ſibi infuſam, ante *Arcæ* fabricam, haud ſecus ac *Adamum* habuiſſe. Nos veriùs aſſerimus, eum tunc primùm hanc ſcientiam ex Divini luminis illuſtratione obtinuiſſe, quandò DEUS illi dixit: *Finis univerſæ carnis venit coram me. Fac tibi* Arcam, *&c.* Quanquam non ignorem, *Noëmum* de plurimis artibus & ſcientiis à *Lamecho* patre ſuo, & *Mathuſala*, cæteriſque Patriarchis, Avis, & Proavis ſuis ab *Adamo* inſtructis, circa eas artes & ſcientias, quæ in illo primævi Mundi ſtatu adeò neceſſariæ erant, didiciſſe: Sed quæ ad *Arcæ* fabricam, quæ ad naturam proprietatemque animalium, quæque ad nutrimentorum unicuique congruorum, notitiam eorundemque gubernandorum rationem pertinerent, & quæ poſteris temporibus ad humani generis propagationem poſt *Diluvium* pertinerent, tum primùm divinâ luce, uti dixi, perfuſum hanc, quam dixi, ſcientiam ſibi revelatam accepiſſe; cum concipi non poſſit, quomodò *Noëmus*, ſine hac, ex tot tantiſque rebus diſponendis, ſolius humani ingenii fretus induſtria, ſe extricare potuerit.

CA-

CAPUT VI.

De Apparatu rerum ad Arcam *conſtruendam neceſſariarum.*

POſt notitiam itaque rerum ad *Arcam* neceſſariarum divinitùs ipſi revelatam, *Noë* nihil non egit, quò præcepta ſibi tradita, uti par erat, ſummâ cura & ſollicitudine, nec non prompto & vigili animo, in executionem deduceret. Quoniam verò ipſemet tanto operi conficiendo infufficiens erat, neque enim eum ligna dolâſſe, aut palos infixiſſe ſimiliaque vilia opera tractâſſe, credi poteſt qui vir grandævus, & inter ſuos in ſumma omnium veneratione veluti propheta, & benedictus à DEO, humani generis conſolator, ut à patre ejus *Lamecho* intellexerant, habebatur, ſed Architecturæ præſidem, & qui regulas ſolummodò fabris in *Arca* extruenda præſcriberet, fuiſſe, exemplo hujus temporis Architectorum docetur; præter filios, complures alios ex ſuæ progeniei nepotibus, pronepotibuſque probioribus, artis fabrilis magiſtros ſibi adſcivit, quos omnes de modo fabricam expediendi juxta prototypon, quod ipſe haud dubiè primò Divino dictamine effecerat, inſtruxit. Erant, uti credere licet, inter illos fabri lignarii, ferrarii, cœmentarii, alimentorum adminiſtratores, & veredarii, nautæ bituminis conductores ſimileſque operarii, qui omnes divino quodam nutu inſtinctuq; operam ſuam quàm libentiſſimè ad operis inauditi molitionem attoniti, mox contulerunt.

Noë in *Arca* fabricanda multis operis uſus eſt.

Primò itaque *Noë* negotium ſibi impoſitum incredibili animi fervore aggreſſus, quoſdam ex Operis in *Montem Libanum*, *Meſopotamiamque* ſcilicet vicinas Regiones, ad cedros, aliaſque arbores cædendas, quas alii lignorum jam cæſorum conductores in locum conſtitutum deveherent; Aliquos per *Eufratem* in *Babylonicum Agrum* bitumine fœcundiſſimum, aut etiam in *Iudæam*, ad id ex *Valle Sobe*, bitumine pariter uberrima devehendum amandavit. Rurſus, cum pro tanta Operarum multitudine, congrua alimentorum copia requireretur, vero haud abſimile eſt, eum primo nonnulla habitacula, tum pro ſe ſuiſque filiis, tum pro cæteris Operis, qui à laboribus diurnis debitâ quiete nocturnâ indigebant, tum in iis ad ſe contra æſtum ſolis, friguſque contutandos, neceſſaria conſtruxiſſe, reliquis operis prout poterant, caſis, tuguriiſque contra omnes aëris injurias munitis pro ſe conſtruentibus. Reconditorium quoque quod *Magazinum Arabes* مخزان vocant, ædificaſſe conjicere licet, in quo, rerum omnium ad vitam ſuſtentandam neceſſariarum; comeatus condebatur; Hophoterium quoque ſive Armarium extruxiſſe veriſimile eſt; in quo partim fabrilia inſtrumenta omnis generis, partim armorum varia genera, quæ *Tubalcain Lamechi* filius malleator & faber in cuncta opera æris & ferri, & cætera ſupellectilia, *Noëmo* ſuperſtite invenerat, quibus ſeſe contra impios Gigantes, qui vitæ *Noë* inſidiabantur, defenderent; Et quamvis *Sacra Scriptura* nullam de hiſce mentionem fecerit, qui tamen prodigioſum hujus operis molimen altiori animi reflexione conſideraverit, is non aliter, quàm ut dixi, contigiſſe, ſincerè fatebitur; noluit enim ad hujus operis executionem ſemper miraculoſis actionibus concurrere DEUS, ſed humanæ induſtriæ, videlicet *Noëmio* jam ſufficienter inſtructo ingenio multa relinquere expedienda.

Habitacula conſtructa.

Penuarii domus.

Armarii domus.

Locum verò alium non elegiſſe videtur ad fabricæ executionem commodiorem, quàm ingentem illam planitiem *Edeniæ Regionis* quæ *Libanum* inter, & *Meſopotamiam* interjacet, *Eupbrate*

fluvio terminatam. Rationes hujus rei sunt omni sensato viro manifestissimæ. *Primò* quia dictus Ager tum fluminibus irriguus, tum omni rerum ad victum necessariarum ubertate plenus est; *Secundò* quia *Babylonem* inter, *Syriam* & *Judæam*, primævorum ante & post *Diluvium* incolatu celebres regiones medium locum occupat, iique eam inhabitasse feruntur. Est enim etiamnum in radice *Montis Libani* qua *Damascum* respicit, pagus quidam, quem ab 8 hominibus id est ab 8 animabus qui postmodum *Arcam* ingressi fuerunt, in hunc usque diem ثمنون *Thamnin*, id est, ab 8 vocant; ibi enim *Noë* cum suis filiis uxoribusque filiorum habitasse pervetusta traditione referunt *Syri*. Ait & *Historia eorum* non ita hinc dissito loco qui *Hesron* dicitur terræ motu crepuisse disjectisque saxis reliquisque terrestrium portionum quisquiliis fossam inventam fuisse, quæ cedrina ligna complura probe dolata & perpolita sparsim exhibuerit; unde non inverisimili conjectura inferunt has ligneas trabes adeo bene dolatas alias esse non posse quam *Arcæ Noeticæ* ibidem extractæ superfluas reliquias quæ post *Diluvium* limo obductæ, & sedimento aquarum in clivos collesq; elato posteris tandem temporibus terræ motu detectæ, ut ex cedro confectæ, ita ab omni corruptione immunes extiterint, quin & *Adamum* post ejus ex *Paradiso* ejectionem, vicinam plagam *Edeniæ* incoluisse ex Textu 70 Interpretum luculenter ostenditur. Verba ejus sunt: Καὶ ἐξέβαλε τὸν Ἀδὰμ & κατῴκισεν αὐτὸν ἀπέναντι τῆς τρυφῆς. id est, *& ejecit* Adam, *& collocavit eum ante* paradisum *voluptatis*, ut videlicet consideraret Regionem omni felicitate plenam, à qua suâ culpâ exciderat, & peccatum suum unà pœnitendo deploraret; ex quo non incongruè *Tertiò* colligitur, *Paradisum* non intra *Armeniam* vastam, montibus & desertis confertam, neque in *Babylonia* multis Naturæ incommodis subdita; sed in *Mesopotamia* fuisse, quæ antiquæ felicitatis in hunc usque diem signa apertissima monstrare *Euphrates*, *Tygrisque Paradisi* flumina, quæ eam intercipiunt, sat superque docent; sed de hisce consule *Cartam Geographicam*, supra positam; de *Paradisi* vero loco & situ actum: vide verò *l.* 3. *particulari capite*. Sed ut ad *Noëmum* revertamur; *Quartò* addo aliam haud spernendam congruentiam, & est; quod sicut in ea Regione, in qua *Adam* per prohibitum à DEO ligni fructum, quem comederat, justitiâ originali privatus, totum humanum genus unà secum innumeris calamitatibus laboribusque involverat, eodem in loco lignum pararetur, quo genus humanum servaretur, & deindè à *Christo* per lignum crucis, cujus *Arca* typus fuit, id mirâ providentiâ à morte liberaretur, in *Monte Calvariæ*, in quo & *Adam* præcognito mortis suæ vicino tempore, *Edeniâ Regione* relictâ, Regionem ultramontanam, instinctu utique Divino, quam hodie *Judæam* vocant, petiisse, & ibidem in *Monte Moria*, mortis pœnam à DEO sibi ob commissum peccatum pronunciatam, subiisse, eodem prorsus loco, ubi *Christus* peccatum mortemque *Adæ* sua morte in ligno crucis destructurus erat. Quæ omnia pulchrè sanè prosequitur Tertullian. lib. 2. carminum, cap. 4. contra Marcionem.

Eden regio ubi prius *Paradisus.*

Quam *Adamus* instituit post ejus ex *Paradiso* ejectionem.

Golgotha *locus est, capitis* Calvaria *quondam,*
Hîc medium Terræ est, hîc est Victoria signum
Os magnum, hîc veteres nostri docuêre, repertum;
Hîc hominem primum suscepimus esse sepultum;
Hîc patitur Christus, *pia sanguine Terra madescit.*
Pulvis Adæ *ut possit veteris, cum sanguine* Christi
Commixtus, stillantis aquæ virtute lavari.

CA-

CAPUT VII.

Noë, Arcæ *fabricam incipit prævia exhortatione ad impiam gentem, quæ eum ad explorandam in tanto apparatu, cauſam intentionemque ejus, conveniſſe haud inveriſimiliter aſſeri poteſt.*

NOë quingentorum annorum ætatem agebat, quandò ei à DEO *Arcæ* conſtruendæ cura demandata fuit, & in ea elaboranda conficiendaque, ipſos centum annos inſumpſit, tempus utique à DEO ipſi præſcriptum, partim ne feſtinanter & tumultuariè tanti momenti fabricam, ſed cum ſumma deliberatione adminiſtraret; partim etiam ut hoc centum annorum ſpatium perverſis mortalibus, ad pœnitendum, ſi vellent, pro ſua infinita miſericordia, concederet; quin vel ipſum *Noëmum* tanquam prophetam ſuum ad eos miſiſſe, tradunt ferè plerique *Authores*, ut perverſæ genti conclamatum iſtius temporis mortalium ſtatum ante oculos proponeret, & ad pœnitentiam peccatores, & prævaricatores ad cor, ſi quo modo poſſet, reduceret, quod, niſi facerent, non aliud illis, niſi ultimum exitium reſtaret, omniumque per *Diluvium* interitus, atque hæc illis juſſu Divino prænunciaret: hac uti veriſimile eſt, apoſtrophe paræneticā.

Exhoratio *Noëmi* ad eos qui ad eum *Arcæ* explorandæ cauſæ confluxerant.

Vos venitis ad me, ô perverſa progenies Mortalium, non ad pœnitentiam agendam, quam vobis prædico, ſed ut in me ſervo DEI, *perverſa veſtra conſilia expleatis. Videte quid agatis;* DEUS *juſtus Iudex & vindex jam extendit manum ſuam ad exercendam contra vos juſtitiæ ſuæ vindictam; Et quænam tanta veſtra malitia, & impietas eſt, ut* DEO *terribili, & maximè formidabili reſiſtere audeatis? quæ eſt temeraria veſtra præſumptio, ut Omnipotenti Numini bellum indicatis? qui vobis cum innumera beneficia præſtiterit, Cœlum, Terramque in uſum veſtrum unà cum ſumma rerum omnium ad victum neceſſariarum copia conceſſerit; Vos ſanctitatem & juſtitiam ejus pedibus conculcare non verecundemini? Videte & conſiderate hujus primævæ ætatis ſtatum; proſpexit* DEUS *de ſolio ſancto ſuo, ut videret filios hominum, non eſt inventus, qui faceret bonum, non eſt uſque ad unum. Religionem, quam à primo parente noſtro* Adamo *ſucceſſiva traditione per* Sethum & Enos *acceperatis, in abominabilem idololatriam convertiſtis; Inſtructionem cœleſtibus documentis plenam, præcepta vitæ & diſciplinæ, quæ vobis tradidère, expunxiſtis, conculcâſtis, annihilâſtis. Miſti ſunt filii* DEI *ex ſtirpe* Sethi *cum filiis hominum perverſiſſimorum è maledicta ſtirpe* Cain; *unde ex ſacrilego hoc conjugio Mundus inundatus, in omnium ſcelerum facinorumque intolerabilium ſentinam evaſit; ſanguis ſanguinem tetigit: Surgunt Gigantes, maledicta progenies, qui promiſcuis & indiſcretis hominum cædibus vel ipſam Terram effuſo ſanguine fœdârunt. Scelerum ſacrilegorum inceſtuumque cum matribus, ſororibus, ipſis brutis, uti nullus modus, ita proſcripto omni Divini Numinis metu, lege naturæ cordibus veſtris impreſſâ conculcatâ, tam turpia, fœda, abominanda committitis, ut vel ipſa Terra eorum iniquitatibus corrupta vindictam clamet in cœlum, quem peccatorum vitiorumque fœtorem cum ampliùs ſuſtinere non poſſet,* Henoch *atavus meus vir ſanctus, juſtus, & Divini honoris Zelotes, raptus eſt à* DEO, *ne enormem hanc peccandi licentiam, & conclamatam hominum impietatem oculis ampliùs intueri liceret. Reſpexit &* DEUS, *qui mentium humanarum corruptelâ expenſâ, tanto furore & indignatione correptus fuit, ut eum ſe feciſſe hominem, pœnituerit, & intrinſeco cordis dolore, ut huma-*

humano more loquar, tactus ſubtracto ſpiritu ſuo mundum unà cum hominibus in eo contentis, perdendum cenſuerit. Eccè reſtant vobis ad pœnitendum centeni adhuc anni; & ſcietis, DEUM, *cujus eſſentia bonitas eſt, ſinum miſericordiæ ſuæ adhuc apertum habere, ejus gratiam vobis oblatam ſi reſpuatis; notum ſit vobis, quod & vos per* Diluvium *aquarumque omnibus montibus altiorum inundationem & univerſam viventis animæ ſubſtantiam, ubi malitia veſtra completa fuerit, perdet. Hunc Mundi interitum ego juſſu Divino vobis prænuncio, ne exitium vobis imminens neſciſſe dicere poſſitis. Quod verò riſu me ſibiliſque excipiatis ob inſanæ molis, uti vos dicitis, quam molior fabricam, illa illa erit* Arca *à* DEO *mihi præſcripta, in qua ad Mundum, quem* Diluvio *perdet, in paucis hominibus inſtaurandum, me meoſque conſervabit. Valete verborum meorum haud immemores.* Hujusmodi admonitione ad eos habita, ipſi ſpretis *Noëmi* verbis, imò cum riſu & ſibilo exceptis in morum perverſitate pertinaces & obſtinati, voluptatibuſque ſuis contenti perire maluerunt, quàm à perverſa vitiorum conſuetudine recedere. *Noë* verò ſeriò tandem ad *Arcæ* fabricam extruendam juxta Leges à DEO ſibi præſcriptas eo modo qui ſequitur, ſeſe accinxit.

Ante omnia igitur in planitie illa vaſta ad operis executionem ſibi conſtituta, ſpacium trecentorum cubitorum ſecundum futuræ *Arcæ* longitudinem, & ſecundum latitudinem 50 cubitorum dimenſus eſt. Verùm antequam ulteriùs progrediamur, quid per cubitum *Arcæ* menſuram communem intelligatur, explicandum reſtat, ut ex ea *Arcæ* ſymmetria & proportio unà cum ejuſdem neceſſaria capacitate perfectè cognoſcatur; conſiſtit enim in hujus veritate menſuræ, totius fabricæ capacitatis perfecta notitia.

CAPUT VIII.

De Cubito, Pede, Palmo, Menſuris Arcæ.

ET Cubitorum quidem numerus, utpotè à DEO præſcriptus, per quos *Arcæ* ſymmetria conſtituenda eſt, in ſe certus & evidens eſt, ſed longitudo ejus latitudoque, ne per cubitos nunc majores, & minores, nimis longa, aut nimis brevis evadat, omnium hucuſque *Interpretum* ingenia mirè exagitavit. Qui enim hoc loco cubitum unum geometricum, ſex pedum longum ſtatuunt, toto cælo aberrant: quos inter *Origenes* unus fuit, qui timebat, ne *Arca* forſan, ſi cubitum communem adhiberet, ad tantam animalium multitudinem capiendam, nimis ſtricta videretur, ſed uti geometricas menſuras non aſſecutus eſt, ita quoque portentoſam *Arcæ* vaſtitatem exhibuit, uti jam demonſtro. Cubitus, quem hìc producit, cum ſex pedibus conſtet, idem eſt, ac paſſus geometricus ſex pedum, ac proindè *Arcam* longitudinem habuiſſe oportuiſſet 1800 pedum geometricorum, qui exæquant unum integrum milliare Italicum & prætereà octingentos pedes; quæ vaſtitas adeò grandis eſt, ut ea concipi nullo modo poſſit: cui ſi latitudo ejuſdem acceſſerit 300 pedum geometricorum, illa quaſi $\frac{1}{6}$ milliarii explebit; altitudo quoque in 180 pedes geometricos excurreret. Si porrò *Arcæ* longitudinem in latitudinem ſub hoc cubito, id eſt, 1800 pedes in 300 duxeris, prodibunt 540000 pedes geometrici, qui per 1000 diviſi, dabunt quadratam, *Arcæ* ſuperficiem 540 milliarium; atque adeò *Arca Territorio Romano* multo amplior fuiſſet; imò in unius milliaris cubico receptaculo, omnes ferè animantium

Ingens error eorum, qui *Origenem* ſequentes, cubitum 6 pedum geometricorum conſtituunt.

Typus Laborum
in exstruchione ARCÆ
exantlatorum



tium ſpecies includi potuiſſent Si rurſum quadratum 540000 per 180 altitudinem *Arcæ* multiplices, provenient 97200000 pedes cubici, qui per 1000 diviſi, dabunt cubica milliaria 97200, & tot milliarium cubicorum *Arca* juxta *Origenem* fuiſſet, ſi cubitum geometricum ſex pedum pro menſura *Arcæ Noë* ſumpſiſſet; unaquæque trium contignationum habuiſſet 32400000 pedes, qui diviſi per 1000 faciunt milliaria cubica 32400, quæ amplitudo, uti excedit fidem humanam & rationem, ita quoque inter fabuloſas narrationes relinquatur; calculus ſequitur.

300 Longitudo *Arcæ*.
6 Multiplices per 6 pedes, quibus unus cubitus conſtat.

Longitudo 1800 pedes geometrici unius cubiti.

hi in 300 ducti dabunt 540000 quadratam ſuperficiem *Arcæ* in pedibus.
180 hi in quadratum ducti dabunt 97200000 milliaria cubica totius *Arcæ*, quæ per 1000 diviſa dabunt 97200 milliaria Italica.

Calculus longitudinis, latit. & altitud. *Arcæ* juxta *Origenem*.

50 Latitudo *Arcæ*.
6 Per 6 pedes multiplicata dabunt 300 pedes geometricos, quorum cubitus unus tenet ſex.

30 Altitudo *Arcæ*.
hæc per 6 multiplicata
dabit 180 pedes geometricos.

Undè vaſtitas *Arcæ* tam enormis fuiſſet, ut, non dicam animantium, ſed & hominum inſuper alicujus integræ provinciæ ſat capax fuiſſet; quæ omnia ei ſoli patebunt, qui geometricarum artium haud imperitus fuerit; in quibus ſubindè proportionum progreſſiones in tantum excreſcunt, ut fidem humanam eludere videantur, quemadmodum in *Arte noſtra Combinatoria* fusè demonſtravimus.

Hanc oppidò exorbitantem granditatem cum viderent *Interpretes*, aliam ſibi cubitorum ad pedes palmoſque proportionem elegerunt; Sed & hi inter ſe plurimum diſſonant. Nos ne in refellendis aliorum erroribus tempus perdamus, cubitum communem à veteribus *Romanis* uſurpatum ad veram, appropriatamque *Arcæ* menſuram expediendam aſſumpſimus. In quo verò cubitus hic communis conſiſtat, paucis explicandum duxi.

Cubitus Romanus ceu veriſſimus ad *Arcæ* fabricam ſufficit.

Collatio menſurarum ad humani corporis membra comparata, uti ſanè mirabilis eſt, ita quoque non temerè aut caſu conſtituta videtur. Veteres enim *Sapientes*, *Hebræi*, *Græci*, & *Latini*, menſuras non à quolibet homine deſumendas cenſuêre, ſed à tali homine, cui Natura dediſſet veram & naturæ humanæ congruam omnium membrorum proportionem ad invicem perfectam, & omnibus numeris abſolutam; ab homine, inquam, non monſtruoſæ, & giganteæ magnitudinis, prout nonnulli *Interpretes* hoc loco, ex Gigantum ante *Diluvium* exiſtentium cubito, deſumendam perperàm exiſtimarunt; neque ex Nanorum, Pygmæorumque corporum proportione, aliorumve hominum defectuoſorum, & malè proportionatorum, ſed ex perfecti hominis ἀριθμία, quem natura ſine defectu producere potuiſſet, menſuras deſumpſiſſe, adeò certum eſt, ut de eo non niſi inſenſatus dubitare poſſit. Talis eſt cubitus, pes, palmus, quorum menſuras hìc proponemus. Et cubitus quidem ſeſquipedem, pes ſex palmos, palmus tres digitos continet. Nota tamen, nos hìc non palmum Romanum, quorum unus & dimidius pedem, & tres cubitum adæquant, ſed particu-

Menſuræ à proportione humani corporis deſumptæ ſunt.

Non ex Giganteo aut Nani corpore, ſed proportionato corpore menſura deſumitur.

las digitorum in tranſverſum ſumptas, pro palmo accipere, quam & palmam dicunt, eſtque latitudo tranſverſa extenſæ manus abſque pollice, uti in *ſequenti Schemate* patet.

DIMENSIO MANUALIS.

EPILOGISMUS

Partium menſuræ, unà cum ſpeciebus ejus, in quas omnis menſura reſolvitur.

Digitus habet 4 grana congruè diſpoſita.
Uncia habet 3 digitos.
Palmus habet 4 digitos in tranſverſum ſumptos.
Dichas habet 2 palmos, ſive 8 digitos.
Spithama habet 3 palmos, ſive 12 digitos.
Pes habet 4 palmos, ſive 16 digitos.
Seſquipes 6 palmos.
Paſſus ſimplex habet 2 pedes cum dimidio.
Paſſus geometricus 5 pedes.
Pertica, ſive *Decempeda* 10 pedes.
Cubitus habet 6 palmos.
Stadium habet 125 paſsus.
Milliare Italicum habet 1000 paſsus.
Milliare Germanicum majus 4000 paſsus.
Milliare Germanicum minus habet 32 ſtadia, ſive 3900 paſsus.

Atque hæ ſunt menſuræ, quas partim ex *Vitruvio*, *Frontino*, partim ex *Appiano*, *Budæo* aliiſque depromſimus, eſtque veriſſima & certiſſima menſurarum in ſuas legitimas partes, quæ à grano hordei uſque ad milliaria extenduntur, diſtributio, & tam *Latinis*, quàm *Græcis* & *Hebræis* congruit. Frontinus inter cæteros pulchrè dictam menſurarum diſtributionem deſcribit: *Pes*, inquit, *habet palmos* 4. *uncias* 12. *digitos* 16. *Palmus habet digitos* 4. *Uncias* 3. *Sextans ſive dodrans habet palmos tres*, *uncias* 9. *digitos* 12. Columella, *Omnis*, inquit, *area pedali menſura comprehenditur, qui digitorum eſt* 16. Cubitum quoque ſeſquipedali menſura definiunt plerique jam *citati Authores*. *Græci* inter menſurarum genera δάκτυλον, ſive digitum faciunt minimum. *Dioſcorides* herbarum radices, caules, frondes deſcribens, plerumque earum latitudinem digitis definit, quod non de longitudine digitorum, ſed ex indicis, eo in loco ubi palmæ jungitur, latitudine tranſverſa intelligas velim, uti *ſuprà in Schemate* patet. *Hebræos* & digiti menſuram in minutioribus rebus adhibuiſſe, ex illo Iſaiæ colligitur, *opus manuum ſuarum adoraverunt*, *quod fecerant digiti eorum*, Textus habet: באצבעתיו. Jeremia de alterutra ex columnis æreis loquens; *porrò*, inquit, *craſſitudo ejus* ארבע אצבעות *quatuor digitorum*. Huic proximè ſuccedit palmus quaternis conſtans digitis, qui ſi *Romani* ſint, tribus *Romanis* unciis ſunt pares, quæ & *Græcis* δοχμὴ ab accipiendo dicitur, δοχμὴ ὤν, dicit *Pollux*, συγκλειόντες οἱ τέσσαρες δάκτυλοι: id eſt, δοχμὴ *ſive palmus ſunt quatuor concluſi digiti*, tranſverſa enim manu metimur, & δακτυλοδοχμὴ dicitur, quaſi diceres digitorum palmam. Hæc eadem menſura *Græcis* παλαιστὴ dicitur; de qua *Heſychius* παλαιστὴ, inquit, τεσσάρων δακτύ-

Frontinus de menſuris.

Columella.

Dochme quid?

Παλαιστὴ quid Græcis?

δακτύλων μέτρον, *Palæſte quatuor digitorum menſura*, videntur *Græci* eam ab *Hebræis* accepiſſe, quam טפח *Tophahh* dicunt : ita habetur Exod. 25 vers. 25. ועשית מסגרת טפח סביב & *facies coronam interraſilem in* Tophah, id eſt, *altam quatuor digitis. Septuaginta*, Καὶ ποιήσεις αὐτῇ παλαιστὸν κύκλῳ. Ubi Onkelos in paraphraſi: תעבית ליה נדנפא הומיה פושכה *facies ei coronam interraſilem altam pugillo*, id eſt, palmo, hæc enim idem ſonant, *per circuitum.* Arabica lectio habet: وتعمل لها حاشيته مقدار قبضة بالدور

Vides itaque ex hiſce citatis verbis *& facies ei coronam trabalem menſurâ palmi in circuitu. Palæſten* Græcè; *Phuſco* Chaldaicè & *Kaphte* Arabic قبضة nil aliud ſignificare, quàm palmum quatuor digitis conſtantem; & probatur ex *lib. Paralip. l.* 2. *c.* 4. *n.* 5. de craſſitie maris ænei; ubi omnes verſiones menſuram palmi habent, idque trium unciarum craſſitudinem habuiſſe *Interpres vulgatus* tradit; eſt enim palmus, uti ſuprà oſtendimus, quatuor digitorum; & trium digitorum uncia, ubi & pedem in palmos 4 digitos 16 unciaſque 12 partiti ſumus. Atque hìc palmi & palmæ tam celebris uſus hucuſque introductus & illius permutatio illud planè convincere videtur, quod ſuperiori capite probandum ſuſcepimus, & humana palma palmi nomen & menſuram ab initio deſumptam fuiſſe, id quoque de cubito dici debere, jam reſtat explicandum.

Perſpicua ex hiſce ſatis ſit Lectori *Romanorum* de hiſce menſuris ſententia, cum *Vitruvium* audierint aſſerentem, cubitum ſex palmis conſtare, digitis 24 pedem palmos habere 4 digitos 16. Unde & nullo pænè negotio colligitur, cubitum pedem unum habuiſſe cum dimidio, toties enim ſenarius palmorum numerus, quem habet cubitus, continet quaternarium eorundem palmorum numerum, quem pes habet. Cubitus menſura pariter æquat humanum brachium quod πῆχυς *Græcis* dicitur, eſtque pedis unius & dimidii, ut Heſychius tradit: *Cubitus*, inquit, *eſt pes unus cum dimidio.* Et Suidas : *Cubitus eſt*, inquit, *extenſio à cubito uſque ad digitos manûs, cubitus verò habet pedem unum & dimidium.* Pollux, *Cubitus*, inquit, *eſt menſura, quantum à flexura cubiti uſque ad ſummitatem medii digiti intervallum patet.* Non ignoro, alios alias tradere menſurarum regulas; verùm, uti illorum opiniones ſunt incertæ, & nullo ſubnixæ fundamento, ita quoque liberè rejiciuntur, donec probentur. Nos ſecuti *Hebræorum, Græcorum, Latinorum*que & potiſſimùm *S. Hieronymi* documenta, conſtanter aſſerimus, palmum, de quo hoc loco agitur, eſſe quatuor digitorum, & conſequenter cubitum 24 digitorum, id eſt ſex palmorum, ſeu quod idem eſt, palmum eſſe ſextam partem ſtaturæ humanæ, ſpithamam autem, quam *Hebræi* זרת vocant, menſuram eſſe æquivalentem medio cubito, qui æquivaleat palmis, vel 12. digitis, quorum duplum, ſive 6 conficiunt cubitum. Legat de doro, dydoro, tetradoro, pentadoro, quæ menſura palmorum eſt, à muneribus manu extenſa accipiendis ſic dicta, *Plinium l.* 36. *c.* 14. Atque hanc menſuram hìc congruam, & *Arcæ* noſtræ quàm aptiſſimam aſſumimus; neque timeant nonnulli *Origenis* ſectatores, hoc noſtro aſſumpto cubito dimenſam *Arcam* noſtram, multò minorem quàm ut tot animantibus capeſſendis ſufficiens ſit, futuram; noſtrum erit in decurſu operis, non ſolùm eam capaciſſimam, ſed & ſuperabundantem eſſe ὑποδειγματικῶς oſtendere. Si quis verò noſtro repudiato cubito, geometricum cubitum aſſumere voluerit, hic *Arcam* immodicæ & oppidò exorbitantis vaſtitatis conſtituet. Qua de cauſa *Gnoſtici*, eorumque ſectatores *Athei* plura ex *Sacris literis* deducta loca, hiſtoriaſque ſacras, prorſùs incredibiles faciunt, quod ſic oſtendo. Dicunt *Gnoſtici*

Cubiti ſacri quantitas.

Cubitus ſeſquipedalis ſacro pariter & profano congruit.

ſtici Hæretici unum cubitum continuiſſe 9 pedes; hos multiplicemus in 300 cubitos, longitudinis *Arcæ*, prodibunt 2700 pedes, & 9 iterum in 50 latitudinis *Arcæ*, & habebis 450 pedes, hoſce multiplica cum longitudine, & prodibit 1215000. quadratum fundi *Arcæ*. hanc ſummam multiplica per 270 pedes altitudinis, & prodibunt pedes cubici 328050000 ex quibus unuſquiſque horum conſtabit cubo uno pedum æqualium per longum, latum & profundum. Unde Lector reſolutione facta in paſsus & milliaria, tantam fuiſse hujus *Arcæ* vaſtitatem reperiet, ut *Romana Urbs* cum toto circuitu, & Territorio ſuo vix ejus capax fuerit. Patet itaque abſurdam eſse hanc opinionem. Quam abſurditatem ut luculentiùs demonſtrem, producam menſuram duorum Gigantum, quorum mentionem facit *Sacra Scriptura*, *Og* videlicet Regis *Baſan*, cujus lectum ferreum *Sacer Textus* ſcribit fuiſse 9 cubitorum longitudine; & 4 latitudine; hoc loco ii, qui *Arcæ* capacitatem enormiter grandem, uno ſcilicet cubito 9 pedum aſsumpto, ſe defendunt, utuntur; ſed hallucinantur graviter, & fabuloſis *Rabbinorum* narrationibus involuti, non poſsunt non in quàm abſurdiſſima incidere; ſi enim multiplicaveris 9 pedes in 9 cubitos, quos longitudinem lecti ferrei *Oggi* Gigantis *Sacra Scriptura* obtinuiſse dicit, & 4 cubitos latitudinis, ſequetur, *Og* ſtaturam fuiſse 81. pedum, & 36 pedum latitudinem habuiſse; atque adeò inſtar turris comparuiſſe, quod quàm contra naturam ſit, quis non videt? cum illa humanis juxtà ac animantium corporibus certos conſiſtentiæ terminos attribuerit, quos non excedit. Quæ verò more ſolito *Rabbini* fabulantur, riſui potiùs, quàm fidei humanæ exponenda ſunt. Ajunt enim, hunc lectum ferreum fuiſse ſolummodò cunas *Oggi*, & cum eſset adhuc puſio, in eo requieviſse; ponamus enim puerum proportionem habere ad virum perfectum, ut 1 ad 3 neceſsariò ſequitur, *Og* puerum habuiſse 3 cubitos in longitudine, id eſt, fuiſse 27 pedes longum, & 27 cubitos (ô egregium ſanè puerulum!) cum ad perfectam ætatem & virilem veniſset, habuiſse, id eſt, 243 pedes, quo nil abſurdius fingi & excogitari poteſt. Non igitur in menſura lecti ferrei intelligendi ſunt cubiti 9 pedum, ſed cubiti, quorum nos hoc loco menſuram deſcripſimus, ex quorum computu cognoſcemus, lectum *Og* non niſi 13½ pedum longum fuiſse & latum 6 quæ menſura melius ſuſtinere poteſt etſi inſolitam, & exorbitantem adhuc humanæ ſtaturæ granditatem; neque enim veriſimile eſt, *Og* præciſè totius lecti longitudinem, & latitudinem explêſse, undè detractis à longitudine lecti duobus pedibus ſuprà & infra, *Og* non niſi decem pedum fuiſse cenſebitur. Hunc autem cubitum à nobis propoſitum verum eſse, menſura Hebraica, quæ per vocem אמה cubitum explicat, ſat docet; neque diſsonat Chaldæus Paraphraſtes hiſce verbis:

וערשיה הערסא דברזלא תשע אמין באמת איש:

id eſt, *Lectus ferreus ejus fuit 9 cubitorum, in cubito Viri. Græca 70.* ἐννέα πηχῶν τὸ μῆκος αὐτῆς καὶ τεσσάρων πηχέων τὸ βῆμα αὐτῆς ἐν πήχει ἀνδρός. Cui *Hebræa* reſpondet: באמת איש. ubi lectio *Arabica* habet: علي قياس ذراع يد رجل *ad menſuram cubiti manus hominis, ſive virilis*; undè rectè concluditur, hîc non intelligi cubitum *Og* Gigantis, ſed cubitum viri perfecti, & optimè proportionati; aliàs enim cubitus ille non eſset communis & legalis, ſed exoticus, peregrinus & Gigantibus ſolummodò accommodatus, quem lex vetat, ut ex ſequentibus patet. Legitur *lib. 1. Reg. c. 16. Goliath* altum fuiſse ſex cubitis & palmo, quos cubitos, ſi geometricos, juxta ſententiam eorum, quos *ſuprà* refutavimus, dixeris, *Goliath* neceſsariò altus fuiſse demonſtrabitur 54 & uno

Cubitus geometricus ab *Arca* rejicitur.

Lecti *Og* quantitas.

Lectus ferreus *Og* regis *Baſan*.

Deut. 3. verſ. 11.

Staturæ vaſtitas *Og* regis *Baſan*.

Fabula *Rabbinorum* de *Oggi* dum adhuc puer eſſet, magnitudine ex ferreo lecto collecta.

Cubitus ſacer applicari Giganteo cubito non poteſt.

Goliath ſtatura quanta ſit juxta eos qui geometricis cubitis utuntur.

uno palmo; quam menſuram ſi juxta corporis humani ſymmetriam & proportionem diſtribuas, clarum eſt, caput ipſius fuiſſe novem pedum, à menti extremitate ad verticem, ad quam proceritatem cum corpus humanum non poſſit pertingere, ita quoque fieri non potuit, *Davidem* caput ejus vaſtiſſimum, & ſeipſo grandius, graviuſque ad *Saulem* transferre potuiſſe; tranſtulit autem, & coram *Saule* id exhibuit. Patet ergò ex adverſariorum argumento abſurdum.

Vera *Goliath* magnitudo.

Dicimus autem juxta cubitum à nobis aſſumptum decem pedum communium fuiſſe, id eſt, palmorum hodiè uſitatorum 15 ad quam altitudinem vix homines pertingunt. Pari pacto in *Exodo* altare fieri præcipitur trium cubitorum, qui ſi pro geometricis ſumatur 9 pedum, altare neceſſe eſt fuiſſe 27 pedum, ac proindè nullius in ſacrificiis uſûs, niſi ſcalis ad aram admotis, quod à ſacrorum ritu prorſùs abhorret; juxta noſtrum verò cubitum non fuit niſi 4½ pedibus altum, quod rationi conformius eſſe, nemo niſi inſenſatus inficiabitur. Innumera hoc loco paſſim ex *Sacris Literis* de noſtri cubiti certitudine adduci poterunt, ſed hæc ſufficiant.

Altare à *Moyſe* extructum.

CAPUT IX.

De Proportione Arcæ *ad ſymmetriam corporis humani, & de ejus capacitate.*

Eſt in proportione corporis humani neſcio quid τὸ θεῖον, *Divinum* tanta omnium membrorum harmonia & ſymmetria conſtitutum, ut nulla in eo reperiatur vel minima portio, quæ non ad alias quàm exactiſſimas habeat analogiæ leges; verùm mirari deſinet Lector, ubi primam humani corporis originem penitiùs expenderit; cùm enim DEUS *Opt. Max.* pro infinita ſua ſapientia illud ex limo plaſmaverit, ei utique eam membrorum ad invicem proportionem tribuit, ut quemadmodum homo plaſma DEI, omnium corporearum ſubſtantiarum eſt excellentiſſimum, majoris Mundi compendium, Sacro Sanctæ Triadis ſignaculum, ita quoque in hoc unico manuum ſuarum opere, omnes corporearum rerum proportiones & menſuras complicaſſe videtur. Non dicam hîc de majoris Mundi ad minorem analogia perfectisſima; ſileo de admirandis omnium herbarum, plantarum, animaliumque virtutibus, quæ ſemper hominem in omnibus reſpiciunt, ſed enim cum hæc compluribus argumentis in *Operibus noſtris*, *Muſurgia*, & *Mundo Subterraneo* quàm copioſiſſimè proſecuti ſimus, eò Lectorem ablegamus: ſolùm hoc loco agam de memorandis fabricis, quas nobis *Sacræ Literæ* exhibent; uti *Arcam Noë*, *Altare Moſaicum*, & *Templum Salomonis*; quæ fabricæ ad humani corporis ſymmetriam, utique Divino quodam inſtinctu Architectis dictarum fabricarum indito conſtitutæ fuerunt, ut in quibus homo DEO reconciliari debebat, vel ipſa fabrica myſtico quodam typo hominem exprimeret; quæ ordine proſequamur.

Humani corporis fabrica uti à DEO conſtructa fuit, ita omnium proportionum, menſurarumque unicum prototypon eſt.

Primò *Arcæ* longitudo decupla erat ad ejus profunditatem, talis enim eſt proportio 300 ad 30. nam decies triginta dant 300. Rurſum longitudo *Arcæ* erat ſextupla ad ejus latitudinem, talis enim eſt proportio 300 ad 50. nam ſexies 50 dant 300. Eadem eſt proportio dimenſionum in corpore humano, ſecundum naturæ poteſtatem, quàm optimè proportionato, ut nimirum ejus longitudo, quæ ſumitur à vertice uſque ad pedes, ſit ſextupla ad ejus latitudinem, quæ ſumitur à latere dextro in ſiniſtram eundo per medium pectus;

Proportio *Arcæ* ad humani corporis fabricam.

Iterum longitudo humani corporis decupla eſt, ad ejus profunditatem, quæ ſumitur à pectore, & per pectus penetrando in dorſum; ita *S. Auguſtinus*, & *Ambroſius*, ille *lib. de Civitate* DEI, hic *libro de Arca Noë.*



His ita propoſitis, jam capacitatem *Arcæ* per aſſumptum à nobis cubitum, pedem & palmum architectonicum paulò minutiùs deſcribemus.

Cum itaque, uti jam ſæpius allegavimus, à DEO præſcripta *Arcæ* longitudo conſtituta ſit, 300 cubitorum, ſive pedum 450 vel 670 palmorum, latitudo verò 50 cubitorum, ut aream ſive quadratum *Arcæ* obtineas, multiplicentur 300 per 50 & prodibunt 15000 quadratum cubitorum in *Arcæ* area quæſitum, uti in præſenti figura patet, in quo ſingula quadrata decem alia in ſe continere cenſentur, quæ tamen ad vitandam ex tot linearum ductibus, confuſionem, conſultò omittendam duximus; eſt igitur unumquodque latus 10, quadratulum verò 100 cubitorum quadratorum.

Qua-

Quadratum *Arcæ* in cubitis.

Soliditas, ſive Altitudo Arcæ *in cubitis cubicis, quorum cuborum ſingula latera habent decem cubitos,* □ *cubitos* 100 *juxta longitudinem, latitudinem & profunditatem.*

Figura I.



Figura II.



Quoniam verò altitudo *Arcæ* 30 cubitorum altitudinem habet, ut ſcias *Arcæ* ſoliditatem, ſive quot cubitos cubicos contineat, ſic juxta regulas in Geometria tradi ſolitas, procede. Ducatur altitudo in quadratum *Arcæ*, id eſt, 30 in 15000 prodibunt 450000 ſoliditas *Arcæ* in cubitis cubicis, uti in *ſecunda figura* patet; in qua ſinguli cubiti, decem alios cubitos continere cenſentur, uti cubus hic monſtrat, quorum 450000 in *Arca* conſtituuntur. Atque hæc *Arcæ* capacitas conſiderata ſolummodò ſimpliciter ſine ullis aliis interſtitiis ſtabulorum, ambulacrorum, intermediorumque trabium, quæ contignationes & diviſiones receptaculorum efficiunt, quæ ubi in *Arca* aſſignaverimus, tunc ſubtractis iis ab aſſignato jam capacitatis *Arcæ* numero, perfecta omnium earum in ea reponendarum rerum capacitas remanebit.

Soliditas *Arcæ.*

Caput X.

Quomodo Noë *primò Fundamenta* Arcæ *jecerit, id eſt, Fundum* Arcæ *ligneis ſubſcudibus inſtruxerit.*

QUando itaque Deus mandavit *Noëmo*, ut *Arcam* faceret juxta propoſitum cubitum dimenſionis, ex lignis, uti *Septuaginta* dicunt tetragonis, deindè feneſtram, oſtium, & deorſum cœnacula & triſtega faceret, iis ſanè verbis principalem ſolummodò & animantium receptioni aptiſſimam *Arcæ* diſpoſitionem ſignificaſſe videtur. Si quid porrò aliud ei addendum reſtaret, id *Noëmi* jam tum divinitùs illuſtrati ingenio, tum labori & induſtriæ, executioni mandandum relinqueretur. Cum enim *Noë* ſcire non poſſet, quantæ capacitatis *Arca*, ad tot differentium animalium binarios & ſeptenarios recipiendos extruenda foret; Deus *Opt. Max.* ſua ineffabili providentia

Multa *Noë* addidit *Arcæ* præter ea quæ à Deo ipſi præſcripta erant.



Typus substructionis ARCÆ *supra quem extruebatur Moles totius.*

Fig. I.

Typus I. *Contignationis receptacula Animalium cum sentinæ*



nè quicquam rimis omnibus obſtructis aquæ ſubire poſset; atque hujus ſentinæ tabulatum ſuperius, erat primus primæ contignationis fundus; quam qua arte, & quanta ſoliditate *Noëmum* extruxiſse putemus, exponimus.

Longitudinem itaque *Arcæ* 300 cubitorum, id eſt, 450 pedum, quorum unus cum dimidio cubitum conficiunt, fuiſse, jam ſæpè dictum fuit. Latitudinem verò 50 cubitorum, ſive 75 pedum; altitudinem verò 30 cubitorum, id eſt, 45 pedum, ex *Sacro Textu* patet, quæ in palmos, quorum unus cubitus, tres habet, quiſpiam facile in palmos Romanos redigere poterit.

Arcæ longitudo 300 cubitorum, qui æquivalent 450 pedibus.

Arcæ latitudo 50 cubitor. qui æquivalent 75 pedibus.

Altitudo *Arcæ* 30 cubitor. qui æquivalent 45 pedibus.

Juxta has itaque menſuras, *Noë* primò fundamentum *Arcæ* conſtituit, quæ tamen non extra *Arcæ* fabricam, ſed intra opus ipſum accipi debent; uti verò in hujus primi fundi ſubſtructione totius *Arcæ* moles conſiſtit, utpote ſupra quam oneris pondus univerſi, & moles ædificii tota recumberet, ita quoque præ reliquis partibus eam firmiorem ſolidioremque effecit, uti *Figura ſequens* demonſtrat. Non enim hîc tam quod factum eſt, loquimur, quàm quod id ita fieri potuiſſe & debuiſſe putemus. Quà verò ratione id fieri poſſe cenſeamus, quantum architectonicis rationibus, & conjecturâ aſſequi potuimus, explicandum reſtat.

Modus extruendi primi fundi *Arcæ*.

Primò itaque veriſimile eſt, ſupra ſubſtructionis molem, id eſt, ſupra paulò antè deſcriptos truncos, ſeu palos, ſecundum latitudinem trabes cedrinas ſeu abiegnas craſſitie cubitales, ordine ſub æqualibus interſtitiis poſitas fuiſſe, quibus aliæ æquales in longitudinem ſuperextenſæ, quæ ea induſtria iis per inciſuras adeò firmiter & validè commiſſæ fuerunt, ut nullo impetu à ſe divelli poſſent, atque adeò totus *Arcæ* fundus ex hujuſmodi trabium firmiſſima connexione commiſſurarumque robore, ſolidiſſimam & indiſſolubilem conſiſtentiam obtineret, quibus multum roboris addebant trabes διαγώνιοις, id eſt, diametralibus, tum tranſverſis, tum directis trabibus inſertæ firmiterque commiſſæ, quæ operis molem mirum in modum conſolidabant. Verùm quia ſine Schematiſmo res commodè percipi non poteſt, eum ſubjungam, in quo trabes tranſverſæ ſunt AH. BI. CK. DL. &c, cum intermediis trabibus. In longum porrectæ trabes ſunt: AB. BC. CD. DE. EF. FG. & ex altera oppoſita parte correſpondentes HI. IK. KL. &c: & reliquæ inter extremas haſce mediæ; Diagonales verò, quæ jam dictarum trabium veluti quædam retinacula ponuntur, ad concurſum trabium, nè hinc indè vacillarent, ſolidiùs firmandum. Extremitates quoque trabium ſeu tignorum ita ſe ſtrictim per inciſuras clavis ligneis firmatas amplecterentur, ut dividi nulla vi poſſent. Vide *Fig.* 1. Atque hac arte, vel ſimili, meâ quidem opinione, primus *Arcæ* fundus conſtructus fuit, qui uti per inciſuras æqualem nanciſcebatur, ſine ulla exititiarum partium lignorumque apparentia, ſuperficiem, ita quoque nihil aliud requiri videbatur, quàm ut hujuſmodi ſtrues tabulis & aſſamentis, haud ſecùs ac oſſatura humani corporis carne & pelle, veſtiretur, quod tabulis ex cedro, vel abiete, cæteriſque ſimilibus arboribus diſſectis, dolatiſque ea induſtriâ & ingenio præſtitum fuit, ut unitim connexæ & trabibus clavis quàm validiſſimè firmatæ, à pondere tot animalium, onerumque incubitu, ab omni rupturæ periculo immunes perſiſterent, ſed hæc in *ſequenti figura* 2. contemplare. Figura 1.

Fundo itaque primæ contignationis peracto, reſtant modò latera *Arcæ*, quæ

ſecundæ contignationis fundum ſuſtinere debent; atque adeò inter primæ & ſecundæ contignationis fundum totum illud ſpacium habeatur, in quo habitacula & ſtabula animalium collocari debebant; quod ſpatium, quomodò factum eſse potuerit, oſtendimus.

Primò ſupra abacos ligneos A B C D E F G. & H I K L M N O. Columnæ ſive pylæ ligneæ 9 cubitorum altitudinis ſurſum ad perpendiculum erigebantur, ſupra quorum capitella tranſverſim aliæ trabes ſuperimponebantur; quoniam verò ſpatia longiora eſſent, quàm ut onera in ſecunda contignatione eis incumbere ſine ruptura poſsent, hinc aliæ pylæ intermediæ, tranſverſæ trabes illis impoſitæ non exiguam firmitatem ſundo ſecundæ contignationis præſtabant, uti in *ſequenti figura* patet A B. C D. C A. & B D. ordine pylas monſtrant novem cubitorum altas, ſupra quas trabes tam in longum, quàm in latum tranſverſim poſitæ, clavis trabalibus firmabantur, & poſteà tabulato veſtiebantur; hoc pacto C A B D totam inferiorem, ſive primam contignationem exhibet, P Q. ſentinam ſignat. Quomodò verò in hac primæ contignationis capacitate omnia animalia ſuas ſedes obtinere potuerint, *in ſequentibus* per opticam omnium ſtabulorum animaliumque in iis ſitorum, projectionem exhibebimus.

Primæ contignationis *Arcæ* conſtitutio.

Huic itaque primæ contignationi ſuperpoſita fuit ſecunda contignatio, ſupra eaſdem ſibi correſpondentes pylas; & ſupra hanc tertia contignatio; & ſupra hanc tectum *Arcæ*, unà cum feneſtra & oſtio, ut in *ſequenti figura* patet.

Secundæ & tertiæ contignationis ratio.



DE FENESTRA *ARCÆ.*

Dixit itaque DEUS ad *Noë*: *Feneſtram facies in ea, & in cubito conſummabis ſummitatem ejus*, ubi Hebræa Lectio habet:

Geneſ. 6. verſ. 16. צהר תעשה לתבה ואל אמה תכלנה מלמעלה:

Symmachus loco, *Tſoar*, dicit διαφανὲς, id eſt, feneſtram pellucidam, ſeu diaphanam. De hujus feneſtræ poſitione, mirè digladiantur inter ſe tum de ejus loco, tum de modo, quo ea conſtructa fuit; ſunt qui ridicula ſanè opinione putant, totum *Arcæ* tectum feneſtram fuiſse, totam *Arcam* illuminantem; ſunt alii qui putant in antica aut poſtica *Arcæ* parte poſitam fuiſse; non deſunt, qui aſſerant, ipſi tecto *Arcæ* inſertam fuiſse; ut interim *Rabbinorum* fabulas omittam. *Raſſi* enim putat, loco feneſtræ Carbunculum ſeu Pyropum fuiſse poſitum, qui luce à natura ſibi inſita totam illuminaret *Arcam* noctu diuque. Nos unicuique ſuam relinquentes opinionem, hoc loco ſolummodò aſseremus, quod *Sacræ Scripturæ Textui*, & vel naturali rationis dictamini magis congruum fuerit. Dicimus itaque, feneſtram non in tecto, non in antica aut poſtica parte poſitam fuiſse, ſed in maximè

De Feneſtræ in *Arca* poſitione opiniones.

maximè eminenti & condigno loco, id eſt in tertiæ contignationis medio poſitam fuiſſe. Uti enim eodem in loco homines habitare maximè conveniebat, ita quoque lucem iis quàm maximè neceſsariam fuiſſe, nemo inficiabitur, qui ingentis momenti negotia quæ *Noë* cum filiis ſuis de humani generis ſalute, de animalium conſervatione, nutrimentorum unicuique convenientium diſtributione, agitabat, penitiùs expenderit; feneſtram autem ea arte conſtitutam fuiſſe, ut à *Noëmo* facilè aperiri poſſet, (quemadmodum ceſſante *Diluvio* eam aperuiſſe, & Corvum Columbamque per eam emiſiſſe legimus) non ex tabulis ligneis, ut multi perperam ſentiunt; hoc enim pacto lumen non admiſiſſet, neque ex vitro facilè ad tempeſtatum inſurgentium procellis reſiſtendum nimis frangibili, ſed vel lapidicit: *Feneſtram in* Arca *facies, & in cubito conſummabis ſummitatem ejus.* Verùm qui Textum hunc probè ponderârit, is apertè videbit, cubitum illum, non ad feneſtram, ſed ad tecti altitudinem referendum eſſe; quaſi diceret, feneſtram in *Arca* facies amplitudinis convenientis, ubi nullus intelligi debet cubitus ejus quantitati aſſignatus, ſed in cubito conſummabis ſummitatem ejus, ſcilicet *Arcæ*, refertur ad tecti medianam altitudinem: undè in verbis uti non contemnenda amphibologia occurrit, ita eam facile ſolvit *Lectio Hebraica*, ubi in ſyllaba finali vocis תכלנה id eſt, *Na*, eſt fœminini generis, & ſignificat affixum verbo תכל *Thecalna*, id eſt, *conſummabis, perficies*, ſive *abſolves eam*, id eſt, *Arcam*; neque fieri poteſt, ut ſtante Hebraici Textus veritate hæc vox *Thecalna*, ad feneſtram

Vera feneſtræ poſitio.

Quomodo feneſtra *Arcæ* intelligi debeat comparata ad tecti altitudinem.



tus

ſecundæ contignationis fundum ſuſtinere debent; atque adeò inter primæ & ſecundæ contignationis fundum totum illud ſpacium habeatur, in quo habitacula & ſtabula animalium collocari debebant; quod ſpatium, quomodò factum eſse potuerit, oſtendimus.

Primò ſupra abacos ligneos A B C D E F G. & H I K L M N O. Columnæ ſive pylæ ligneæ 9 cubitorum altitudinis ſurſùm ad perpendiculum erigebantur, ſupra quorum capitella tranſverſim aliæ trabes ſuperimponebantur; quoniam verò ſpatia longiora eſſent, quàm ut onera in ſecunda contignatione eis incumbere ſine ruptura poſsent, hinc aliæ pylæ intermediæ, tranſverſæ trabes illis impoſitæ non exiguam firmitatem fundo ſecundæ contignationis præſtabant, uti in *ſequenti figura* patet A B. C D. C A. & B D. ordine pylas monſtrant novem cubitorum altas, ſupra quas trabes tam in longum, quàm in latum tranſverſim poſitæ, clavis trabalibus firmabantur, & poſteà tabulato veſtiebantur; hoc pacto C A B D totam inferiorem, ſive primam contignationem exhibet, P Q. ſentinam ſignat. Quomodò verò in hac primæ contignationis capacitate omnia animalia ſuas ſedes obtinere potuerint, *in ſequentibus* per opticam omnium ſtabulorum animaliumque in iis ſitorum, projectionem exhibebimus.

Primæ contignationis *Arcæ* conſtitutio.

Huic itaque primæ contignationi ſuperpoſita fuit ſecunda contignatio, ſupra eaſdem ſibi correſpondentes pylas; & ſupra hanc tertia contignatio; & ſupra hanc tectum *Arcæ*, unà cum feneſtra & oſtio, ut in *ſequenti figura* patet.

Secundæ & tertiæ contignationis ratio.

putant in antica aut poſtica *Arcæ* parte | poſtica parte poſitam fuiſſe, ſed in maximè

maximè eminenti & condigno loco, id est in tertiæ contignationis medio positam fuisse. Uti enim eodem in loco homines habitare maximè conveniebat, ita quoque lucem iis quàm maximè necessariam fuisse, nemo inficiabitur, qui ingentis momenti negotia quæ *Noë* cum filiis suis de humani generis salute, de animalium conservatione, nutrimentorum unicuique convenientium distributione, agitabat, penitiùs expenderit; fenestram autem ea arte constitutam fuisse, ut à *Noëmo* facilè aperiri posset, (quemadmodum cessante *Diluvio* eam aperuisse, & Corvum Columbamque per eam emisisse legimus) non ex tabulis ligneis, ut multi perperam sentiunt; hoc enim pacto lumen non admisisset, neque ex vitro facilè ad tempestatum insurgentium procellis resistendum nimis frangibili, sed vel lapidibus, quem Phengitem vocant, aut Crystallo, vel etiam Selenite, similibusque lapidibus diaphanis pellustribusque corporibus elaboratam fuisse censemus; atque adeò firmiter tabulato laterali insertam, ut à tempestate *Diluvii* tempore nihil ei periculi esset, tomentoque rimis omnibus adeò obstructis, ut aqua penetrandi locum non reperiret. Rursùm non est ullum dubium, quin *Noë* quoque ad nonnullam lucem etiam mediæ contignationi immittendam, complures hujusmodi fenestellas minores ex eodem diaphano lapide confectas lateris tabulatis inseruerit; de quibus etsi in *Sacris Literis* nihil legatur, multa tamen DEUM *Noëmi* arbitrio reliquisse, ea adjungendi, quæ perfectioni *Arcæ* maximè convenire videbantur, haud incongruum videri debet, uti *in præcedentibus* diximus. His ita rectè propositis, summa modò nobis difficultas explicanda restat, quæ mirum in modum Interpretum ingenia torsit, & est: quod nonnulli fenestram unius tantummodò cubiti mensurâ consummatam fuisse putent, idque ex *Sacro Textu* evincere se posse sentiant; dum dicit: *Fenestram in* Arca *facies, & in cubito consummabis summitatem ejus.* Verùm qui Textum hunc probè ponderârit, is apertè videbit, cubitum illum, non ad fenestram, sed ad tecti altitudinem referendum esse; quasi diceret, fenestram in *Arca* facies amplitudinis convenientis, ubi nullus intelligi debet cubitus ejus quantitati assignatus, sed in cubito consummabis summitatem ejus, scilicet *Arcæ*, refertur ad tecti medianam altitudinem: undè in verbis uti non contemnenda amphibologia occurrit, ita eam facile solvit *Lectio Hebraica*, ubi in syllaba finali vocis תכלנה id est, *Na*, est fœminini generis, & significat affixum verbo תכל *Thecalna*, id est, *consummabis, perficies*, sive *absolves eam*, id est, *Arcam*; neque fieri potest, ut stante Hebraici Textus veritate hæc vox *Thecalna*, ad fenestram referatur, cum צהר *Tsoar*, id est, *Fenestra*, semper masculini generis sit: *Theva* verò seu *Arca* fœminini generis. Accedit hisce, quod sanè magni momenti est, ad demonstrandum id, quod assumpsimus, videlicet non hîc per cubitum; quo consummanda dicitur, fenestram, sed altitudinem tecti *Arcæ* intelligi debere, tanquam fabricæ hucusque absolutæ ultimum complementum; siquidem sine tecto *Arca* quadamtenus imperfecta censebatur. His ipsis itaque verbis DEUS (cum aliàs tecti mentio nulla fiat) tectum in cubito consummari voluit, id est; tectum ex lateribus utrimque ita paulatim assurgentibus, ut media totius *Arcæ* longitudo, ultra supremæ contignationis summitatem, *Arcæ* tectum, non nisi cubito in altum elevaretur, quod Hebraica vox מלמעלה *milmagnela*, id est, *ab imo in altum* rectè exponit, nec abludit Chaldaica Paraphrasis:

ניחור תעביד לתבותה ולאמתא תשכלליניה מלעילא : *Genes. 6. vers. 16.*

Id est, *Fenestram facies* Arcæ, & *hanc consummabis in cubito sursum*; cui Græcus textus

Vera fenestræ positio.

Quomodo fenestra *Arcæ* intelligi debeat comparata ad tecti altitudinem.

Complures fenestellæ in *Arca.*

tus prorſus conſonat. Πασωάγων ποιήσεις τῳ κιβωτὸν, & εἰς πῆχυ συντελέσας αὐτῳ ἄνωθεν. id eſt, *colligens* Arcam *facies*, & *cubito conſummabis eam ſurſum.* Ubi cum nulla feneſtræ fiat mentio, certè 70 *Interpretes* ad ſolius tecti altitudinem unico cubito conſummandam, reſpexiſſe videntur: Feneſtræ verò magnitudinem arbitrio *Noëmi*, uti multa alia, reliquiſſe, cenſere debemus.

Feneſtra ubi poſita fuerit.

Fuiſſe autem à DEO, *Noëmo* feneſtram in *Arca* præſcriptam, ita accommodatam ut partim ad lucem ſufficientem obtinendam, partim etiam, ut eâ apertâ, ſuo tempore tùm ad ſtatum *Diluvii* extra *Arcam* conſiderandum, tùm per Corvi, Columbæve dimiſſionem, ad deficientium paulatim aquarum conſtitutionem explorandam, ſervire poſſet. Quamvis *Noë* quoque tum noctu, tum interdiu in obſcurioribus *Arcæ* meatibus, multiplici lucernarum apparatu uſus ſit, ſine quarum ope, nil in tenebroſis ambulacris rectè conſtitui poterat.

Oſtii *Arcæ* poſitura.

Porrò non minus de oſtii poſitura inter *Interpretes* diſſidium eſt: ſed qui inconcinnas multorum de eo opiniones noſſe deſiderabit, is adeat dictos hujus loci *Explanatores*. Nos hìc non tam quid factum ſit, quàm quomodò oſtium iſtud recto rationis dictamine fieri debuerit, explanandum duximus. Textus habet: *Oſtium autem Arcæ pones è latere*: ופתח התבה בצדה תשים. *& portam* Arcæ בצדה *in latere pones.* Ex quo latere, dextróne an ſiniſtro, quot cubitis menſuranda, uti *Sacra Scriptura* ſilet, ita quoque arbitrio & induſtriæ *Noëmi* illud conſtituendum permiſit. Undè quidam ponunt in primo tabulato, alii in ſecundo, quia primam contignationem aquis ſubmerſam putant. Nos tanquam veriorem primam ſententiam amplectimur: Ratio eſt, quia animalia, non natando *Arcam* ingreſſa ſunt, uti ſecundæ ſententiæ *Authores* aſſerunt, ſed per pontem, (ut poſteà oſtendemus)

Geneſ. 6. verſ. 16.

Arcam aſcenderunt, uſque ad primæ contignationis tabulatum, ubi ſtatim eorum nidi ſeu ſtabula diſpoſita habebant, ne ex ſecundæ contignationis tabulato in primum deſcendere ſummo labore & difficultate cogerentur. Haud dubiè itaque porta *Arcæ* in infimo tabulato conſtituta fuit, ſatis ampla, pro maximorum animalium ingredientium capacitate. Qui amplitudinem ejus 15 aut 12 cubitorum faciunt, falluntur, ſufficiebant octo, aut novem cubiti, qui faciunt 16 pedes ſeu palmos 24. congrua ſanè altitudo ad Elephantes, animantium maximos recipiendos; utpote quorum altitudo octo aut novem cubitos, uti experientia nos docuit, non excedit. Qui verò plures cubitos ponunt, illi portam ejus incongruè ſecundæ contignationi inſerunt. In medio verò longitudinis *Arcæ* veluti commodiori loco conſtitutam nemo dubitare poteſt, qui architectonicas rationes rectè expenderit. Multi porrò arbitrantur, ipſum oſtium, ſive portam unà ſerviiſſe pro ponte ſublicio, per quem animalia in *Arcam* aſcenderent quatuor cubitorum altum; idque probari poſſe putant, quod DEUS aforis clauſerit oſtium; id tamen veriſimile non eſt, cum & porta ita aperiri potuerit, ut aforis reductis valvis facilè claudi potuerit. Congruentiùs itaque loquemur, ſi dicamus, pontem ſeparatum fuiſſe ab oſtio, uti poſteà in *ipſa Figura* exhibebimus; oſtium enim cum ſuis valvis adeò ſcitè accommodatum fuit à *Noë*, ut clauſum, de nulla aquæ penetratione periculum eſſet, utpote quod bitumine intùs & extrà quàm exactiſſimè oblitum eſſet, quod de ponte ſublicio dici non poterat. Reſtat ut jam varias *Arcæ* formas, quas varii hujus loci *Interpretes* ei attribuunt, exponamus; ut ex earum conſideratione, quænam menti *Noë* congruant, patefiat.

Portæ *Arcæ* conſtitutio.

CA-

CAPUT XI.

INTERPRETUM hujus loci,

De Forma Arcæ Noëmicæ *Sententiæ.*

INter cæteras *Interpretum* agitatas opiniones, nullam tam diverſam, ac eam, quæ de *Arcæ Noëmicæ* forma & figura controvertitur, reperi, quarum nonnullas, uti abſurditate non carent, ita hoc loco refellendas cenſui.

Primò Origenes Arcæ figuram, talem fuiſſe imaginatur, qualem parallelopipedum in pyramidem ſectum refert, uti in *ſequenti Figura numero* 1. patet.

Forma *Arcæ* ab *Origene* præſcripta ſubſiſtere non poteſt.

Hâc *Origenis* opinione, quid abſurdius, quid incongruentius, incommodiuſque concipi poſſit, non video. Si enim talis figuræ *Arca* fuit, quis triſtega in ea rectè componet? ubi ſtabula juxta requiſitionem animalium rectè diſponentur? certè circa angulos A C. *Arcam* ad ſtabula animalium accomodanda ob declivitatem tecti, angulorumque anguſtiam prorſùs inidoneam fuiſſe, quis non videt? ubi ſecunda contignatio D. intra *Arcam* plùs æquo coarctata ſufficientem locum obtinebit? quomodo tertia contignatio F. G. pæne in nihilum redacta, tantam volucrium multitudinem hominumque habitationem capere potuit? Accedit, quod ſub hac forma conſtructa, ventorum flatibus, fluctuumque turbinibus facile ſubverti poterat, utpote quæ mole non ſtaret ſua, neque ſuis librata ponderibus commodè fluctuaret. *Arca* itaque hoc pacto extrui non potuit ob eam, quam diximus incongruam formam.

Arcæ forma ab *Hugone Victorino* præſcripta incongrua eſt.

Secunda de *Arcæ* forma ſententia fuit *Hugonis Victorini*, qui hoc pacto *Arcam* dividit; putat itaque *Arcam* compoſitam fuiſſe ex duabus partibus, quarum una inferior erat, cujus altitudinem 15 cubitorum facit, & continebat tria diſtincta receptacula, quorum *Infimum* Sentinæ, *Secundum* Penuario; *Tertium* ferocium animalium habitationi deſtinatum erat. Superior *Arcæ* pars altera 15 cubitis alta, quam ipſe tectum *Arcæ* ſuperpoſitum appellat, in qua *Noë* cum filiis, eorumque uxoribus, tum omnigenæ avium, tum terreſtrium animalium manſuetarum ſpecies continebantur. Sed utrum hîc *Arcæ* forma ſubſiſtere queat? inquiramus. Primò infimam *Arcæ* portionem 15 cubitis altam, in tria, ut diximus, receptacula diſtinguit: in Sentinam, in Penuarium, & in ferocium animalium habitationem. Ponamus autem, Sentinæ receptaculum fuiſſe quatuor cubitorum, uti & nos ponimus; Penuarium fuiſſe quinque cubitorum, & Zootrophii ſpatium fuiſſe ſex cubitorum; Jam quæritur, ubinam oſtium *Arcæ* locum ſuum habuerit? Si dices, in latere, ita ut ſtatim in Penuarium aditus conceſſus ſit, id concedi nec debet nec poteſt; ſequeretur enim animalia ferocia primò ingreſſa fuiſſe in penuarium, quàm in propriam iis deſtinatam ſtationem: Quæro jam, quomodò & per quas ſcalas ponderoſiora animalia ex Magazino in Zootrophium aſcenderint? Quod uti concipi non poteſt, ita quoque veluti incongruum facilè refellitur; Si verò oſtium *Arcæ* ad limen tertii receptaculi ſex cubitis alti, quod animalium ferocium habitationi deſtinabatur, poſitum fuiſſe dicat; hoc multis de cauſis pariter admitti non poteſt, cùm oſtium non niſi ſex cubitorum altum minus fuerit, quàm ut grandioris molis animalia illud ſubire, nec in ea, ſtabula reperire potuerint, proportioni

Oſtium *Arcæ* incongruum ſitum.

eorum molis congrua. Accedit quod oſtium *Arcæ* novem cubitis altius fuerit, quàm oportuerit, cùm illud in infima contignatione locum ad faciliorem quadrupedum introitum, habere debuiſſe, vel ipſa ratio dictet. Auget difficultatem, quod hoc pacto *Arca* non rectè æquilibrata ponderoſius leviori ſuprà impoſitum habuerit. Diſpoſitionem itaque *Arcæ* hoc pacto ab *Hugone* factam veritati minimè conſentaneam eſſe, luculenter patet. Sed procedamus jam ad ſuperiorem contignationem tum hominum, tum volatilium, mitiorumque quadrupedum habitationi deſtinatam, quam ipſe pariter 15 cubitis altam fuiſſe aſſerit, & *Arcæ* tectum vocat; ſi *Arcæ* tectum, ergò nulli huic parti latera πρὸς τὰς ὀρθὰς directa, ſed totum tectum in pyramidis formam, cujus apex 15 palmorum erat adaptatum fuit, ubi pariter plurima ob incommoditatem loci incongrua occurrunt; *Primò* feneſtram in ipſo declivi tecto fuiſſe poſitam; *Secundò*, aditum animalibus quadrupedibus, in eam ſine oſtio non patuiſſe; *Tertiò*, maximam hujus *Arcæ* partem, ob nimiam, quæ ex pyramidali *Arcæ* forma reſultat, coarctationem fuiſſe inutilem, incommodam & prorſùs exigui uſus; *Quartò*, quod tectum 15 cubitorum altum *Arcæ* ſuperfluum, & ſecundùm artem vitioſum erat; quid plura? quis non videt, *Arcæ* tectum contra architectonicæ artis regulas improportionatum, turpe aſpectu, puſillum, & quaſi nanum propter anguſtias laterum ſemper magis magiſque vergentium in acumen; Domicilium enim hominum adeò hac tecti conſtitutione fecit incommodum, ut fermè tertiam partem capacitatis *Arcæ*, quam nos ſuperius 450000 cubitorum ſolidorum capacem fecimus, detraxerit; certè ipſa pyramidalis conſtructio tecti, etiam ſuper baſi ſolidâ fundata, adeò operoſa & ardua videtur, ut quomodò conſiſtere potuerit, vix quiſpiam diſpiciat, cum vel ipſa diſſimilium corporum, & inter ſe diſcordantium commiſſura, niſi robuſtis ſubſcudum colligationibus, nec non crebris tranſverſiſque trabium fulturis validiſſimè compingatur, inferiorem *Arcæ* partem immenſo teſtudinis pondere aggravatam, certo diſſolutionis periculo exponeret, ut proindè, quænam ex hiſce duabus *Arcæ* formis, *Origenis*, an *Hugonis*, abſurdior ſit, neſciam; ſed ne quicquam omiſiſſe videar, formam *Arcæ* ſupponam. *Fig.* 2.

Tectum *Arcæ* prorſus inidoneum.

Sed jam *Cajetani* ſententiam evolvamus, qui verbis Sacri Textus, *& in cubito conſummabis ſummitatem ejus*, deceptus, putavit eam *Arcæ* figuram fuiſſe, ut latera ejus in ſupremo adeò coarctarentur ſecundum latitudinem, ut licet totam *Arcæ* longitudinem ipſa retinerent, attamen ſecundum latitudinem non amplius uno cubito diſtarent, ita ut ſuperficies in ſupremo vertice plana, & horizonti parallela, non niſi cubiti latitudinem haberet, per totam *Arcæ* longitudinem extenſam. *Cajetanus* itaque totius *Arcæ* molem ſub forma priſmatis truncati exhibet, cujus interiora latera cum pavimento angulos 60 graduum conſtituerent; forma ſane perquam incongrua, & quoniam omnia illa incommoda incurrit *Arcæ*, quæ præcedentes *Arcæ* figuræ, ideò doleo, quod viro docto, & cæteroquin ſubtiliſſimo ſubſcribere nequeam. Sub hac enim forma tota *Arca*, non niſi tectum fuit, ſub quo, quomodò triſtega, id eſt, triplex concamerationum diſtinctio extructa eſſe potuerit, non capio; ut proinde auſim dicere, dimidiam capacitatis *Arcæ* portionem inutilem & prorſus ad tot animalia continenda ineptam fuiſſe. Nam ſi Geometriam conſuluiſſet, optimè cognoviſſet, quod dixi; cum omne priſma, ſuri parallelopipedi obliquanguli, dimidium eſſe à Geometris demonſtretur; ſub hac forma; reliqua extructæ *Arcæ* incommoda facile quiſque luculenter perſpiciet. Accedit, quod animalia per oſtium tecti, ut & volucres per feneſtram in tecto pariter

Cajetani de *Arcæ* forma ſententia, incongrua eſt.

Schematiſmus, quo diverſæ Formæ ARCÆ *juxta diverſas Authorum opiniones exhibentur.*

I. *Figura* ARCÆ *juxta* ORIGINEM.

II. *Forma* ARCÆ *Secundum* HUGONĒ VICTORINUM.

III. *Forma* ARCÆ *Secundum* CAJETANUM.



IV. *Forma* ARCÆ *Secundum* LYRANUM.



riter collocatam intrare debuerint, quod uti abſurdum eſt, ita latiùs ea deſcribere non expedit.

Lyrani de Arcæ formæ ſententia abſurda.

Porrò *Lyranus* hoc loco *Arcæ* formam ſic deſcribit: primò pro baſi *Arcæ* ponit Sentinam; pro *prima* contignatione ponit Apothecam, ſeu Magazinum commeatûs; In *ſecunda* contignatione omnia animalia tam quadrupedia, quàm volatilia, unà cum hominum habitatione commiſcet; *Tertiam* verò ſtationem vacuam relinquit, utpote quæ tecti vice ſerviret, conjunctura verò laterum tecti, planum reliquit horizonti parallelum, cujus ſuperficies ſecundum latitudinem eſſet unius cubiti, juxta verba Moſis, & *in cubito conſummabis ſummitatem ejus.* Hæc ſententia pariter, uti ſubſiſtere non poteſt, ita errorem in ea commiſſum paucis demonſtrandum duxi.

Cùm *Arca* altitudinis fuerit 30 cubitorum; *Lyranus* verò tectum, altius quàm oportuerit, elevaverit, & tametsi nil de altitudine tecti dixerit, potuit tamen id ab eo sumi vel altius, vel humilius. Ponamus jam, illud ab eo elevatum 10 cubitos; constabant consequenter reliqua sub tecto triplicis contignationis receptacula 20 cubitorum; si itaque Sentinæ altitudinem demus quinque cubitorum, competent ex reliquis contignationibus Magazini, & Zootrophii singulis quinque cubitorum altitudines. Si itaque sic se res habet; quæri jam potest, quomodò majori corporis mole prædita animalia, aut *Arcam* per portam adeò angustam ingredi, aut intromissa, sub adeò violento statu consistere potuerint? Quid plura? Cum ostium in hujus formæ *Arca*, 15 cubitis altum fuerit, quàm altum opostuit pontem fuisse, per quem animalia ingredi debebant? Rursùs, cum in superiori habitatione, totius naturæ seminarium constitutum fuisse, *Lyranus* opinetur; quis non videt, *Arcam* immenso hoc animalium, hominumque pondere aggravatam, vel ad primum ventorum aquarumque impetum, eversionis periculum evadere non potuisse, quemadmodùm in navibus fieri solet, in quibus pondera, non superiori navis regioni, sed carinæ, profundiori navis portioni ad æquipondium committuntur. Cùm itaque hæc eadem incommoda & difficultates præcedentium incurrat, eam unà cum illis repudiandam censeo. Quænam igitur vera *Arcæ* forma fuerit, nos *Buteonem* secuti, in *sequentibus* docebimus.

Editus præteritis annis *Ulmæ* libellus Germanico idiomate conscriptus ab insigni Mathematico, & Architecto *Josepho Furtenbach*; in quo pulchrè sanè & breviter *Noëmicæ Arcæ* fabricam descripsit; sed uti eam sub rotunda & ventricosa figura exhibuit; tectum quoque altius elevaverit, ac *Sacra Genesis* præscribat, ita quoque non undiquaque *Sacræ Scripturæ* sensui satisfecit; Cætera verò omnia quoad sentinam, 3 Contignationes, stabula, mansiunculas nidosque animalium, meæ prorsus congruunt descriptioni; hanc fabricam sub congrua proportione, juxta mensuras & proportiones à *Mose* descriptas unà cum stabulis & mansionibus animalium, ligneo quodam prototypo, in lacu quodam, seu Vivario fluctuantem exhibuisse scribit; τέχνασμα sanè dignissimum, quod Principes opulenti imitentur. Sed jam ad alia.

SECTIO III.

De habitaculorum, nidorum, seu stabulorum in *Arca* Distributione.

CAPUT I.

De Noëmi *infusa Scientia circa ea, quæ in* Arcæ *constructione necessaria videbantur, & sine quarum rerum notitia* Arca *construi non poterat.*

SI quis ingens hujus *Arcæ* Architectonicum opificium penitiùs expenderit, is admiratione utique attonitus hærebit in considerandâ infinita ferè rerum scitè disponendarum multitudine & varietate; & proindè quâcunque tandem humanâ industriâ & ingenio, sine supranaturali scientia illud fieri non potuisse apertè fatebitur. Nam uti id opus est ferè incomprehensibile, ita quoque humani intellectus limites longè excedit. Perfecit tamen *Noë*, id DEO Magistro. Quomodò verò continuâ sui Divini Magistri assistentiâ id conficere potuerit, nemo facilè animo suo conceperit. Nosse itaque eum primùm oportebat, quot nidi, seu stabula, aut mansiunculæ in prima *Arcæ* contignatione constituendæ forent; & quoniam animantium in natura rerum, summa, sive vires & proprietates, sive corporeæ molis quantitatem spectes, diversitas est, scire debebat, juxta molem uniuscujusque, tum animalis, tum stabuli, pro binis & binis ex immundis, pro septenis & septenis ex mundis, locum ultra molem animalium, sat capacem constituere: quoniam verò inter dicta animalia, magna intercedit vel Sympathia, vel Antipathia, lis & concordia, ignorare non debebat, quænam consocianda, quænam dissocianda, ne unum alteri detrimentum cum destructione generis adferret. Verisimile itaque est, illum animalia, quæ socialem vitam amant, à ferocioribus separata in remotioribus *Arcæ* regionibus constituisse; quia tamen inter feroces nonnullas belluas irreconciliabile quoque odium intercedit, ut *Elephantem* inter & *Rhinocerem*; hisce pariter providentiâ suâ remedium contulisse, paulò post patebit; In stabulis quoque singulis animantibus appropriatis, eum præsepia, craterasque aquâ confertos, utpote ad animalium potum perneccessarios, ita aptè distribuisse credimus, ut singulis & omnibus nihil ad vitam sustentandam deesse potuerit. Quoniam verò ex ingenti excrementorum colluvie, quâ strictiora stabula explebantur, animalia magnum sanitatis damnum ex nimio fœtore, & fœculenta stercorum congerie, incurrere posse videbat, hinc de foraminibus aut craticulis ferreis in medio stabuli nonnihil declivis, ad sordes per eas in sentinam derivandas, efficiendis, modum quærebat: de canalibus quoque, & siphonibus antlia instructis, quarum ope, aqua ex hydrophylaciis in constitutos crateres derivaretur, constituendis, seriò cogitabat. Norat etiam, quo artificio extruenda singula; sciebat antliæ vim motricem; rursum quantam stabulum unicuique animali constitutum, altitudinem, latitudinem, longi-

Solis naturæ viribus ab homine sine DEI illuminatione fieri non poterat.

Amor & odium Animalium.

Crateres aquarum.

Sentina.

Siphones ad aquas derivandas.

Antliæ.

Stabulorum ſufficiens capacitas.

longitudinemque habere debebat, nè animalia arctim & incommodè ſtarent, ſed uti neceſſitas requirebat, ſeſe nunc in hanc, modò in illam partem vertere poſſent; quod niſi fieret, animalia ex iſthoc nimis coacto & violento ſtatu, deficere poſſe certò providebat; & ne quicquam ad neceſſariam victùs adminiſtrationem deeſſet; undè etiam per nonnulla interſtitia ſingulis ſtabulis adnexa, ut ad animalia facilis aditus daretur, reliquit. Porrò in ſecunda contignatione optimè intelligebat, quomodò granaria, horrea, & annonæ penuaria conſtituenda, ut indè facilè commeatus, victuſque ſingulis animalibus congruus ſuppeditaretur. Sed de hiſce in *ſequentibus* pluribus. Certè ingenti providentiâ opus erat, non ſolùm quid quadrupedibus, ſed quodnam generi volucrum, quarum innumerabiles ſpecies ſunt, nutrimentum congruebat, diſcernere; & quomodò ſingulæ juxta naturam & proprietatem earum gubernandæ eſſent, nè mediis neceſſariis deficientibus, vitæ periculum ſubirent, quæ utique incredibilem phyſiologiæ notitiam requirebant; ut carnivora à baccivoris ſeparata, in mutuas inimicitiæ pugnas non inciderent; undè ſingulas ſpecies avium ſeparatis caveis incluſas ſuiſſe nemo dubitare debet, exceptis iis volucribus, quæ omnem caveæ habitationem reſpuunt: amphibiis quoque animalibus, de receptaculis congruis, id eſt aquaticis providiſſe, haud incongruè ei videbitur, qui naturas hujuſmodi animalium rectè novit. Non dicam hîc de *Noëmi* habitatione in omnem uſum accommodata; cui proculdubio alia receptacula adjunxit, in quibus omnis generis inſtrumenta continebantur, & intra quæ tanquam in armaria quædam ruſtica, domeſtica, hortenſia, quæcunque tandem in renaſcentis Mundi primordio ad uſum humanum neceſſaria videbantur, congeſſit. De quibus in *ſequentibus* fuſior dabitur dicendi materia. Patet itaque ex dictis, quamnam rerum notitiam habere debuerit *Noë* in hoc Seminario Naturæ tam providè adornando.

Interſtitia ſtabulorum.

Commeatus receptacula.

Volucrium caveæ.

Habitatio *Noë*.

CAPUT II.

De Diſtributione Stabulorum, ſeu manſionum in prima Arcæ *contignatione à* Noëmo *peracta, pro animalibus quadrupedibus & Reptilibus.*

Geneſ. 6. verſ. 16. DIxit *Dominus* ad *Noë*: תחתים שנים ושלשים תעשה׃

Cœnacula & triſtega facies in ea. Ubi Septuaginta ſic habent: καὶ ὀρόφους διώροφα, καὶ τριώροφα ποιήσεις αὐτήν. Id eſt, *inferiora bicamerata, & tricamerata facies eam.* Paraphraſis Chaldaica hoc modo habet:

מדורין ארעאין תנינין ותליתאין תעבדינה׃

id eſt: *habitationes inferiores, ſecundas & tertias facies in ea.* Quænam ex hiſce Lectionibus cœptæ à nobis fabricæ melius congruat, jam exponamus.

Ubi *Hebraica Lectio*, Cœnacula, & triſtega habet, Symmachus δίστεγα & τρίστεγα, id eſt, *per duo, & tria tecta*, quod idem eſt, ac diceret, *facies eam duorum aut trium tectorum*. ubi per tectum non intelligitur tectum quod operit *Arcam*, ſed pavimenta contignationum, hoc enim pacto per δίστεγον ſignificari poteſt pavimentum ſecundæ & tertiæ contignationis, quæ ſunt veluti tecta quædam, ſeu tegumenta, quibus clauduntur habitacula contignationum, in quas *Arca* diviſa fuit; per τρίστεγον verò primæ, ſecundæ & tertiæ contignationis

Quid per diſtega & triſtega intelligatur.

protensa.

Contignationū ARCÆ

longitudinem ARCÆ.

Projectio Optica

trium

secundum

ARSD. I. Contignatio Quadrupedum secundum longitudinem Opticè projecta, in qua RSY. Ambulacrum ad Stabulorum utrinque dispositorum aditum pandens.

EPQF. II. Contignatio pro Comeatu Opticè projecta, in qua Ambulacrum TV. ad repositoria Ciborum dat aditum.

INOK. III. Contignatio pro Hominibus et Volucribus Opticè projecta in qua ZX. Ambulacrum medium aditum ad Apothecas pandit.





tionis tecta, ſive pavimenta intelliguntur; ut in ſequenti figura apparet, ubi *Arcam* diviſam vides in tres contignationes, in quibus A B. primæ contignationis pavimentum, ſeu tectum, aut tegumentum ſentinæ exprimit; D C. verò pavimentum, ſeu tectum, quo clauditur primæ contignationis in totius *Arcæ* longitudinem, extenſum ſpatium Quadrupedibus deſtinatum; E F. verò tectum ſeu pavimentum, tertiæ contignationis pavimentum, ſeu tectum, quo ſecundæ contignationis ſpatium concluditur, ultimum verò tectum totius *Arcæ* complementum eſt.

Conſentit hiſce *Textus Græcus*, qui quod Symmachus δύσεγον & τρίσεγον dicit, 70 Interpretes exprimunt per διώροφα & τριώροφα, id eſt, *bicamerata & tricamerata*, quorum omnium ſenſus eſt, *Arcam* in tria interſtitia, ſeu tabulata infima, media, & ſuprema, veluti in tres aulas ampliſſimus in totius *Arcæ* longitudinem extenſas dividi; quæ pulchrè ſanè *Paraphraſis Chaldaica* exponit, ut ſuprà patuit, habitationes inferiores, ſecundas & tertias facies in ea; quibus quæcunque de tribus contignationibus hucuſque dicta ſunt, expoſitum habes. Huic trinæ contignationi adjungimus quartum receptaculum, quam Sentinam vocamus, de qua etiamſi *Sacer Textus* nullam mentionem faciat, ad eluendas tamen animalium ſordes & excrementa divertenda, neceſſariam fuiſſe, ſuprà oſtendimus, non à DEO quidem commendatam, ſed *Noëmi* judicio arbitrioque relictam, forſan etiam ſaburram ad *Arcæ* libramentum continebat.

Dioropha Trioropha, quid?

Sentina *Arcæ* neceſſaria fuit.

Primum itaque Interſtitium, omiſſâ ſentinâ, infimum, quod *Arcæ* longitudinem ſuperficialem continebat, ſtabulum fuit, quadrupedibus reptilibuſque deſtinatum, cui nos decem cubitorum, id eſt, 15 pedum altitudinem, longitudinem 300 ſive 400 pedum; latitudinem 50, id eſt, 75 pedum, libenter concedimus; in qua facilè trecenta, id eſt, 150 ſtabula utrimque, & ampliùs exſtrui poterant, ſuis cancellis, portis, aſſeribus, præſepiis, vaſis ad cibum potumque præbendum neceſſariis, diſtincta & ornata, præter ambulacra per quæ *Noë* & filii ad animalia curanda & paſcenda inceſſerint; quæ omnia commodè, in quadrangula illa *Arcæ* prima ſuperficie 15000 cubitorum quadratorum conſtitui potuerunt.

Jam verò liberrimè concedimus pro viis interjectis, interſtitiiſque, tria millia cubitorum quæ dempta ex 15000, duodecim millia cubitorum, pro ſtabulorum diſpoſitione relinquunt; duodecim millia verò, per duo millia diviſa, relinquunt pro ſingulis animantibus ſtabula longitudinis 6 cubitorum, 6 latitudinis, 10 altitudinis; quod tamen minimè neceſſarium fuit, cùm pro ratione quantitatis animalium nunc majorum, nunc minorum extructa fuiſſe arbitremur, uti poſteà ex recenſione animalium patebit. Ex quibus lucu- lenter patet, manſiunculas, ſive ſtabula pro omnibus animalium quadrupedum ſpeciebus fuiſſe ſufficientiſſima, cum *Authores* etiam ſagaciſſimi animalium ſpecies vix 130 numerent, Reptilium ſerpentumque vix triginta, uti apud *Geſnerum, Aldrouandum*, & *Gazam* alioſque videre eſt; undè & multa ſpatia vacua futura vides, licet unicuique ſpeciei peculiare ſtabulum conceſſeris. Accedit, quod in ea non ſolùm adulterinæ animalium ſpecies, quas tamen ab *Arca* removemus, ſed & Amphibia nidos ſuos habere potuerint.

Species animalium quadrupedum quot?

In Secunda contignatione penum cibariorum, id eſt carnium fumo exſiccatarum penuarium, *Noë* conſtituit; variaſque fœni, paleæ, frugum, frondium, pomorum, cæterorumque fructuum, item frumenti, ſeminum, leguminum, doliorum aquâ dulci refertorum Reconditoria, cum foraminibus & tubis fundo inſertis, quibus cibum & potum

2 Contignatio *Arcæ*.

Locus commeatuum ſeu penuaria *Arcæ*.

potum ſubminiſtrarent animalibus, nec non providi patris-familias ſupellectilem ruſticam, urbanam & domeſticam poſt *Diluvium* uſui futuram, hìc contemplari licet, quæ uti altitudinem magnam non requirebant, ita quoque non niſi 8 cubitorum altam fuiſſe conjicimus; quâ tantum commeatus condi poterat, ut ex eo etiam vel ingens civitas diu ſe ſuſtentare potuiſſet.

In III. contignatione *Arcæ* hominum volucrumque habitatio.

In ſuprema contignatione collocabantur tum homines, tum volucres, ea ratione, ut *Arcæ* feneſtra præcipuam lucis partem in aulam *Noë*, & filiorum infunderet. In hoc volucrum ſpecies, unà cum *Noëmo*, tanquam in lucidiori aëris regione habitabant, quarum *Ornithologi* cum non niſi 150 ſpecies recenſeant, certe patet, caveas 150 non ſolùm ſufficientes fuiſſe, ſed & pro duobus millibus cavearum, quarum ſingulæ duos cubitos in quadro tenerent, capiendis; contignationem ſat amplam fuiſſe. Fuiſſe verò & in hac contignatione præter dictas avium caveas, varias officinas hinc inde diſpoſitas, uti culinam cum foco ex lapide ſtrato; Reconditoria ſalis, vini, olei, aceti, carnis ſimiliumque, quicquid tandem ad vitam humanam unius anni decurſu ſuſtentandam, neceſsarium erat, congeſtum fuiſſe, ex ipſis *Sacræ Scripturæ* verbis patet. Molas quoque truſatiles cum clibano, lignorum ἀκάπνων, id eſt, benè ſiccatorum, ne fumo *Arcæ* clauſtra cum detrimento hominum animaliumque infeſtarentur, carbonum quoque congeriem hìc collectam cernere liceat. Ne verò ex ingenti animalium anhelitu, & ſordium quiſquiliarumque exſpiratione aër vitiaretur; nulli dubium eſſe debet, in remedium ſpiracula facta cum ſubgrundiorum ecphoris, ſeu projecturis, quæ quidem eo artificio conſtitutæ fuerint, ut ex una parte mephitim *Arcæ* validaſque, fumoſaſque excrementorum exſpirationes foràs veluti per caminos quoſdam egererent; ex altera verò parte, per alia ſpiracula ſeu pneumateria novi äeris, frigidique deforis attracti, auram interiorem attemperarent; ubi autem hujuſmodi pneumateria in *Arca* aptè conſtitui potuerint, ex ipſius *Arcæ Figura* paulò poſt ponenda, cognoſces. Reſtat modò ut *Arcæ* totius contignationes optica projectura exhibeamus.

Molæ truſatiles.

Lignile.

Carbones.

Spiracula *Arcæ*.

Commeatus *Noë* pro ſe & filiis ſuis.

CAPUT III.

De omnibus & ſingulis Speciebus Animalium Quadrupedum, quæ in Arcam *introduci debebant.*

QUadruplex animalium genus in *Arcam* introductum fuiſſe Sacræ Literæ teſtantur: *Ingredieris* Arcam *tu, & filii tui, uxor tua, & uxores filiorum tuorum tecum, & ex cunctis animantibus univerſæ carnis bina induces in* Arcam, *maſculini & fœminini ſexus, ut vivant tecum, de volucribus juxta genus ſuum, & de jumentis in genere ſuo, & ex omni reptili Terræ ſecundum genus ſuum, bina de omnibus ingredientur tecum, ut poſſint vivere. Tolles tecum ex omnibus eſcis, quæ mandi poſſunt, & comportabis apud te, & erunt tam tibi, quàm illis in eſcam.* Fuerunt autem *Arcam* ingreſſi Homines octo, deinde Reptilia, Quadrupedia, Volatilia; Natatilium verò animalium, id eſt Piſcium nulla fit mentio, cum ipſa & omne piſcium genus in nativo aquarum elemento, uti vivere poſſent, ita quoque *Arcâ*, qua conſervarentur, non indigebant.

Quatuor animalium genera *Arcam* ingreſſa.

Homines, Quadrupedia, Volatilia, Reptilia.

Quæ genera iterum dividi ſolent; & primò ſunt Reptilia, quorum plura ſunt, quæ ex putri ſeminio ſolummodò naſcuntur, uti inſecta; quædam verò etſi

Reptilia quænam in *Arcam* introducta.

Optica ARCÆ projectio
Secundum longitudinem et
latitudinem ejusdem.
ABCD. Contignat: I. pro Quadrupedibus juxta longit: et lat:em in qua Ambulacrum longum signatur □. transversa fig: △.
EFGH. Contignat: II. pro Comeatu Cibario in longit: et lat:em in qua Ambulacrum longum signatur lit: X. transversa litera O.
IKLM. Contignat: III. pro Hominibus et Volucribus in qua Ambulacrum longum signatur litera V. transversa litera R.
L
M
I
K
G
H
E
F
A
B
C
D



etſi ex putri naſci ſoleant, quia tamen ex utriuſque ſexus copula quoque ſe propagare ſolent, luculenter patet, hæc in *Arca*, non illa conſervata fuiſſe.

Variæ Claſſes Quadrupedum.

Rurſùs, Quadrupedia dividuntur iterum in varias claſſes: ſunt quædam σαρκόφαγα, id eſt, quæ *carnibus veſcuntur*, plurima ἀσαρκόφαγα, id eſt, *quæ non carnibus, ſed fœno, frumento, hordeo, avena, herbis, baccis, fructibus, pane, ſimilibuſque nutriuntur*; Suntque tum majoris, tum minoris corporis mole; Sunt iterum ex Quadrupedibus Animalia

Amphibia.

quædam Amphibia, quæ partim aquâ, partim terrâ gaudent; neque in uno & altero elemento perpetuò conſiſtere poſſunt. Sunt denique nonnulla, quæ ex diverſarum ſpecierum commixtione originem ſuam trahunt, uti mulus ex equo & aſina, & complura alia, de quibus in ſequentibus.

Volatilia.

Si verò volatilia probè examinemus, illa iterum diverſæ conditionis eſſe reperiuntur; Sunt aliqua quæ ſolis carnibus veſcuntur; ſunt quæ ſolis fructibus, frugibus, granis, baccis, veſpis, vermibus, caſeo, pane, ſimilibuſque nutriuntur; Sunt prætereà Aquatica, quæ in humido natales ſuos ſortiuntur; Sunt quæ planitiebus, ſylviſque planioribus gaudeant; non deſunt, quæ montium locorumque Alpeſtrium receſſus ament; ſunt prætereà alterius, & incognitæ nobis Orbis animalium tam quadrupedum, quàm volatilium, reptiliumque innumerabiles ſpecies, quas omnes intra *Arcam* conſervatas, haud vero ſimile eſt. Verum ut hæc paulò profundiùs ad aſſertionem noſtram ſtabiliendam, diſcutiantur,

Spuria animalia in *Arca* non fuerunt.

Situs cœli & aſtrorum Climatumque mutat animalia.

Suppono *primò*. Sub differenti Cœli, Solis, Lunæ, ſtellarumque ad Terreſtrem globum poſitione, diverſiſſimam oriri Climatum, Zonarumque Terreſtrium conſtitutionem; ſiquidem omnes rerum naturalium tam vegetabilis, quàm ſenſitivæ Oeconomiæ ſpecies, ex uno Climate aut Zona in alteram tranſlatæ, adeò diſparem temperamenti conſtitutionem ſortiuntur, ut unius & ejuſdem ſpeciei illas eſſe, aut fuiſſe, vix tibi perſuadeas; quæ omnia ex mira *Novi Orbis*, *Indiarumque* prioribus ſeculis detecti conſtitutione nobis innotuerunt.

Sub Zona torrida omnia fere immutantur animalia.

Quàm ſtupendæ tam in vegetabili, quàm ſenſitiva natura metamorphoſes ſub Zona Torrida contingant, legat, qui volet, *Rerum Indicarum Scriptores*, uti & *Artem noſtram Magnam Lucis & Umbræ fol.* 568. ubi omnia quàm uberrimè proſecuti ſumus; cujus rei cauſam aliam non damus, niſi potentiſſimam illam ſolarium radiorum ſemper vertici alicubi incumbentium vim & efficaciam; potentiſſimam autem actionem, ingentem illam rerum monſtroſarum mutationem, quam ſub Zona Torrida poſiti contemplantur; neceſſariò ſequi, neminem dubitare velim. Nam Terra præfervido aëris ambientis calore per-

Rationes metamorphoſeos.

cuſſa, ex intimis viſceribus ingentem terrâ marique, vaporum copiam dum elicit, accidit, ut halitibus vaporibuſque ſeminalium rationum miſcella excitata, aërem variis quoque commiſtorum ſeminum, atque longè latèque unà cum reſolutis vaporibus diſperſorum ſeminiis gravidet, undè tanta mox ſequitur monſtroſarum rerum in vermibus, ſerpentibus, inſectis multitudo, quam exteri ſatis mirari non poſſunt. Hinc vehementiſſimo Solis æſtu arbo-

Quàm mira accidant ſub Zona torrida.

res percuſſæ, in Olea, balſama variaque reſinarum genera reſolvuntur. Animalia quoque ex *Europa* dictis Regionibus illata, ita degenerant, ut vix amplius dignoſcantur; Oves gibbeſcunt, & potentes aptæque ad onera ferenda fiunt Arietes; calveſcunt Canes, aves colores mutant; molem corporis pro diverſa Regionum natura nunc diminuunt, modò augent, ita ut in aliam prorſus ſpeciem tranſmutata videantur. Quod idem in plantis noſtræ Zonæ illic plantatis, accidere experimentum modernorum temporum docuit, dum pleræque in laciniоſam foliorum fœturam degenerantes, præter-

Animalium *Europæorum* ſub Zona torrida immutatio.

quam quod aromaticum quid ſapiant, etiam proprietatibus, viribus, formaque exteriori prorſus immutatæ obſerventur. Contrà ex *India* allatæ plantæ, & in *Europa* conſitæ, noſtris arboribus quid ſimile cum tempore retulerunt; uti Cinnamomum ab *Luſitanis* plantatum, in Laurum, Piper in Hederam, Caryophyllum in Caſtaneam abiiſſe cum admiratione repererunt. Idem de hominibus ſub dicta zona naſcentibus judicium eſto. Ita enim ſub zona torrida, ex perpetua, & inſtabili rerum conſtitutione redduntur inclinatione varii, ut toto cœlo ab *Europæis* diverſi conſtituantur. Hinc pleroſque ſtultos, fallaces, mobiles, feroces, luxurioſos, ſuperſtitioſoſque, nec ulla ingenii, prudentiæ, fortitudinis laude commendatos, vel etiam maximâ culturâ adhibitâ reperias. Loquor ſemper de indigenis origine barbaris. Contrà ſub Zona frigida, omnia contraria ob caloris paucitatem deprehendes; plantæ pleræque triſti aſpectu ſqualent, omnis foliorum fœtura indigeſto humore luxurians veluti aqueſcit; temperatioris cœli plantæ illuc conſitæ in aliam prorſùs indolem degenerant, fructus non ferunt, niſi auſteros & ſylveſtres, quam conditionem homines animaliaque ſequuntur, cervis in Rangiferos, Bobus in Alces, Lupis in Gulones, Corvis, Urſis, Vulpibus, cæteriſque animalibus mutato colore, pelle alba indutis, degenerantibus: homines locorum frigoriſque intemperie utplurimum ſtolidi, inſenſati, tardi, timidi, ingenii obtuſi, & ad res tractandas inhabiles, animam, uti dici ſolet, pro ſale ſortiti ſunt. Undè facilè à dæmonibus innumeris ſuperſtitionibus ſeducuntur. Sola itaque temperata Zona propter opportunum cœli ſitum, ex utraque Zona tum frigida, tum torrida pulchrè attemperata, omnes rerum ſpecies deſiderata temperie, tum hominum, tum vegetabilis, tum ſenſitivæ naturæ ſyſtaſin beat; undè quæcunque ab Orbe condito, in rerum inventione, in politicarum rerum, Regnorum, Imperiorumque adminiſtratione, ab hominibus conſideratione digna unquam contigerunt, non torridæ, aut frigidæ, ſed temperatæ Zonæ incolis acceptum feratur. Sub hac Zona primævi mortalium habitarunt, *Adamus* conditus, Paradiſus plantatus fuit, *Arcam Noë* conſtruxit, *Turris Babel* ædificata, quatuor Imperiorum, *Aſſyrii*, *Perſici*, *Græci*, *Romanique* principium deduxit, Verbi æterni incarnatio contigit. Quæ omnia fuſiùs legantur in *Arte Magna Lucis & Umbræ*, *de Tranſmutatione gentium*.

Plantæ degeneres.

Hominum alia conſtitutio.

Zona frigida immutat res.

Zona temperata optima quævis profert.

Suppono *ſecundò*. Ex dictis, non omnia animalia cujuſcunque tandem generis ex toto Terrarum Orbe collecta intra *Arcam* concluſa fuiſſe: has ob cauſas; quarum prima eſt, quod pleraque animalia à DEO condita, illa ſub determinata ſpecie ſapientiſſimus rerum opifex produxit, quæ poſteà tamen in infinitum multiplicata, univerſam Terræ faciem repleverunt; ubi & ex ſupramemorato, diverſo Climatum, Zonarumque ſitu, nec non ex diverſo ſolis, Lunæ, Siderumque influxu, adeò differentem conſtitutionem ſortita ſunt, ut quaſi à primo creatis, ſpecie differre viderentur; DEO ſolo, mirarum tranſmutationum, quæ ſub diverſo cœli ad Terram adſpectu, fieri poſſent, conſcio. Unde & in *Arcam* ea ſola introducta fuiſſe exiſtimo, quæ deindè in univerſam Telluris ſuperficiem diſperſa, ex mutatione differentium Climatum, Zonarumque, differentem indolem Cœli ſitui accommodatam nanciſci poſſent; fruſtra enim in *Arcam* introducebantur ea, quæ ex ſe, & ſua natura in differentes ſpecies poterant degenerari. Dico ſemper de diverſis Ovium, Boum, Caprarum, Hircorum, Equorum, Aſinorum, Canum, Felium, ſimiliumque ſpeciebus, quæ non niſi à differenti locorum natura, ſuam diverſitatem ſuſceperunt, quod & de volucribus Serpentibuſq; intelligi velim, de quibus paulò poſt in *recenſione animalium* pluribus.

Omnia animalia à DEO ſub determinata ſpecie & numero à DEO producta.

Immutata animalia ex influxu aſtrorum.

Sup-

Non fuerunt in *Arca* animalia ex promiſcuo diverſarum ſpecierum congreſſu nata.

Suppono *Tertiò*. Cùm ſucceſſu temporis animalia in univerſum multiplicarentur, & ſylvarum, montium camporumque receſſus occuparent; accidit, ut commixta ex diverſæ ſpeciei animalibus, media quædam animalia naſcerentur, quæ quidem in *Arca* non fuerunt introducta, cum ex differentium animalium congreſſu nata ſint; uti Mulus, ex Equo & Aſina, & plurima alia, quæ paulò poſt adducemus. Quid enim opus erat, illa conſervare, quæ poſteà ex diverſorum animalium coitu naſci potuerint? quod uti de terreſtribus animalibus *Zoologi* omnes fatentur, ita quoque de volucribus omnis generis ſpuriis, & monſtris idem dicendum eſt, cum infinita illa avium varietas aliundè non provenerit, niſi vel ex differenti natura regionum, vel ex commixtione diverſarum ſpecierum inter ſe per utriuſque ſexus copulam peractâ. Accedit, quod volucres vi imaginationis, dum ovis incubant, pullos ſuos ferè in omne colorum genus tranſmutent, uti experientiâ in Pavonibus, & Gallinis, aliiſque conſtat. Teſtatur hæc *Plinius*, animantia *Africæ*, cum ad flumina potatum abeunt, ibique ingens animantium, tum terreſtrium, tum volatilium copia ſtabuletur, ex mutuo diverſarum ſpecierum incubitu, monſtra, id eſt, media quædam animalia naſci, noſtris regionibus incognita. Quæ quidem ſi ritè expendantur, & ea ſola animalia perfecta ſub certis ſpeciebus à Deo optimo Conditore determinata, unius videlicet ſpeciei perfectæ, bina; ex immundis, maſculum & fœminam, ſeptem ex mundis, maſculum & fœminam in *Arcam* introducta fuiſſe patebit; non verò ea, quæ ex ſpurio diverſarum ſpecierum concubitu poſteà naſci poterant; fruſtra enim videbatur *Noê* *Arcam* aggravare iis animalibus, quorum ſemen in diverſarum ſpecierum commixtione conſervari poterat. Sacer itaque Textus, cum dicit, *ex omnibus animantibus univerſæ carnis*, &c. Ita intelligendus eſt, ut omnia illa animalia perfecta, ſimplicia, & unius ſpeciei, naturali ex maſculo & fœmina congreſſu procreata in *Arcam* introducerentur, ut ſemen eorum poſteà permaneret per propagationem factam ſuper univerſam terram, non verò ea quæ ex ſpurio & illegitimo concubitu poſteà produci poterant.

Certæ & determinatæ ſpecies animalium in *Arcam* introductæ.

Vis imaginativa in volucribus mutat aves.

His itaque jam ordine expoſitis, nil aliud porrò nobis explicandum reſtat, quàm ut omnia & ſingula animalia tam terreſtria, quàm volucria, reptiliſque naturæ, quæ in *Arcam* introducta fuêre, ut hic ordine recenſeamus, ab imperfectioribus animalibus, quæ Reptilia ſunt, initium ducturi.

CAPUT IV.

ΕΞΗΓΗΣΙΣ I.

De Reptilium Inſectorumque Varietate, Natura, & Proprietate, & quænam ex iis in Arcam *intrarint.*

DUBIUM I.

Utrum Inſecta in Arca *conſervata fuerint?*

Reſpondeo. Cum omnia ferè Inſecta, ut plurimum ex materiæ putris ſeminio naſcantur, fruſtra ea ad generis ſui propagationem in *Arca* conſervabantur. Nam uti in *Libro XII. Mundi Subterranei de ſeminiis rerum*, quàm ampliſſimè, & experientiâ rerum docti tradidimus, nullum ex Inſectis in *Arca* ſtudio propagandæ ſobolis neceſſariò conſervatum fuiſſe, ſic oſtendimus.

Certum eſt DEI juſſu Reptilia intra *Arcam* fuiſſe recepta, quod ſi quis inficiatus fuerit, illum *Sacro Textui* pariter contradicturum, nemo negabit. Eſt autem Reptile omne id animal, quod pedibus deſtitutum ſolo ventre annuloſo ſuper terram reptare ſolet; cujuſmodi Serpentes ſunt: non omnes quidem, ſed perfectioris naturæ Reptilia; quæ tametſi ex putri ſeminiis ſerpentinis infecto naſcantur, ex promiſcuo tamen coitu maſculi & fœminæ, ut plurimum etiam naſci ſolent. Quod in Lumbricis, Julis aliiſque non fit: cum inter ea nullum ſit ſexus diſcrimen, atque adeò immediatè ex putri naſcuntur, quæ adeò evidenti experimento comprobata ſunt, ut de iis dubitari amplius non poſſit. Sed jam ad ſcopum.

Sex ſpecies inſectorum ex putri naſcentium.

Sex genera, præter innumera alia (quæ tamen ex vario diverſiſſimarum materiarum confluxu naſcuntur) numerant *Zoologi*. 1. Quædam enim ex vini novi, ſive muſti exhalationibus, uti illa quos Bibiones, aut Muſcilinos vocant, repentino ortu conſpiciuntur. 2. Quædam ex putrefactionibus terreſtrium partium, uti Lumbrici, Juli, Limaces, & ſimilia innumera in terra, & extra terram, è mucilaginoſa materia genita. 3. Nonnulla ex aquarum corruptela genita; cujuſmodi ſunt, quas perlas aut Chamos vocant. 4. Præterea Papilionum, Muſcarum, Formicarumque innumerabiles ſpecies, tam cruſtacea, quàm ſine cruſtaceis alarum remigiis; foſſis riviſque perpetuò ſupranatantes. 5. Sunt aliæ, quæ ex corrupto arborum, florum, plantarum, fruticum, radicumque humore naſcuntur, quarum tot ſpecies ſunt, quot diverſæ plantarum arborumque ſpecies, cum unaquæque arbor, flos, fructus, aut planta, ex ſuo veluti excremento ſpermatico, aliquod vivens producat, uti Gurguliones ex fabis, Juli ex nucibus, ex lentiſco Aranearum variæ ſpecies, ut in *citato Mundi Subterranei XII. Libro* per experimenta demonſtravimus. 6. Sunt denuò plures inſectorum ſpecies, quæ ex animalibus tam vivorum excrementis, quàm mortuorum cadaveroſa putredine enaſcuntur; ut ſunt Crabronum, Veſparum, Scarabæorumque ex Equis Aſiniſque, ex Bobus Apum, ex Aſinis Ricinorum differentes ſpecies; quas vel in ipſis viſceribus inteſtiniſque natas per excrementa ejiciunt; quomodo item hæc in animalibus naſcantur, in *citato Libro* expoſuimus; ſeminia enim latentium Muſcarum, Apum, Crabronum, Veſparum, Apumque in herbis, floribus, foliiſque arborum, ubi ea comederint animalia, dum eccè illa unà introſumpta mox nativo animalis calore animata, per ſtercora excluduntur. Denique non eſt ullum animal, quod non in ſe, & ex ſe aliud animal quodpiam generet, neque ullum in corpore humano membrum, quod non ex corrupto humore vermes ſub multiplici forma, pro nutrimenti qualitate, ex ſe generet, quod tot infeſti domeſtici animalium hominumque hoſpites, Pediculi, Pulices, Cimices, Ricini, ſimiliaque ſat apertè docent, præter ea, quæ in internis corporis viſceribus ex corruptela humorum naſcuntur; quod nos per Smicroſcopium, nobile hujus ſeculi inventum experientia docuit, de quo vide quàm ampliſſimè tractatum in *noſtro de Peſte Libro*. Patet itaque, illa ſola animalia in *Arcam* introducta fuiſſe, quæ immediatè ex maſſa chaotica à DEO fuerunt producta, quæque mutui ſexûs commiſtione ſeſe propagare ſolent, non verò ea, quæ jam recenſuimus, inſecta; cum hæc poſteà ex naturali rerum corruptione, juxta ſeminarias cauſas, vegetabilibus, aut ſenſitivæ naturæ, à DEO inditis, exorta ſunt.

Quomodo intra viſcera animalium inſecta vermeſque naſcantur.

Smicroſcopii experimenta.

His itaque expoſitis, jam ad Reptilia progrediamur: Itaque Quænam ex iis *Arcam* intrârint, meritò quis dubitare

Serpentes utrum *Arcam* ingreſſi ſint.

bitare posset. *Dubium* itaque solvamus. Certum est, & indubitatum, quemadmodum in *XII. Libro Mundi Subterranei* per experimenta ostendimus, pleraque Reptilia, uti non secus ac insecta, ex putri nascuntur, ita quoque, ut ea in *Arca* conservarentur, non fuit necessarium, cum ex suis seminiis nasci potuerint. Quod ut manifestum fiat: Dico primò Serpentum, Reptiliumque per totius Corporis substantiam, semen in se sibi similis propagandi continere, ut si serpentem in minutissimas partes discindas, & deindè pluviali aquâ Soli expositas partes perluas, fieri cum tempore, ut indè infinita propemodum vermium, qui intra exiguum temporis spatium in Serpentes evadant, pullulago enascatur; quod & de cæteris insectis dictum velim, idque per experientiam didicimus. Edidit non ita pridem *libellum de Insectorum generatione*, doctus & perspicacissimus *Franciscus Redus*, Magni Ducis *Hetruriæ* Medicus, sedulus naturalium rerum explorator, in quo animalia, quæ *insecta* vocantur, ex putri generari negat, ac proindè mea in *Mundo Subterraneo Libro II.* experimenta proposita etsi modestè, & honorificè, nescio tamen, quo contradictionis pruritu stimulante, fugillat; eò quod mea experimenta à se ad incudem reducta non substiterint. Ego sanè, uti germano candore in experimentis sumendis processi, ita quoque nil in secreto recessu, sed in doctissimorum Collegii Romani Professorum præsentia, (ne de mea fide, & sinceritate dubii, sed fidi, & oculati testes mearum operationum, præsertim circa Serpentum, Scorpionum, Ranarum, Xylophytorumque generationem, testes esse possent,) executus sum; ut proinde Ἀποφώνημα falsissimum sit, tale & tale experimentum à *Redo* factum successum non habuit, ergo à *Kirchero* factum, falsum est. Ego sane jam à 40 annis in hujusmodi empiricis studiis versatus, innumerabilem pene multitudinem experimentorum Orbi literario proposui, quæ uti non exiguam admirationem Viris curiosis rerum naturalium indagatoribus pepererunt, ita quoque ad veritatem propositorum experimentorum explorandam, tentandamque illos mirifice excitârunt; Et nonnullis quidem experimentorum tentamentum desideratum effectum peperit, prout *Libellis* publicæ luci datis, mihi inscriptis, contestati sunt; apud alios verò, qui tumultuarie solummodo rem tentarunt, nullum successum sortita, mirati sunt; ut proinde multi de fide mea dubii, literis, ad successum obtinendum, de modo operandi me consuluerint; quem cùm præcisius, exactiusque præscripsissem, tandem veritatem consecuti, gratias mihi agere, non destitêre. Magnâ itaque cautelâ, invictâ patientiâ, & constantiâ experimenta sumenda sunt; imo necesse est, ut cumprimis circumstantias loci, temporis, res singulas cum singulis combinando, semper ad Naturæ ἀρχέτυπον mentem indeclinabiliter reflectant; ut tandem desideratum effectum producant. Quod tandem *Redus* ex putri nihil generari asserat, id cum moderatione intelligi velim, id est, non pure & simpliciter, sed per seminia rerum aliunde advenientium, quæ omnia cùm quàm uberrime in *citato Mundi Subterranei Libro II.* deduxerimus, illuc Lectorem remittimus, ut proinde nulla inter me, & *Redum* in ea de insectorum generatione, differentia sit, nisi in paucis, quæ facile tamen concordari possunt ab eo, qui æquum rerum judicem se interponet. Sed hæc ad mei defensionem sufficiant, nunc ad propositum nobis institutum regrediamur. Cur itaque *Sacra Scriptura* Reptilia *Arcam* ingressa tradat, non insecta verò, ad id ea qua fieri potest, brevitate verborum respondeo.

Dico itaque. Tametsi multa animalia etiam Quadrupedia, uti Mures, Talpæ,

Ranarum, Lacertarumque penè omnes ſpecies ex putri, id eſt, ex ſeminio iſtiuſmodi animalium alicubi relicto, id eſt ex eorum putredinoſis partibus naſcantur, quia tamen etiam naturali fœminæ cum maſculo commixtione ſeſe propagare ſolent; Hinc multi *Interpretes* ſentiunt etſi perperam, illa quoque cum cæteris quadrupedibus ad *Arcam* jus habuiſſe, atque intra eam admiſſa eſſe, eò quod mutuo coitu ſe propagare ſoleant; verùm cum illa ex multiplici ſordium colluvie, vel in ipſa *Arca* ex putri naſci, & deindè etiam per utriuſque ſexus copulam ſeſe propagare potuerint; non video, quomodò ea *Arcam* intrare debuerint; quod idem de Inſectis ſupra memoratis intelligi velim, cum hæc ſine illa ſexus diſtinctione, ex ſolo excrementorum propriorum ſpermatiſmo ad proximam materiæ diſpoſitionem, in animatum corpus excludantur. Qui verò dicunt, eas perfecto coitu maſculi cum fœmina ſe propagare, valdè hallucinantur, cum ille in Inſectis coitus nil aliud ſit, quàm pruritus quidam poſteriorum partium, quo unum aliud per affrictum quendam à natura illis inſitum ad ſordes expellendas, ex quibus poſteà ſimile iis, quoad ſpeciem animal naſcitur, inſtimulare ſolent, quemadmodum in Muſcis videre eſt; ut proindè nec illa, nec hæc in *Arcam* intraſſe, is ſolus neſcire poſſit, qui arcana Naturæ ignorârit; cum hæc, uti dixi, vel in ipſa *Arca* unius anni decurſu facilè in infinitum ſe multiplicare potuerint.

Quæ ex putri naſcuntur animalia, in *Arcam* non fuere recepta.

Cum itaque *Sacer Textus*, nullam Inſectorum, animaliumque ex putri ſeminio infecto naſcentium, mentionem faciat, ſed Reptilium ſolummodò, jam examinandum reſtat, quænam illa Reptilia fuerint.

Quomodo Inſecta congrediantur.

Mirantur multi, cur Divina bonitas ea animalia, quæ per veneni ſui atrocitatem, tantum abeſt, ut conſervari debeant, ut potiùs deſtruenda & tanquam humani generis exitia prorſus exterminanda ſint, in *Arca* tamen conſervare voluerit. Cauſæ hujus rei multiplices adferri poſſunt; quarum prima fuit ut homines ex horum animalium intuitu & conſideratione, memores eſſent iſtius Serpentis, a quo totius humani generis ruina originem duxit, quæ tam grandis fuit, ut non niſi ſanguine filii DEI reparari potuerit. *Secunda*, ut DEUS ea, quæ in primordio Mundi ex terra produxerat Reptilia, eadem in *Arca* conſervarentur, non quod, uti *Philoſophi* dicunt, tantummodò ad decorem univerſi ſint, ſed etiam, quod etſi virulentiſſimo toxico turgeant, & in exitium hominum animaliumque nata videantur, plurima tamen commoda, & utilitates quoque Mundanæ Oeconomiæ præſtent. Cum enim Natura in perpetua rerum viciſſitudine, nunc generando, modò quod genuerat, corrumpendo, occupetur; hinc fieri non poteſt, ut non ſubindè ex ſiderum malignorum influxu, variarumque quiſquiliarum terreſtrium ἀπορρεία, peſſimæ & malignantis naturæ putredines in Terreſtris Orbis viſceribus oriantur, ex quibus poſteà hujuſmodi animalia ut plurimùm generentur; hæc verò ex naturali pronitate, cum illud, ex quo nata ſunt, miro quodam magnetiſmo ad ſe allicientes, Terram à virulenta illa & herbarum plantarumque deſtructrice facultate liberent, id ſane magnum naturæ bonum cenſeri debet; Quæ verò in aquis natales ſuos habent, idem in aquatico Regno præſtant, quod prædicta in Terreſtri, & Inſecta volatilia in Aëreo; ex quibus aliud emolumentum reſultat, quod tam Reptilia Terræ aquarumque, quàm Inſecta tandem cedant in alimentum nonnullorum animalium, quæ ſine illis vivere non poſſent, ut in Ciconiis, Corvis ſimilibuſque videre eſt. *Tertiò* cedunt hæc animalia in excellens medicamentorum alexipharmacum, uti ex Theriaca patet, & peſtifera lue laborantibus in inſigne remedium; de quibus quàm fuſiſſime actum vide in *Diatri-*

Utilia ad multa Reptilia.

Magneticè trahunt humores venenoſos Serpentes & alia.

Cur ex Inſectis ſola Reptilia in *Arcam* recepta ſint.


Seps
Vipera
Hemorrhous
Cerastes
Dipsas
Aspis vulgaris
Amphisbæna
Scytale



Diatribe noſtra de Peſte, quod *Scrutinium Phyſico-medicum* inſcribitur. Accedit hiſce *Quarta* ratio, quod dicta Reptilia ſive Serpentes putrilaginoſam alignitate in ſe derivata, vel ipſam *Arcam* ab exhalationum virulentarum, aëriſque pernicie quadantenus purgarent, & unà Ciconiis, aliiſque ὀφιοφάγοις animantibus in nutrimentum cederent. Jam verò quænam illa ſint, Reptilia, videamus. Suntque ſequentia:

Vipera, *Aſpis*, *Ceraſtes*, *Dipſas*, *Hæmorrhois*, *Ptyas*, *Amphisbæna*, *Seps*, *Scytale*, *Jaculi*, *Boa*, *Draco*; & hi Serpentes ſunt; ſequuntur *Salamandra*, *Lacerta*, *Stellio*, *Chamæleon*, *Rubeta*, quæ inter Reptilia quadrupedia recenſentur. Serpentibus jungi poterant *Draco alatus*, *Baſiliſcus*, & ſimilia; Verùm cum, quæ de *Baſiliſco* ſcribuntur, fabuloſis potiùs, quàm veris Serpentibus adſcribamus; ea non admittenda, duximus.

Vipera. *Vipera*, Græcis ἔχιδνα, notiſſimus Serpens, ſeſquipedalis longitudinis viviparum animal, tam ex putri, quàm ex utriuſque ſexus copulâ naſci poteſt, quæ etſi virulentiſſima ſit, & morſu prorſus exitialis, innumeras tamen utilitates humano generi quoque confert, uti *paulò antè* docuimus; cum ſit contra ſuum proprium venenum, antidotum infallibile, uti *Libro* 3. *Artis Magneticæ*, & in *Libro* 9. *Mundi Subterranei* oſtendimus.

Aſpis ejuſque natura. *Aſpis* Virulentiſſimus Serpens, in *Italia* rarus, in *Septentrione* prorſus ignotus, in *Ægypto* & *Lybia* frequentiſſimus, ſiderativa facultate morſu pollet; experientia tamen docuit, *Viperam* ab *Aſpide* non diſtingui; eam ob cauſam, quod *Vipera* in *Ægyptum* tranſlata in *Aſpidem* degeneret, ob naturales *Ægypto* inſitas terreſtris glebæ proprietates venenoſas, quibus attractis, *Vipera* in *Aſpidem* virulentum convertitur.

Ceraſtes. *Ceraſtes* Κεραστὴς, à Cornibus, quibus caput protuberat, ſic dictus ſerpens, ex differenti putredinis combinatione natus, morſu pruritum primò totius corporis, deindè vertiginem cum amentia, inflationemque tibiarum cauſat.

Dipſas Serpens à ſiti, quam morſu cauſat, ſic dictus. quicunque enim ab ea morſus fuerit, is mox aquæ potu ſatiari non poteſt uſque ad ſtomachi ventriſque rupturam, ob ſitis inexplicabilis tormentum; differt ſpecie à dictis ob effectuum, quos cauſat, diverſitatem. *Dipſas.*

Hæmorrhous, à ſanguinis profluvio, quod cauſat, ſic dictus. Morſu enim ſtupendæ virtutis, ex omnibus humani corporis membris ſanguinem exſudare facit. *Americæ* proprius, poſt diuturnas pluvias ex nubibus bicaudata formâ decidens; qui cum ex putri, locique natura ſolùm naſci credatur, in *Arca* non eſt, cur receptus ſit. Αἱμορροΐς.

Ptyas Serpens eſt, ſputo ſolo intoxicans homines, animantiaque cætera; veneno calorem naturalem extinguit, amentiam, paralyſin, & apoplexiam, uno verbo, omnia interiora in tabum reſolvit. *Ptyas.*

Seps Serpens eſt, virulento morſu ictos in putredinem reſolvit, qui vel incautè calcatus mortem ſubitaneam adfert. *Seps.*

Amphisbæna Serpens binis capitibus, in utraque corporis extremitate inſtructus, cujus figura hæc eſt. *Amphisbæna.*

Scytale Serpens innumeris coloribus tinctus, quorum conſideratione fixos curioſiores veneno irremediabili conficit. *Scytale.*

Sunt & Serpentes innoxii, quos *Itali*, *Cervioni* vocant, ſubindè quinque aut ſex palmorum longitudinis, familiares Agyrtis & circumforaneis.

Boa Serpens eſt, ſic dictus, eò quod Vaccis lac exſugere ſoleat, tantæ vaſtitatis, ut principatu *Claudii*, *Plinio* teſte, cum in Vaticano occiſus eſſet, intra ventrem infantem à ſe deglutitum exhibuerit. *Boa.*

Sunt

Serpentes in *America.*

Sunt prætereà in *Africa*, *Indiisque* incredibilis penè magnitudinis ſerpentes, qui tamen uti natura Regionis, cœlique particulari influxu & natura loci ex Vermibus, vel quocunque alio Serpente illuc tranſlato, in tantam longitudinem creſcunt, ita quoque *Arcam* introductos non crediderim; cum plerique vel mutatione loci, ex pura puto naſcantur putri ſpermatico.

Baſiliſcus.

Baſiliſcum quoque *Plinianum* tanquam fabuloſum ab *Arca* rejicias; *Lacertas* tamen, *Salamandras*, *Stelliones*, *Crocodilos*, *Chamæleontes*; Reptilia verò quadrupedia ex naturali coitu genita admittimus, ſinguliſque in *Arca* locum conſtituimus.

Hiſce jungunt nonnulli *Ranas*, *Crocodilos*, *Rubetas*, quadrupedia, eo quod primo in Vermes reptiles, tandem in quadrupedia degenerent, quamvis nullum horum animalium in *Arca* fuiſſe, plerique *Zoologi* ſentiant, excepto *Crocodilo*, eò quod inter mediæ perfectionis animalia computetur. Sed de his in *ſequentibus* pluribus.

Porrò *Geſnerus*, & alii *Zoologi* Inſectorum triginta ſpecies numerant: ego verò ad numerum ea revocari non poſſe aſſero, cum innumerabiles ſint; tot videlicet, quot diverſæ arborum, plantarum, tot; quot animalium quadrupedum diverſæ ſpecies; generat enim omne vivens ex ſui corruptela humoris, animal à cæteris differens; uti fuſè in *Mundo Subterraneo* demonſtravimus. Quæ verò ex Terreſtrium àquearumque putredinum miſcella naſcuntur, ſine numero pariter eſſe pronuntio, cum tot differentia quotidiè naſcantur, quot novæ putredinum tum in Terreſtri, tum in Aqueo elemento generationum combinationes fiunt; quæ uti olim & hodiè ex dicta ſeminalium rationum miſcella naſcuntur, ita quoque ea *Arcæ* includere voluiſſe incongruum, ne dicam ridiculum eſſe, nemo niſi inſenſatæ mentis inficiabitur.

Innumerabilis vermium multitudo ubique.

CAPUT V.

De Quadrupedibus in Arcam *introductis.*

Definitio Quadrupedis.

INtelligo primò per Animal quadrupes quod graditur, Capite, Collo, Dorſo, Ventre, Pedibuſque quaternis inſtructum, & ex ſe & natura perfectum, non ex putri, ſed ex ſeminis utriuſque ſexus commixtione natum, cujuſmodi ſunt *Elephas*, *Camelus*, *Bos*, *Alce*, *Leo*, *Equus*, *Aſinus*, *Tigris*, *Cervus*, *Urſus*, *Pardus*, *Panthera*, *Lupus*, *Canis*, *Porcus*, *Vulpes*, *Felis*, *Caper*, *Lepus*, *Cuniculus*, *Taxus*, *Sciurus*, *Martes* & ſimilia.

Principium & finis Quadrupedum.

Cauſæ efficientes Quadrupedum ſunt, *Primò*, principium & finis omnium DEUS *Optimus Maximus*, ad manifeſtandam Sapientiam, & Omnipotentiam ſuam; *Secunda* eſt ipſa Natura, quam ſingulis implantavit Conditor Sapientiſſimus, tum ut ſe per inſtinctivas cognitiones, & proprietates inſitas iis conſervarent, & à nocivis ſe munirent. *Tertia* ſtellarum influxus, quo ſub diverſis Climatis variam ſortiuntur conſtitutionem. *Quarta*, ſunt ipſæ ſpecies ſe multiplicantes, juxta illud Divinum præceptum, *Creſcite & multiplicamini, & replete terram.* Finis tandem intermedius eſt homo, cui dant alimentum, victum, veſtitum, & oblectamentum. Differunt verò indole cæteriſque affectibus, dum quaſdam manſuetas & domeſticas, nonnullas feras & ſylveſtres conſpicimus. Differunt prætereà modo paſcendi, dum quædam ſunt ruminantes, quædam carnibus ſolùm, aliquæ ſolis herbis, nonnullæ παντόφαγα, id eſt, *omnivoræ* ſunt. Aliæ differunt diviſione pedum, uti biſulcæ, ſeu unguifidæ, & ſolipedæ. Differunt denique, dum aliæ mundæ, aliæ immundæ dicantur, non ratione eſſentiæ, ſed ratione ſenſus, & uſus; ut proinde

proinde ſatis mirari non queamus Divinæ Sapientiæ altitudinem, dum in principio Creationis, tam provide, & tanto cum ordine mundo mundique filio homini providit, dum *primò* Terrâ & aquis ſtelliſque productis, mox Terram herbis & arboribus, tanquam annonâ, & commeatu animantibus paulò poſt producendis parato inſtruxit: productis animalibus, ſubſecuta fuit hominis creatio, ut homo utroque & vegetabilis & ſenſitivæ naturæ ſubſidio, quàm firmiſſimè, tum ad victum, tum ad veſtitum, oblectamentumque poſſeſſione perpetuò duraturâ uteretur. Atque hiſce camporum ſylvarumque receſſus conferti ſunt, hiſce ſuperbit civibus totius terreni globi ambitus. Quibus quidem breviter recenſitis, jam ordine ſingula ex dictis in *Arcam* introductis, juxta naturam & proprietatem uniuſcujuſque deſcribamus, à majoribus corporis mole orditurі.

Elephus ejuſque Natura & proprietas.

Elephas omnium *Zoologorum* calculo, uti mole corporis cætera excedit; ita

quoque meritò primum in *Arca* locum jure ſuo requirit. *Elephas* brutum quadrupes eſt, robuſtum, maximum, etiamſi horridum aſpectu, docile tamen eſt, & niſi irritetur benignum; & materiali quodam ut ita dicam, judicio in rebus agendis pollens: omnium prudentiſſimum cujus vox naturalis eſt barrire, foliis arborum, herbis fœnoque, uti & fructibus, utpote Peponibus, imò placentis quoque mellitis paſcitur. Delitiæ ejus ſunt in *India* Arundines Saccharaceæ, & potus vinum crematum, vel quodcunque tandem aliud vini genus ſpirituoſis halitibus generoſum; Mirum tamen eſt, vitatis ſuperfluis neceſſaria tantùm appetere; potu tamen aquæ paulò excedit, cum *Ariſtotele* teſte, ſex aut ſeptem modios aquæ uno hauſtu facilè abſorbeat; Vaſtitas tamen corporis id ab hac immoderata potus ſumptione facile abſolvit; in ſociali commoratione, maximus cæteris præcedit; flumina tranſituri parvulos probiſſimè, ne abſorbeantur, geſtant; montes aſperiores ſubituri, proboſcide pro baculis utuntur; in Theatris quoque ſuas partes egregiè peragunt; *Mures* & *Muſcas* timet, quas rugis pellis inhærentes, contracta pelle enecat. Sed de his animalibus vide *Zoologos*.

Camelus eſt animal quadrupes, gibboſum, gramine, fœno & frugibus, *Camelus.*

ſpinoſiſque fruticibus vitam ſuſtinens, famis ſitiſque patientiſſimum; manſuetum quoque, niſi quando in venerem initio verni temporis concitatur; injuriarum à rectore ſuo acceptarum memor, in illum vehementer ſævit; vox ejus eſt ſtridere, ad onera etiam maxima aptiſſimum: unde proverbium: *Camelus* etiam ſcabioſus plurimorum

morum *Asinorum* fert onera, nec ea refugit, etiam morbo affectum.

Taurus, *Bos.* *Taurus* sive *Bos* est animal quadrupes mugiens; mugire enim bovino generi



maximè convenit; nutritur gramine, fœno, paleâ, hordeo, aliisque, ex mundis unum. Collo validissimo, ungulâ bifida, humano generi utilissimum, non agriculturæ solummodò laboribus; sed & carne sua nos sustentat, lacte alit, corio vestit, cornibus in variis humanæ vitæ usibus nobis servit; undè & *Ægyptiis* in summa semper veneratione fuit, *Bovemque*, tanquam vivam *Osiridis* imaginem innumeris superstitiosi cultus ritibus adorarunt. De quibus vide *Opera nostra hieroglyphica*; Dividiturque in varias species; scilicet in *Boves Asiaticos*, *Africanos*, *Indicos*, *Bisontes*, *Uros*; quæ tamen à cœli, & terrestris loci natura, uti in *præcedentibus* docuimus, omnem illam varietatem acquirunt.

Ægyptiorum in *Bovis* cultu stoliditas.

Monoceros. *Monoceros*, sive *Unicornis*, proximè magnitudine, ut *Authores* sentiunt, ad *Taurum* accedit. Verùm cum nullus hucusque inventus sit, qui hujusmodi animal se vidisse attestari possit, ideò nos non immeritò ea inter fabulosa *Plinii* recensemus. Non nescio, multa animalia unicornia, ut *Asinos* & *Capras* in Regno *Tanchin*, *Pegin*, *Conchinchim*, *Rhinocerotes*, & in *Africa Boves* quoque unicornes reperiri; id

Monoceros Plinianus non reperitur in natura.

verò unicorne animal, sicuti id *Plinius*, & *Scaliger* aliique describunt, nullum hucusque hisce potissimum temporibus, quo totus Terrarum orbis, si unquam, hoc seculo sane frequentissimè, tum terrâ, tum mari susceptis itineribus lustratus fuit, visum fuisse, mirum non immeritò cuique videri possit. Rursùs qui hoc animal Divinis humanisque literis convicti, aliquando fuisse sentiunt, & *Diluvio* periisse, id ex maximæ virtutis cornibus ex terra nullo non tempore effossis, demonstrare conantur, illi pariter hallucinantur; cum *Sacra Scriptura* iis in locis non de certa horum animalium specie, sed de animantibus unicornibus, quorum multa adhuc in *Indiarum* Regionibus cernuntur, in genere loquatur. Ad cornua verò quod attinet, intra terram relicta, illa utique, non cornua dictorum unicornium, sed vel vi, & efficacia naturæ producta, vel etiam ingentium piscium rostra (qui in ultima Insularum *Gronlandia* stabulantur) à *Danis* noviter detecta, censeri debent; quemadmodùm fusissimè in nostro *Mundo Subterraneo* docuimus, quem Lector consulat. Asserentes verò, tam celebrem animalium speciem in *Diluvio* periisse, Divinæ providentiæ contradicunt: Quasi verò DEUS istiusmodi animal conservare vel non voluerit, vel non potuerit; cum plura

Rostra unicornium, quæ tanto in pretio habentur, *Rostra* piscium sunt.

&

& minoris momenti in *Arca* animalia conſervârit, uti de Reptilibus diximus; hoc itaque aſſeverare de DEO, blaſphemiâ non caret. Non itaque alia ratio aſſignari poteſt, illud in *Arca* non fuiſſe ſuſceptum, niſi quod tale, prout ab *Authoribus* deſcribitur, nullibi in hunc uſque diem viſum ſit. Per *Unicorne* itaque, alia ſimilia huic ſpeciei animalia ſuprà recenſita intelligi debent, ut *Sacræ Scripturæ Textus* ſervetur. Ego per *Monocerotem* nil aliud intelligi exiſtimo, niſi

Rhinocerotos. *Rhinocerotem* animal in naſo cornu portans, eſtque paulò *Elephanto* minus, cum quo & bellum gerit, totum cataphractum.

Bubalus. *Bubalus* ſive *Bufalo*, vulgo Bovini generis, ex mundis unum, animal eſt

aſpectu formidabile, cornibus præduris & inflexis, quibus pretioſa quævis conficiuntur; corollæ precariæ, reliquiarum capſulæ, vaſcula, ſimiliaque conficiuntur; aquis & luto gaudet, ferox animal, nulli, ne quidem conductori, ſi quandoque irritetur, parcit, ex rubri coloris aſpectu excandeſcit, caro olim *Sacris Literis* teſtantibus, cibus reputabatur delicatus, & inter cæteras carnes, menſæ *Salomonis* deputabatur; hodiè non niſi *Judæis* in eſcam cedit, inter munda tamen animalia recenſetur.

Alce animal quadrupes, velox, biſulcum, unde & mundis animalibus adnu- *Alce.*

merari poteſt; flebilem adinſtar infantis vocem emittens: *Cervo* majus & hirſutius eſt; gramine & fœno vivit; ut plurimum in *Lituaniæ* & *Moſcoviæ* ſylvarum latibulis deprehenditur; Germanicè, *Elendt* à voce flebili: ab Italis *Gran beſtia* dicitur, non tam à magnitudine, quàm ob eximiam virtutem, quâ Epilepticos, ungulâ ſuâ collo, aliiſve membris appenſa, ſanare dicitur; cujuſmodi in noſtro Muſæo videre eſt.

Equus animal quadrupes hinniens *Equus.* eſt, generoſum, docile, fidele, hu-

manis uſibus maximè aptum, gramine, fœno, paleis, avenâ, hordeo alitur.

Animal adeò ſalacitate concitatum, ut vel ad primum *Equarum* odorem vix cohiberi poſſit. Virgilius.

Corpora, ſi tantùm motas odor attulit auras,
Illos tum non fræna virûm, neque verbera ſæva,
Non ſcopuli rupeſque cavæ atque objecta retardant
Flumina correptos undâ torquentia montes.

Cæterùm nullum inter quadrupedia, bello aptius eſt, ob generoſitatem, quam in invadendis hoſtibus, ſine ullo terrore exhibet. *Crabrones* & *Veſpas* illum ex excremento proprio generare, experientia docet. Vide *XII. Lib. Mundi Subterranei.*

Tigris. *Tigris* animal eſt αἰλυρόμορφον, id eſt, *Felis formâ*, velociſſimum, robuſtum, indomitum, & maculoſum; vivit ex raptu; *Cervos*, *Boves*, *Oves*, *Equos* & *Canes* invadit, interimit, & devorat; olfactu nulli alteri ex quadrupedibus cedit; fame urgente, velocitatis ſunt incredibilis, benè paſtæ, nihil illis pigrius eſſe poteſt, ita ut vel etiam à quovis *Cane* in fugam facilè convertantur; pili circa os virulento, & irremediabili veneno pollent. Vide noſtram *Chinam illuſtratam.*

Urſus. *Urſus* animal eſt quadrupes, murmurans, ferox, robuſtum, & perniciоſum, robur tenens in anterioribus pedibus & lumbis, cæterùm caput invalidum, fructibus omnis generis, melle, formicis, & cadaveribus quoque veſcitur; homine viſo ſtatim in pedes ſe erigit, & amplexatum violentâ compreſſione occidit; coëunt humano more. Latet hyeme ſucco proprio, uti dicitur, vivens.

Leo eſt brutum quadrupes, rugiens, generoſum, ſuperbum & ferox; *Leo.*

veſcitur animalibus, prædaque vivit, infeſtus eſt *Cervis*, *Apris*, *Bobus*, aliiſque quadrupedibus, cadavera non tangit niſi fame coactus, quâ ſubindè ita cruciatur, ut nec armis, fuſtibus, lanceis, ſagittiſque terreatur, ſed intrepidè oppida villaſque ingreſſus, nulli, nec brutis, nec hominibus parcat: prædâ captâ, priùs ſanguinem exſugit, deindè reliquum corpus, non una parte contentus, totum in partes diſcerptum dilaceratumque devorat, cumque nimio ciborum onere ſe aggravatum ſentit, herbis aſſumptis ſe ad vomitum concitat, deindè ad biduum abſtinentiâ ciborum ſibi ſanitatem reſtituit. Si ejus magnitudinem conſideres, eum *Aſino* haud diſparem reperies; Capite firmo eſt, pectore amplo & valido, juba duriori, quæ pulchre armos & collum veſtit; latera robuſta habet, & nervis ſolidiſſimis compacta, ungues acutiſſimos, oculos terribiles, cauda pugnæ prænuncia, rugitus horribilis; Quod vero quidam dicunt, oſſa eum habere fine meatu

meatu medullari, falſum compertum fuit. Salaciſſimum animal, præſertim fœmina, quæ libidinis œſtro percita, etiam *Pardum* admittit; quod ſi quando ſentit mas, tota vi in ultrices pœnas exurgit; odoratu multum valet, indeque maſculus femellæ adulterium agnoſcit, quæ tamen aſtutiori inſtinctu, ne deprehendatur, aquâ ſe lavat, & hoc pacto marem decipit. Rugitum *Leonis* omnia animalia formidant, quo feras quaſcunque veluti faſcino ligat. Imperterritus Venatoribus ſe ſiſtit; à quibus ſi vulneretur, rectà in Venatorem irruit, eumque proſternit. Aliàs hominem niſi læſus ab ipſo, aut extrema urgente fame non lædit. Fœminas verò etiam amat, & libenter converſatur cum iis, ſi quam noxam cæteris brutis intentat, facile à fœmina baculi minis à noxa abſtinet.

Cervus. *Cervus* animal eſt quadrupes, velociſſimum curſu, rancans, id eſt, vocem rancoram edens, quod tametſi vaſtis & ramoſis cornibus conſtet, timidum tamen eſt: veſcitur frugibus, oleribus, graminibus, aliiſque agrorum, hortorumque fructibus, biſulcum eſt, & ideò mundis animalibus adnumeratur. Tempore menſis Auguſti, ardentiſſima libidine agitatur; denique animal eſt ad omnes humanos uſus aptiſſimum, car-

ne, corio, cornibus, pinguedine: in varias ſpecies dividitur.

Aſinus notum animal, tardum, ſtupi- *Aſinus.*
dum, ſalax, famis, laboris & verberum

patiens; vox ejus propria ruditus eſt; viliſſimo alimento contentum; tribulis, carduis, ſpinis, graminibus, paleâ, fœ-

no; aliiſque viliſſimis plantis veſcitur. *Onager & Bonaſus.*
Equus ex *Aſina* generat *Mulum. Onager* & *Bonaſus* etſi differentes aliquo modo quoad exteriorem formam ſint, ejuſdem

tamen ſpeciei cenſentur eſſe, ſolâ Cœli, telluriſque naturâ transformati.

Lupus. *Lupus* animal eſt quadrupes ululans, hominibus animalibuſque infeſtum,

rapacitate & voracitate inſatiabile, ita ut vel integra Ovium, cæterarumque animantium corpora, unà cum pilis & oſſibus devoret potiùs, quàm comedat.

Pardus. *Pardus* carnivorum animal, maculis nigris per totum corpus à natura pul-

chrè depictum; ferox, robuſtum, aſtutumque; ex raptu animalium vivit, nulli parcens, nè quidem hominibus; ſalaciſſimum eſt; undè etiam diverſæ ſpeciei animalia admittit, ex quibus differentes ſpecies animalium exſurgunt, uti poſteà videbitur. *Pardus* & *Panthera*, *Plinio* teſte, unum ſunt, & non differunt niſi ſexu; *Pardus* enim mas eſt, *Panthera* fœmina. Sed alii aliter tenuerunt.

Pardus, Panthera.

Caper, Capræ. *Caper*, & *Capræ*, in multas ſpecies dividuntur à nonnullis, quæ tamen non tam ſpecie, quàm exteriori forma differunt, ex natura loci, alimentorumque differenti conſtitutione: ut *Capricorni*, *Ibices*, *Rupicapræ*, & ſimiles: veſcuntur

omnes graminibus, foliis, fructibus, corticibuſque arborum, fruticumque, ſummitatibus foliorum maximè gaudent: ſi vocem ſpectes, blaterare dicitur; animal libidinoſum eſt, & multiplici fœtu fœcundum; carne, corio, lacte, cornibus, quin vel ipſa lana piloſa magnam utilitatem præbet; & uti ex biſulcis, & ruminantibus unum eſt, ita quoque inter munda adnumeratur.

Explicatio generis *Caprini.*

Eſt autem magna differentia inter *Caprum*, *Hœdum*, *Hircum*, *Capram*, *Capream*, *Capellam*, *Ibicem*. *Caper* enim notat marem caſtratum; *Hœdus* non caſtratum,

ſed propagandæ ſpeciei deſtinatum; *Capra* fœminam notat, quam init *Hircus*; *Capella* fœminam non expertam marem; *Caprea*, ſeu *Capreolus*, *Cervulum* ſylveſtrem exprimit; *Caper* ſylveſtris, *Capricornum*; *Rupicapra* verò Alpeſtribus aſſuetum ſcopulis animal eſt.

Ovillum genus *describitur.*

Ovillum pecus, ſive *Ovis*, animal timidum, patiens & manſuetum, voce balare dicitur: paſcitur gramine & fœno; panem quoque, ſi ei porrigatur, avidè

avidè arripit; uti biſulcum, ita & ex mundis unum; innumeras enim homini præſtat utilitates; Carne ſiquidem & lacte caſeoque nutrimur, corio, velleribuſque, lanâque veſtimur, aliiſque notis omnibus ex ea ſuſceptis emolumentis fruimur; ſimpliciſſimum animal eſt, naturâ ſuâ inerme; non valet unguibus, non dentibus, non calcibus, non cornibus, ut non immeritò *Chriſti* ἔκτυπον ſemper expreſſerit: qui tanquam *Ovis* ad occiſionem ductus, non aperuit os ſuum; & uti ſimpliciſſimum animal eſt, ita quoque facilè in avia & devia abreptum *Lupis* cedit; multis quoque infirmitatibus expoſita eſt, quas abſente paſtore, & non curante incurrunt; ut proindè non immeritò, indè Præſules Eccleſiæ, Paſtores, & curæ eorum commiſſi fideles *Oves* dicantur & numerentur.

Σῦς, *Porcus.*

Porcus animal eſt grunniens, laſcivum, immundum, & vorax, luti volutabro

aſſuetum; herbis & frugibus, potiſſimum radicibus plantarum, uti & glandibus, caſtaneis, pomis, pyris, ſimilibuſque fructibus delectatur: verbo, omnivorum eſt, & fame ſtimulante, non dicam cadaveribus, ſed ne quidem propriæ ſoboli parcit; pro deliciis luto delectatur, & ſi quid luto fœdius eſt; animam vero pro ſale habet: vivens nemini prodeſt, mortuus multis: quamdiù vivit, omnes offendit torvo aſpectu, fœtore & grunnitu. Cùm mactatur, carnes ejus variis modis præparatæ, non exiguam voluptatem præſtant guloſis; proſunt & lardo, farciminibus, ſetis, quorum ingens uſus eſt, tum apud ſutores, tum apud compactores librorum pellis. Lepram tamen facilè contrahunt, & alios etiam eſu continuo & frequenti ſuæ carnis leprâ inficiunt; unde tanquam immundum animal in Lege prohibitum eſt.

Κύων, *Canis.*

Canis eſt animal latrabile, ſagax, vigilans, & fidele; nutritur carnibus, oſſibus, pane, aliiſque, fame ſtimulante omnia quantumvis viliſſima & ſordida devo-

devorans, ne quidem cadaveribus parcit. Ad magnitudinem ejus quod attinet; dico inter omnia quadrupedia nullum reperiri, quod tantâ varietate, sive molem corporis, sive colorum formæque diversitatem spectes, instructum sit, reperiri. Sunt enim *Canes* maximi, *Molossi* Anglicani; minimi uti *Melitæi*; sunt mediocres; sunt glabri; sunt variâ pilorum differentia vestiti; sunt villosi, uti & aquatici: sunt alii ad venationem apti, ad custodiam pecudum alii, alii ad hominum præsidia à Sapientissimo conditore destinati. Venaticos Natura tibiis brevissimis & longissimis corporibus instruxit, eo fine, ut ferarum intima latibula subirent. Cursoribus verò longissimas & subtiles tribuit ad facilem cursum, pectus latissimum ad respirationem, longum rostrum ad aëris in currendo sectionem, caudam cæteris longiorem, ad inversiones in reciproco cursu regendas; quod uti libidinosum est, ita quoque minimè sua specie contentum, *Lupis*, *Vulpibus*, similibusque sæpe congreditur. Osseo pœne natura illud instruxit, ex quo post coitum sequitur adhæsio. Cæterùm sagacissimum est, & Hero obediens ad nutum; docile ingenium habet, ad res ludicras discendas aptum: unde ad macellum mittuntur pro carnibus Hero comparandis. Verua vertunt; literas ad postam portant, & similia jam Mundo notiora, quàm ut quis in iis recensendis tempus perdat.

Nullum Quadrupes differentiores species habet, *Cane.*

Mores *Canum.*

Αλώπηξ. *Vulpes.*

Vulpes est animal quadrupes gannibile, sive ganniens, callidum, & πάμφαγον, ad damna inferenda natum; vescitur enim Gallinis, Anatibus, Anseribus, Muribus, Piscibus, Uvis, Vespis, & aliis quibuscunque tandem. Crudelitatem potissimùm exercet in Gallinis, quibus non nisi priùs occisis omnibus vescitur: animal & caudà, & pelle, dentibus acutissimis instructum; cauda villosa ad multas insidias animantibus, quas appetit, quas solità suà astutia venari solet, struendas, ei inservit: præter pellem & pulmonem, quod homini in usum aliquem cedere possit, nil aliud habet.

Felis sive *Cattus* animal domesticum, omne murium genus ad escam prose-

Αἴλουρος. *Felis.*

quitur: Quamvis etiam pane, caseo, carnibus similibusque vescatur; vocem ejus nonnulli exprimunt per maubare; quæ quidem vox pro interni affectus diversitate varia est, obscœna, cum libidine agitatur, terribilis ac dira, cum de fœminis certant, miserabilis cum fœmina marem advocat; multiparum est, & superfœtans; mollis & remissa, cum ablandire solet. Verùm mores actionesque *Cattorum* cùm nulli non notæ sint, easdem non ulteriùs describendas censui.

Lepus animal timidissimum, velocissimum, & fœcundissimum; vescitur herbis, oleribus, brassica, malva similibusque; & uti natura timidissimum est, ita quoque natura ad vitæ suæ consulendum, omnia membra ad velocissimum cursum adaptasse videtur. Multiparum est, & superfœtans; inveniuntur & teste *Plinio* hermaphroditi inter eos, mas tamen

Lepus. Λαγώς.

men uterum nunquam gerat : Caro à nonnullis improbi ſucci eſſe fertur; Martialis tamen reliquis carnibus præfert :

Inter aves Turdus, *ſi quis me judice certet,*
Inter quadrupedes, gloria prima Lepus.

Cuniculus. *Cuniculus* proximum *Lepori* animal, ut proinde id Leporini generis exiſtiment, & quamvis quoad exteriorem formam prorſus ſimiles ſint *Leporibus Cuniculi*; quoad proprietates tamen Naturæ multùm differunt : habitant enim non in apertis campis, ſed in locis, ſeu mæandris ſubterraneis, quorum ſuffodicatione, nonnullas urbes in ſummo ruinæ periculo fuiſſe, *Hiſtorici* memorant. fœcundiſſimum prætereà animal eſt, dum ſemper fere ternos, & quaternos catulos pariat, atque etiam haud ſecus ac *Lepus* ſuperfœtare ſoleat; unde brevi in magnam & damnoſam multiplicationem propagantur.

Σκίουρος. *Sciurus*, animal eſt mundum, velox, inquietum, *Cuniculo* haud multum quo-

ad membrorum conſtitutionem diſſimile, niſi quod caudam habeat ſat longam & villoſam, qua totum corpus contegere poteſt; utplurimum in Fagis, Quercubus, Juglandibus, Caſtaneis cæterisque frugiferis arboribus habitat, quarum fructibus victitat, ſummaque velocitate ex ramo in ramum, & ex arbore in arborem, volare id diceres, ſe transfert, & cicuratum homini valde familiare eſt, & præſertim ſi Amygdalis, & Saccaro imbutis Nucibus alatur; jucundum eſt videre ejus operationes, geſtus, mores in comedendo : Incluſum caveæ rotabili, illam continue verſat, rota verſata verſat unà brachia flexilia ſtatuarum axi rotæ applicatarum, ut ſtatuæ rotam verſare videantur, & complura hujuſmodi ludicra ſpectacula exhibet.

Muſtela animal quadrupes, audaciſſimum in Mures etiam majores, quibus *Muſtela.*

utplurimum veſcitur, aviculis quoque inſidias tendit, in antris habitat; inquietum ſemper hinc inde diſcurrit, manſueſcit; cum *Bufone*, ſeu *Rubeta* immortale gerit bellum, cui tamen poſteà ſuccumbit, virulento halitu ſiderata; contra Serpentes verò in pugnam ſubitura, priùs rutâ ſe veluti antidoto quodam munire fertur. Vide de hoc animalculo plura in *lib.* 3. *Artis Magneticæ.*

Viverra animalculum, uti lucem odit, *Viverra.* ita ferè ſemper ſubterraneos mæandros

inhabitat, non niſi noctu ad prædam exit; veſcitur hordeo, tritico, avenâ, cæterisque frumentis, & leguminibus, quorum pro hyberno commeatu acquirendo-

rum collectrix est, supra modum studiosa, & industriæ laude conspicua ; undè veluti pro avaritiæ symbolo à quibusdam ponitur ; fœmina tamen Mare dolosior est. Mas enim ex avaritia fœminæ cibum negans, hæc clam sibi excavat foramen, atque aliunde ad commeatum aditum parat ; ut proinde quantò hic tenacior est, tantò illa voracior & liberalior est ; in antris suis audacissimum est, ita ut *Cuniculos* etiam multo majores se, invadat & interimat ; extra eam tamen timidissimum ; sicut *Gallus* in suo fimeto plurimùm valet.

Taxus. *Taxus* sive *Melis*, animal est somniculosum, lucem fugiens, perpetuò in abditis montium antris degit, noctu ad pabulum egreditur, obesum, totum pinguedine constans ; vescitur omnibus fructibus, potissimùm Pyris, quibus summe incrassatur : tota hyeme dormire dicitur, propria pinguedine vitam sustinens ; cæterum tardum, & pigrum est, præ pinguedine ægre se movens, quæ tamen pinguedo Luna crescente, augetur ; decrescente minuitur. Dissidium naturale cum *Vulpe* habet.

Glis. *Glis*, magnitudine *Felis*, infestum *Gallinis*, oviisque, quæ absorbet, damnosum & πολύγονον, dormire dicitur tota hyeme, quod tamen experientiæ repugnat. Verum cum hoc animal notius sit, quàm ut pluribus describi debeat, Lectorem ad alios *Authores* remittimus.

Erinaceus. *Erinaceus*, animal spinosum, sive aculeatum est, capite *Porco* assimilatur, Pomis, Pyris, Uvis, aliisque fructibus vescitur, spinis horridum, dum se capi sentit, in globum se colligit, ut vix tangi possit : serviunt quoque Spinæ, ut fructibus, Uvis, Pyris deciduis, quæ ore non potest, iis supervolutus, suis affixa spinis in foveam deportet, iisque domi pro sua commoditate vescatur.

Hiſtrix. *Hiſtrix* alia *Erinacei* species est, toto corpore longis acutisque aculeis obsi-

tus, quos in sui venatores, non sine periculo gravioris læsionis evibrat ; vocatur & ob formam & similitudinem *Porci*, *Porcus aculeatus* ; generat lapidem, in febribus malignis curandis aptissimum ; vescitur iisdem, quibus *Erinaceus*.

Simia. Ultimò *Simia* animal est, hominem externâ formâ ejusque actiones gestibus variis

variis exprimens: veſcitur omni fructuum genere, Mellis potiſſimum avidiſſimum: Pediculos quoque inter condenſa capillorum quæritans devorat; Vino quoque ſummoperè delectatur. Horum animalium ſumma eſt varietas: ſunt magnæ, mediocres, parvæ, quæ tamen pueri ſtaturam non facilè ſuperant; inquietum animal eſt, perpetuis ſaltibus, & geſticulationibus diſtentum; formâ ſuâ humanæ quidem haud abſimili, ſed fœda; huic enim nates ſuppreſſæ, rugæ turpes, ubera fœda in pectore, corpus totum pilis denſis ſtipatum, oculi profundi & cavi; ungues craſſi; ex omnibus quadrupedibus ſolum caudâ caret; cujus loco glabricies clunium obſcœniſſima; verbo, ridiculum corpus ridiculam animam incluſam tenet. De quibus mira narrantur ab *Hiſtoricis*; hominum actionibus haud abſimilia: animal prolium mirum in modum amans. Cæterum ad nil aliud à Sapientiſſimo conditore rerum, niſi ad delectationem hominum producta videntur: hinc hominis actiones & geſtus perfectè imitatur; petulanti inſuper membrorum agitatione, mira & ridicula patrat, humano more bipes incedit, bipes ſaltat: nunc fiſtula canit, jam aurigam agit, modò militem; ſcribere & pingere quoque affectat; pueris & infantibus delectatur. Sed hæc ut quotidiè hîc *Romæ* obvia ſunt, ita quoque non ulterius proſequar.

Cercopithecus Simia caudata.

Sunt præterea *Cercopitheci* ſpecies *Simiarum*, caudâ inſtructarum, quarum iterum ſumma varietas ſpectatur. Sunt, quos *Cattos Mammones* vocant, omni colorum genere à Natura imbuti, uti & *Simiæ*; ſunt albi, nigri, fulvi, maculati, virides, omnes aſtutiâ & malignitate inſignes. Tota hæc *Simiarum Cercopithecorumq;* varietas aliundè provenire non potuit, niſi ex multiplici, & promiſcuo unius cum aliis, & hæc cum aliis differentis ſpeciei animantibus coitu. Undè non omnes hujuſmodi ſpecies intra *Arcam* conſervatas fuiſſe, certò tenemus; ſed duas principales ſpecies, *Simiæ* propriè dictæ, & *Cercopitheci*, ex quibus poſteà aliæ produci potuerunt.

De Quadrupedibus, quæ in Arca *non conſervata putantur.*

CUm infinitæ propemodum animalium ſpecies ſint ex promiſcuo diverſarum ſpecierum coitu productæ, illas omnes intra *Arcam* introductas fuiſſe non eſt veriſimile, cum illæ poſtmodum ex genuinis & propriis ſpeciebus ſpurio congreſſu generari potuerint: ſed nonnulla horum animalium innumeris aliis, quæ *India*, & *Novus Orbis* producit, omiſſis, recenſeamus.

Mulus.

Et primo quidem loco ſe ſiſtit *Mulus*, animal ſpurium, ex *Equo* & *Aſina* genera-

 ratum,

ratum, quem omnes *Interpretes* ab *Arca* eximunt, cum poſt *Diluvium* multiplicibus jam *Equis* & *Aſinabus*, ex promiſcuo congreſſu naſci potuerit.

Camelopardalis. Ab hac quoque eximi poteſt *Camelopardalis* animal ex *Pardo*, & *Camelo* na-

tum : habet collum longum, & caput inſtar *Cameli*; poſteriores pedes, breviores anterioribus; dorſum inſtar *Pardi* maculis albis inſignitum. *Cæſaris* Dictatoris Ludis Circenſibus primùm viſa *Romæ* : animal manſuetum eſt ; undè & *Ovis* ferè nomen apud *Barbaros* obtinuit.

Tragelaphus. *Tragelaphus*, ſive, *Hircocervus*, ex *Hirco* & *Cerva* genitum animal, & juxta

Phaſidis undas utplurimùm ſpectatur, eò quod ibidem magni *Hircorum Cervorumque* greges ſtabulentur; unde facilè ex petulantis *Hirci* cum *Cervabus* commixtio ſequitur; unde contrahit cornua cervina, reliqua *Hircum* olent.

Hippelaphus animal eſt ex *Equo*, & *Cerva* originem ſuam ducens, quaſi di- *Hippelaphus.*

ceres, *Equicervus* ; habet enim caput & cornua cervina, & mentum barbatum; reliqua equinum quid exprimunt, *Ariſtotele* teſte.

Hippardium animal eſt ex *Equo* & *Pardo* genitum; ex ſpecie *Equi* & *Pardi* conſtitutum. *Hippardium.*

Leopardus animal eſt, ex *Leone* & *Pardo* conſtitutum, vel ipſa forma monſtrat animalis, capite jubato ad inſtar *Leonis* *Leopardus.*

Leonis insignitum, reliquum corpus maculis pulchris depictum *Pardum* refert.

Allopecopithicum. *Allopecopithicum* animal ex *Vulpe* & *Simia* genitum, uti vox ipsa composita

Vespertilioni simile, crumenam habens sub ventre, qua catulos gerit, nec dimittit nisi dum lactare vult. Videtur

Chiurcha. hoc animal *Cardanus*, cum *Chiurcha* ani-

mali *Indiæ Occidentalis* confudisse; quod *Scaliger* mustellino generi adscribit; dicitur esse *Viverræ* facie ac magnitudine, capite vulpino, catulosque in bursa sub alvo extensa portare: cum *Chiurca* minimæ molis, illud verò vulpinæ magnitudinis in *Æthiopia* reperiatur. Quicquid sit, ego sanè audacter asseram, hoc animal, uti monstruosissimum est, ita quoque ex diversorum animalium congressu, ortum suum obtinuisse.

Armodillus. *Armodillus* animal est *Regni Mexicani*, quod in nostro Musæo expositum advenis monstramus, totum instar *Equi* phalerati cataphractum, tessellis seu testaceis corticibus à natura miro ordine distributis instructum, quibus ubi impetitur, mox in globum Erinaceorum more, se contrahit, ita ut nulla ei noxa inferri possit, ore rostrum *Porci*, cauda longa &

testacea, lacertæ caudam exprimit; unde & ab *Hispanis Armadillo* illi nomen inditum est, à *Latinis*, *Erinaceus* cataphractus, sive tessalatus, *Tato* à *Barbaris* vocitatum: *Tato* sive *Aiotochli*, quod idem est, ac *Cuniculus* cucurbitalis. Ego sane, quantum conjectura assequi possum, ex *Testudine* & *Erinaceo* originem suam traxisse, non invitus dicerem, cum testudinacei generis, tessellato corpore, reliqua verò membra, moresque *Erinaceum* perfecte, excepto capite, quod *suillum* est, exprimat.

Marmota animal ex *Mele* & *Sciuro* natum. *Melem* enim capite, pilo, unguibus,

Marmota.

bus, reliquiſque membris; *Sciurum* verò moribus exprimit, dum anterioribus pedibus ſedens, manuum officio, uti *Sciuri*, utatur.

Leocrocuta. *Leocrocuta* animal ex *Leone* & *Hyæna* generatum; teſte *Plinio*, eſſe *Aſini* ferè

magnitudine, collo, cauda, pectore, *Leonis*, capite *Melium*, biſulcâ ungulâ, ore ad aures uſque reſciſſo, humanos mores imitari. Verùm, quæ *Authores de Hyæna*, & *Crocuta* aſſerunt, fabulis ſimiliora ſint, quàm ut certæ alicui animalis ſpeciei congruunt; ideò ea omittenda cenſui.

Corcobado. *Corcobado* animal *Americæ Septentrionalis* gibboſum, ex bovino genere, uti

teſtantur fere omnia genera *Tauro* ſimillima, niſi quod denſis pilorum villis, jubiſque ſit toto corpore veſtitum; Turpe aſpectu animal, currit, ſaltat feritque cornibus, formidine ferociæ animalia cuncta fugat, Indigenis tamen mirum, quàm multa commoda præſtet: ſiquidem ſanguinem in potum, loco panis carnem in eſcam, cornua ad conficienda pocula, pellem in veſtitum & utres; corium in tegumenta caſarum, funes, calceos ac veſtes, oſſa ad arma conficienda, nervis ad fila, ſtercus ad ignis fomentum præſtat, atque adeò vel hoc unicum animal ad omnes ferè humanæ vitæ uſus Indigenis conducit. Ego ſanè non facile aſſererem, id ex diverſæ ſpeciei congreſſu natum, ſed eſſe bovinæ ſpeciei animal, vel cœli influxu peculiari, aut climatis locique natura, uti fere omnia animalia *Americæ*, in hanc formam tranſmutatum fuiſſe.

Innumera hoc loco alia animalia adducere poſſem uti monſtruoſa, ita quoque vel ex cœli apporrheâ, vel naturâ climatis, aut etiam ex promiſcuo diverſarum ſpecierum congreſſu animalium nata; ut proinde ea in *Arcam* introducta minime putem; eum poſt *Diluvium* dictæ ſpecies animalium, dictis de cauſis naſci potuerint. Ne tamen quiſpiam putet, eam ob cauſam illa non me admittere, quod *Arca* illorum capax non fuerit: Ego oſtendam, *Arcam* adhuc ad hujusmodi etiam recipienda, ſat amplam capacemque fuiſſe. Ut verò, quæ hucuſque adduximus, vera eſſe demonſtremus, hîc Ariſtotelis teſtimonium adjungam lib. 2. de gen. animal. c. 5. ubi ſic dicit: *Cœunt animalia generis ejuſdem ſecundum naturam, ſed ea etiam, quorum genus diverſum quidem, ſed natura non multùm diſtat, ſi modò par magnitudine ſit, & tempora æquent gravidationis, rarò id fit, ſed tamen fieri, & in* Canibus, *& in* Vulpibus, *& in* Lupis *certum eſt*; Canes *etiam Indici ex bellua quadam ſimili &* Cane *generantur, ſive ut in Græco eſt:* ἐκ θηρίου τινὸς κυνώδους.

DUBIUM II.

An illa Animalia, quæ Amphibia dicuntur, in Arcam *fuerint introducta.*

Amphibia animalia ea dicuntur, quæ partim in Terra, partim in Aquis degunt, ita ut neque in terra multo tempore, neque etiam in aquis vitam diu ſuſtinere queant : ſunt ſequentia:

Hippopotamus, ſive *Equus Fluviatilis*, quorum magna copia in *Mari Erythræo*, *India*, & *Meridionalis Africæ* Pro- *Hippopotamus.*

vincia *Sofala* ſtabulatur, ingens animal fluviatile, ſeu marinum ; in *Nilo* enim *Cuama*, *Nigro*, *Africæ* fluminibus, viciniſque maribus reperiuntur : informe animal, capite equino, cæterorum verò membrorum habitu à cæteris animalibus differentium multiplici dentium prægrandium ordine inſtructum, in aquis vitam ducit, ita tamen, ut ſub eis longo tempore durare nequeat, ſed noctu extra aquam emergit, & ſibi prædando ad vitam pabulum quærit: herbis fructibuſque in terra, piſcibus in mari veſcitur.



Crocodilus. *Crocodilus* eſt animal quadrupes, *Lacertæ* ſimillimum, niſi quod totum ejus corpus teſtaceum, veluti cataphractum, loricatumque ſit, impervium armis quibuſcunque, niſi in ventre, ubi mollius eſt ; Carnivorum eſt, nulli parcens animalium ; fugit perſequentes ſe, etiam pueros, & lachrymabundum : acriter perſequitur fugientes ; creſcit in tantam longitudinem, ut vix ſtatum conſiſtentiæ habere videatur ; inventi ſunt 50 pedum longitudinis *Crocodili* : ſtabulantur maximè in *Indo*, & *Gange Aſiæ*, in *Cuama*, *Nigro*, *Nilo Africæ* fluminibus ; in fluviis *Marthæ Novæ Hiſpaniæ*, in *Peruanis Lacubus*, in *Moluccis*, *Inſulis Philippinis*, & *Java utraque*, tantâ copiâ, ut niſi humanis viribus exterminarentur, Regiones hujuſmodi deſerere neceſſe foret ; quod utrum tamen ex putri naſcatur, nondum cognitum fuit ; Ego dico, quod non, cum præ reliquis Reptilibus id unum ſit, quod in ſpeciei ſuæ perfectione conſiſtat,

ſtat, atque adeò in *Arca* locum obtinere potuerit.

Lutra. *Lutra* Græcis ἔνυδρον, animal quadrupes, tam in aquis, quàm in terra na-

tales ſuos obtinens, veſcitur in aquis piſcibus, quas non ſecùs ac venaticus *Canis* terreſtres feras, ita hoc aquatica in cibum ſectatur animalia; in terra fructus ſectatur, & cortices arborum rodendo comedit; *Felem* magnitudine exprimit. In *Germania*, *Ruſſia*, *Pruſſia*, *Polonia*, *Lituania*, uti & *Neapoli* in *Italia*, in *Indiis* variis in locis, uti in *Nova Francia*, ſed ſub differenti forma reperiuntur: Eſus carnium hujus animalis in quadrageſima; diebuſque jejunii, uti piſcium, omniumque Amphibiorum, licitus eſt; pellem habet pilis delicatis inſtructam, undè & magno pretio in veſtium hybernarum uſum emitur.

Caſtor. *Caſtor* animal quadrupes Amphibium, ſi caudam ſpectes, piſcis eſt,

quam & quaſi ſemper, aut ſæpiùs aquis ad ſui conſervationem, immerſam tenet; cæterum corpus *Lutræ* non diſſimile eſt, pretioſa pelle ornatum, ex quo pellicea veſtimenta contra frigoris hyberni violentiam conficiuntur; dentes acutiſſimos habet, quibus & frutices & arbuſcula, tum ad fructus, quos in cibum appetit, obtinendos, tum ad habitaculorum, quæ in ſpecubus littori maris, aut fluminum adjacentibus fabricat, conſtructionem amputat: & quamvis nonnulli id piſcibus vivere autument, experientia tamen docuit, ea piſces tantum abeſt, ut appetant, ut potius eorum odorem abominentur; Quod ego tamen non de omnibus, ſed quibuſdam intelligi velim, cum omne Amphibium ut in utroque elemento, cibum naturæ ſuæ proportionatum habeat, neceſſe ſit. Ex eo nobile illud medicamentum, quod *Caſtorium* vocatur, & Theriacæ compoſitionem præter innumeros alios uſus juvat; & nil aliud ſunt, quàm *Caſtoris* teſtes, qui licet intolerabili pœnè fœtore puteant, hiſtericis tamen mulierum morbis, & odore & ſingulari medicamento unicè proſunt. Quod verò *Canibus* id perſequentibus teſtes dentibus amputare dicatur, id in hunc uſque diem experientiâ necdum innotuit.

Teſtudo: Sunt, qui *Teſtudinem* quo- *Teſtudo.*
que inter Amphibia ponant; forſan eâ

opinione inducti, quod duplex ſit *Teſtudinum* genus, terreſtre & aquaticum: Qui in mari vaſtiſſimæ molis teſtudines viderit, is aſſerere cogetur, eas Amphibias eſſe non poſſe, cùm vaſtiſſimo Oceano perpetuò inhæreant, nec ob tarditatem motus inſulas appellendi commoditatem habeant; Terreſtres verò perpetuò, Hyeme præſertim terræ inſepeliantur, atque ex ea vivant, ita quoque præter terreſtre aliud elementum non amant; imò experientia me docuit in hujus Collegii Romani horto, ubi plures aluntur, intra fontani crateris

teris fundam projectas durare quidem, ſed intra aliquot dies mortuas reperiri. Animal eſt quadrupes, teſtaceo cooperculo à natura dotatum, undè & *Domiporta* vocatur, oviparum eſt, & ſaporis haud ingrati, ut proindè Principum menſæ eas admittere non dedignentur; è teſtis uri pulcherrima quævis toreumata conficiuntur, ita apud Tornitores alioſque

Phoca, Vitulus Marinus.

Artifices ſummo in pretio habentur. *Vitulum Marinum*, quæ *Phoca* dicitur, inter amphibia numerari, non eſt dubium.

Syrena.

Syrena, Monſtrum marinum eſt, quod hodiè *Hiſpani pece Muguer*, Itali *Peſce*

donna vocant, animal eſt ἰχθυάνθρωπον, id eſt, ſupernè ad ſexum uſque, mulieris formam, infernè in piſcis caudam terminatur; de quibus, quin dentur, nulli amplius dubium eſſe debet, cujus caudam & oſſa Muſæum noſtrum exhibet; oſſa miram vim ſanguinem ſiſtendi habent. Vide quæ de iis in *Lib.* 3. *Artis Magneticæ*, & in *Itinerario terreſtri C. de Navigatione ſubmarina* de hiſce tradidimus; ubi & Amphibium eſſe oſtendimus, quo in terra deprehenſo *Barbari* ſubindè abuti feruntur.

Atque hæc ſunt præcipua Amphibia ex quadrupedibus, de quibus utrùm intra *Arcam* recepta ſint, lis non exigua eſt inter *Interpretes*. *Oleaſter* ea extra *Arcam* ad latera nidos ſuos habuiſſe exiſtimat, ſed uti in multis aliis, ſic & in hoc ſummoperè hallucinatus eſt. Quid enim ipſis extra *Arcam* profuiſſent nidi, ubi clauſâ *Arcâ* à *Noë*, nec ali, nec etiam aquis turbulentiſſimis procellarum turbinibus agitatis ſe committere poterant, nec etiam ſine periculo diſſipationis ab *Arca* nidis ſeparata unius anni ſpacio intra aquas & vivere, & ſine victu durare non potuerint. Accedit, quod *Sacræ Scripturæ* id aperte contrarietur, quæ animalia intra *Arcam* introducta atque intra ſuas unicuique diſtributas manſiunclas, non extrà perſtitiſſe docet. Alii putant, eas intra aquas toto Cataclyſmi tempore remanſiſſe, cui jam paulò ante reſpondimus. Nos intra *Arcam* conſervata fuiſſe intrepidè affirmamus; cùm intra eam ſatis amplæ manſiones iis conſervandis quàm aptiſſimæ à *Noëmo*, uti ex *ectypo Arcæ paulò poſt* patebit, conſtructæ fuerint, utpote in qua neque vaſtiſſimi aquarum crateres & vivaria, neque cibus Amphibiis ex utroque elemento conſuetus iis alendis deeſſe poterant, cùm omnibus quàm ſapientiſſimè proviſum fuerit.

CAPUT VI.

De Animalium Volatilium in Arcam *introductorum Ratione, Natura, & Proprietate.*

PRæmiſſis Quadrupedibus, jam ad volatilium ſive Avium œconomiam progrediamur, ut omnibus & ſingulis aptum in *Arca* locum conſtituamus.

Diſtinctio Volatilis ab Ave.

Eſt autem Avis animal volans, Oviparum, ſanguine, roſtro & pennis inſtructum. Diſtinguitur autem volatile ab Ave, quia inveniuntur nonnulla volatilia, quæ cum neque bipedia, neque roſtrata, neque pennata ſint, inter Aves adnumerari non poſſunt: cujuſmodi ſunt, *Veſpertiliones*, animal quadrupes, dentatum, piloſum, mammiſque inſtructum, alis cartilagineis aërem tranans, verbo, *Veſpertilio* non niſi *Mus volatilis* eſt; Sunt etiam nonnulli ſerpentes alis non pennigeris, ſed cartilagineis à natura dotati, de quibus fusè in *Mundo Subterraneo*; & *in Opere*, quod *China Illuſtrata* inſcribitur; de *Cattis volantibus*. Horum animalium pennigerorum genera & ſpecies, in primordio rerum, DEUS conditor & prima cauſa rerum eſt; *Dixit enim* DEUS; *producant aquæ reptilia animæ viventis, & volatile volet ſupra terram in ſuperficie*, ut cum Hebræo Textu loquar, *expanſionis Cœli*. Cauſa ſecunda Natura eſt partim influxus ſiderum, partim inſita à DEO ipſis facultas multiplicandi, hæ proximæ, illæ remotæ ſunt. Finis primus & ultimus DEI gloria eſt, finis intermedius homo; homini enim dant alimenta, tegumenta, oblectamenta; proprium verò finem inſuper habet Avis quælibet, quem nemini mortalium, niſi forſan DEUS *Noëmo* illum revelare voluerit, quod, uti *ſuprà* diximus, vero haud abſimile videtur. præſuppoſitum materiæ ſubjectum, ex quo ea DEUS eduxit, aqueum elementum fuit, principium generationis, ſemen; conſtitutionis, partes corporis; forma Avium in genere ſenſitiva eſt, in ſpecie forma cuivis Avi propria, à proprietate ea eſſentia uniuſcujuſque emanavit, qua à ſe invicem ſpecificè, uti ſcholæ loquuntur, innumeris differentium formarum affectionibus, dotibuſque diſtinguuntur. Sunt quædam volucres ad rapinam animantium natæ, feroces, & ſylveſtres, uti *Aquilæ*, *Accipitres*, *Vultures*; Nonnullæ mites & domeſticæ, uti *Columbæ*, *Gallinæ*, *Anates*: Sunt & ſolivagæ & carnivoræ, uti ſupradictæ prædatrices; quædam granis frumentariis aluntur, uti *Columbæ*, *Gallinæ*, *Anates*, *Paſſeres*, & complures aliæ; Sunt prætereà aliæ aquaticæ, aliæ terreſtres, aliæ montes, aliæ plana ſylvaſque amant; prima itaque Avium origo, aqueum elementum fuit, ex quo DEUS, non ex ovo primò; uti nonnulli inſipienter dicunt, ſed integra & perfecta ſingula in ſpecie ſua produxit; Regnum verò iis aſſignavit aërium, quemadmodum enim Piſces per aqueum elementum pinnis ſuis in alarum formam adaptatis, ſic & Aves per auram, cujus incolæ ſunt, volant. Motûs itaque earum locus aër eſt, terra quietis: omne Avium genus bipes & ſanguineum eſt, cor, hepar, pulmonem, arterias, venas, reliquaque ſanguinis opificio, & officio ſubſervientia membra habent, exceptâ veſicâ, quâ non indigent, omni humiditate in pennarum plumarumque ornatum à natura deſtinata, ſed & teſticulos habent, fœmina quidem vulvam juxta ſeptum adjunctam habet; genua habent, ſed ſecus ac homines in adverſum inflexa, quæ non antorſum, ſed retrorſum inflectuntur; cæterùm omnes pennis, roſtris, caudâque præter

Diverſitas Volucrum.

ter paucas à natura inſtructæ; Ova pariunt fœminæ, quæ ſubventanea dicuntur, prolificam vim mares iis imprimunt. Sed de his ſic Aldrovandus ſcribit: Gallina *quæ coivit cum* Gallo, *aut alia quævis volucris, ovum concipit ſuperiùs ad ſeptum tranſverſum, ubi primò minutum & candidum cernitur, mox rubrum cruentumque, deindè creſcens luteum flavumque efficitur totum, poſteà ampliùs auctum diſcernitur, ita ut intùs pars lutea ſit, foris candida ambiat; ubi perfectum eſt, abſolvitur atque exit putamine pariter molli, ſed protinùs dureſcente, quibuſcunque erumpit portionibus, niſi vitio vulvæ defecerit.*

Mutatio Avium etiam unius ſpeciei pro diverſis climatis diverſam formam aſſumunt.

His itaque de Avium natura expoſitis, jam ſingulas Avium ſpecies ordine recenſeamus, ut deindè unicuique ſpeciei aptas in *Arca* caveas attribuere valeamus.

Antequam autem rem aggrediamur, Lectorem notare velim, non omnes hujuſmodi volucrium ſpecies *Arcam* ingreſſas fuiſſe, ſed eas tantum, quæ ex ſe, & ſua natura in perfecto ſpeciei ſtatu à ſupremo Opifice productæ fuerunt, cujuſmodi ſunt, quas jam recenſebimus. Hæ etenim, uti poſt conditionem rerum in diverſas Mundi plagas, climata, & zonas divino ductu diſperſæ fuerunt, ita quoque tum ex natura & ſitu locorum, influxuque ſiderum differentiſſimam quoad exteriorem formam conſtitutionem, tum etiam ex ſpuria diverſarum ſpecierum commixtione etiam monſtroſam quandam formam nactas eſſe, ex *præcedentibus* patuit. Nam quod de Quadrupedibus verum eſſe ſuprà demonſtravimus, multò verius id de volucrium genere aſſerendum cenſemus, idque triplici de cauſa: *primò* quia diverſarum ſpecierum in volucribus commixtio, ex una ſpecie differens omninò animal conſtituit, quæ in volucribus multò facilior eſt, quàm in quovis alio quadrupede, ob communem membrorum ferè omnium in iis conſtitutionem, & temperamentum. *Secunda*, volucres ex incubitu ovorum non legitimo duntaxat, ſed & ſpurio quoque, id eſt, dum una volucris ſuper alterius ſpeciei ova incubat, tum ipſâ natura operante, tum etiam volucris verſatili imaginatione aliam ſpeciem naſci, nemo dubitare debet; & id luculentiſſimè demonſtrat experimentum paſſim uſitatum, dum uti in quadrupedibus *Equos* aliaque animalia variis maculis, coloribuſque artificioſo technaſmate, ſive coitûs, ſive graviditatis tempore, intra tegumenta eo colore, quo animal tingere volunt, imbuta concludunt; tandemque imaginativa animalis vi, & efficacia operante, deſiderati coloris animal excludunt; & ex *Hiſtoria Geneſeos* de ovibus maculatis à *Jacob* Patriarcha, per baculos variegatos artificioſè primùm, deindè quoque naturali induſtriâ tinctis, videre eſt; ita quoque idem in volucribus fieri experimento comperimus: Arte ſiquidem quàm pulcherrime *Pavones* ex pulchro, & multiplici illo pennarum ornatu, in candidiſſimos *Pavones* accidentali quadam metamorphoſi convertuntur; quod & in *Gallinis*, *Columbis*, cæteriſque variegatis volucribus, ſolo imaginationis, ſive phantaſticæ facultatis vigore ſine arte accidere certum eſt. *Tertia*, ex promiſcuo & ſpurio volucrum congreſſu, medium aliquod animal ſpecie differens, quod tamen de una & altera ſpecie participet, naſcitur, quæ *in ſequentibus* enarrabuntur.

Nil in Volucrum genere facilius eſt, quam diverſarum ſpecierum concubitus.

Ex hiſce itaque concluditur, non omnes illas Avium ſpecies, quas *America*, *Africa*, *Aſia*, *India*, toto, ut ajunt, cælo ab *Europæis* differentes, nec non prodigioſa quadam varietate ſtupendas producit, omnes intra *Arcam* concluſas fuiſſe; neque à conditore in primordio rerum ſub tanta diverſitate productas fuiſſe, ſed poſt earum, in univerſum Terrarum orbem diſperſionem dictis de cauſis tantam varietatem incurriſſe; quod idem de vege-

Climata diverſuque cœli aſpectus mutat rerum ſpecies.

tabili Natura intelligi velim ; quemadmodùm *in præcedentibus* innuimus, quæ revera tantas ſubit mutationes ex natura loci, & diverſo cœli aſpectu, ut vix clima ſit, quæ non vel unam & eandem plantæ ſpeciem in aliis aliiſque climatis plantatam, differentem faciat ; cui & omnes *Botanologi* experientiâ docti ſubſcribunt. His itaque præmiſſis, jam ad volucrium recenſionem nos accingamus.

CLASSIS II.

Volucrium in Arcam *introductarum enarratio.*

Aquila. Quod inter Quadrupedia *Leo* eſt, id inter volatilia merito ſuo *Aquila* ; Ani-

mal clangens, generoſum, bellicoſum, viſûs acumine, & altivolatu principatum ducens. Vivit raptu, nullius non dicam volucris, ſed ne ad quadrupedum aſpectum pavens ; utraque magno impetu adoritur, & quà roſtro, quà unguibus validiſſimis dilacerata devorat ; neque Piſcibus quidem parcit. Fertur à *Zoologis*, *Geſnero*, & *Aldrovando*, in uno *Aquilæ* nido quandoque trecentos *Anates*, centum *Anſeres*, quadraginta *Leporeſ*, plurimoſque Piſces inventos fuiſſe: More aliarum volucrum aquam non bibit, ſed loco ejus, calido animalium ſanguine, cujus avidiſſimum eſt, ſitim explet ; roſtro adeò duro præditum eſt, ut ab oſſium fractione nonnulla ſpecies Aquilina, *Oſſifraga* dicta ſit : cadavera non tangit, ſed ex naturæ quadam generoſitate illis contemptis, vivorum animalium prædà triumphat ; halitum fœtidum habet, undè reliquias cadaverum in nido relictas, nec eas, nec aliud animal abſumit ; undè utplurimùm ex diverſorum animantium putridis corporibus calore nativo fermentatis, *Dracones* illi *Volatiles*, de quibus in *Mundo Subterraneo* fuſè egimus, originem ſumunt. Sunt autem ſpecie differentes : *Aquila* propriè in ſua ſpecie dicitur χρυσαέτος, eſtque genuina, omnium fortiſſima & generoſiſſima, nigricans, denſiſſimis fulta pennis, roſtro duriſſimo, quo facilè omnia frangat, alis longiſſimis, oculis igneis & profundis ; clangore ſuo omnibus animalibus formidinem incutiens. Sunt aliæ *Oſſifragæ* ; aliæ caudâ candidâ in nigricante corpore, quas *Pygargos* vocant ; alia μόρφνος dicta *Anatum* venatrix ; alia πτερνοκόπτερος ad *Vulturem* propè accedens, quamvis robore & magnitudine tum corporis, tùm animi, minimè ipſi par ſit ; eſt etiam alia, quæ dicitur ἁλιάετος, quaſi diceres, *Aquila marina*.

More Aquilæ.

Diverſitas Aquilarum.

Vultur eſt generis Aquilini, voraciſſimum animal, *Aquilâ* etiam grandius,

Vultur.

dius, & tantæ fortitudinis, ut *Equos* etiam hominesque fame stimulante invadere audeat, uti ex variis casibus didicimus; vivitque raptu. Pater *Joannes Baptista Cysatus* celebris Societatis nostræ Mathematicus dum *Helvetiam* describeret, describendo lustraret, cum in inaccessi propè montis scopulosi verticem, à nemine unquam penetratum summo labore ascendisset, invenit eum ad instar crateris efformatum, in cujus centro quercum invenit, & in ea nidum prægrandem ad instar illorum, quos in tectis domuum *Ciconiæ* extruunt, & in iis tres pullos, quos cum exactiùs considerasset, eccè pullorum parentes advolantes, tanto cum impetu irruerunt, ut nisi armis probè fuissent instructi comites, de vita eorum actum fuisset, interempta matre, invenerunt longitudinem alarum sese ad duodecim pedes extendisse, à rostri verò extremitate usque ad ultimum caudæ terminum, septem pedes invenêre: majores in ala pennæ longitudinem ulnæ, seu cubiti magnitudinem æquabant; sub arbore verò nil aliud videre erat, nisi ingens cadaverum eorum animalium, quæ raptu illuc transportaverant, congeriem. Spectare licebat hìc crania puerorum, *Leporum, Canum, Agnorum, Caprarumque* exossatas pelles, quin & Piscium insignes reliquias; Quæ cum admiratione observata, postea etiam typo, quæ viderat evulgavit. Est itaque *Vultur Aquila* major, calvo capite, rostro adunco, unguibus validissimis coloris grisei, cætera communia cum *Aquila* habet; non vivis solùm, sed & cadaveribus utplurimùm, quorum putorem ad multa milliaria sentit, vivit, quæ *Aquila* non tangit. Et cum paulò ante varias *Aquilarum* species adduxerimus, vero tamen simile est, omnes illas species ex promiscuo *Aquilæ* cum *Vulture*, aut ex istis prognatis, coitu natas fuisse; præsertim cum pleraque *Aquilas* vulturini generis esse asserant *Ornithologi*; quarum aliæ sunt cinerei, quædam castanei coloris, aliquæ Leporini, aliæ aurei coloris; & non nisi pennis, rostro, capite, unguibus, colore aliquantùm differunt: ac proindè primigenias tantùm species, *Aquilam* & *Vulturem* in *Arca* conservatas fuisse censemus, non cæteras *Aquilarum* species, quæ postmodum vel situ & natura locorum, aut adulterino congressu natæ fuerunt; voce non tam clangere, quàm pulpare dicitur, juxta illud:

Mirabilis historia.

Dum clangunt Aquilæ, Vultur *pulpare probatur*.

Gryphus. Utrum *Veterum Gryphus* in natura rerum detur, meritò *nonnulli* dubitant: prout enim describitur, non animal volucre chimæricum est ἱεροαχολεοντόμορφον, ex *Falcone* & *Leone* constitutum; sed nobis hìc non de Chimæris, sed de vera & reali volucrum specie, quam γρύφες vocant, sermo est.

Gryphus.

Certum est ex *Geographorum*, & *M. Pauli Veneti* relatione, in *Riphæis montibus*, & ultimis *Asiaticæ Tartariæ* terminis, immensæ magnitudinis volucres reperiri, quas citatus *Author Grifalcos* vocat, quarum venatione, & aucupio maximè delectari fertur *Magnus Cham Tartarorum* Monarcha; Quæ eadem à nostris Patribus Chinensibus vera esse cognovi: verum cum nemo hodiè sit, qui eos se vidisse attestari possit, ego quoque meum de iis judicium suspendere malui, quàm aliquid de iis incerti determinare. Si vera sint, quæ de iis *Authores* referunt, ego eos vulturino aut Aquilino generi facilè adscripserim, qui

vel naturâ Regionis, vel influxu cæli in tantam magnitudinem excreſcunt; undè eos etiam ab *Arca* eximimus.

Στρουθιοκάμηλος. *Struthiocamelus.*

Struthiocamelus ſic dictus à *Paſſere*, & *Camelo*, quorum animalium formam

gerit; quamvis quoad *Paſſerum* parvitatem nihil commune habeat; στρουθίον enim, (ſic enim à *Græcis Paſſerculus* appellatur) minorum Avium generi adnumeratur. *Struthiocamelus* Aves omnes magnitudine excedit, ut proindè ei nomen *Struthii*, non tam vere ac realiter, quàm κατὰ τὴν ἀντίφρασιν obtigerit. Monſtroſum animal eſt, quia ex Quadrupedibus partim, partim ex volucribus multum participat. Si molem ſpectes corporis, id gibboſo dorſo, colli longitudine, robore tibiarum, bifidâ ungulâ *Cameli* formam proxime accedit; ſi pennigerum corpus, ſi Oviparum conſideres, Avium numero accedit. Nutritur ſeminibus, & ſine delectu, quidquid offertur, devorat; ferro avide inhiat, illudque devorat, uti experientia *Melitæ* me docuit, ubi paſſim ex *Africa* allati ſpectantur; imò non illud deglutit ſolummodò, ſed & ſpecificâ quâdam ſtomachi ſui qualitate concoquit, uti ex ejus in ſtabulo excrementis comperimus; quamvis id non in nutrimentum ejus cedere exiſtimem, eò quod nullum animal nutriri poſſit, niſi ab eo, quod primò vitam habuerit; Deglutit itaque avidiſſime ferrum, vel ut corroboret ſtomachum, vel in abditæ infirmitatis medicamentum; ſiquidem experimento comperi, vel ipſas *Gallinas* æream monetam eodem fine appetere, & deglutitam per ſeceſſum, tametſi jam veluti rubigine quadam conſumptam reddere. Cæterùm eſt animal oblivioſum & ſtolidum; inſidias enim hominum cùm attentat evadere, caput inter condenſos frutices abſcondit, & phantaſiæ perſuaſione deluſum, capite non viſo reliquum corpus pariter in conſpectum non ſe dare ſibi perſuadet; & uti prælongis tibiis, ingentes paſſus facit, ita quoque homini non abſimilibus in gradiendo paſſibus utitur; dum verò fugit, quà pedibus, quà alarum remigio ſe quàm celerrimè promovet; cæterum ad volatum aliarum volucrum more prorſus ineptum, utpote carneæ molis pondere impeditum: Ova, quæ parturit ingentis magnitudinis non incubando fovet, ſed arena ferventi commiſſa ſoli excludenda relinquit; Solitudines *Africæ* ſabuloſas amat; Atque hoc animal aligerum etſi ex diverſis conſtitutum videatur, unam tamen & perfectam ſpeciem conſtituere, certum eſt, ac proinde ſuum intra *Arcam* locum obtinuiſſe, nullus dubitare debet.

Proprietates *Struthiocameli.*

Accipiter ἱέραξ *Græcis* dictus, eſt animal volucre pipans, animoſitate, robore, volatu altiſſimo & cyclico ad inſtar *Aquilæ*, omnibus animalibus prædatione infeſtum, non *Gallinas* duntaxat, & *Columbas*, cæteraſque minores Aves inſectatur; ſed & *Cervis*, *Capreolis*, *Agnis* *Leporibuſque* bellum movet, victaque, mox ſanguine exſucto, deinde etiam dilaniatis corporibus, carnibus eorum ſaturatur; fame verò ſtimulante, *Muribus*, *Ranis*, *Serpentibus*, *Talpiſque* vitam fuſti-

Accipiter.

Proprietates *Accipitris.*

fuſtinet; dum ſanguinearum volucrum copia datur, aquam non bibit, ſangui-

nis ſuctu contentum; *Cicur* verò poſt ſiccioris alimenti uſum, aquam etiam bibit, & imò arte manſuefacti, non ſolùm fruges, ſed & panem comedunt. Hæc unica inter rapaces & feras volucres eſt, quæ, cicurrima & maximè familiaris fiat homini: Evolat enim ex manu heri ſui, Aves ad nubes uſque proſequitur, prædamque reportat; unde Principes & Magnates eum paſſim in deliciis habent, & æſtimatione; *Ægyptii* quoque eam unà cum *Accipitre* ſingulari apotheſeos honore, primum inter DEOS ſuos locum dedere: De quo vide *Oedipum noſtrum.*

Grus. *Grus* à gruendo ſic dicta, volucris eſt, una ex majoribus, collum duos dodrantes longum, altitudinem verò ab imo pedis ad dorſum extremum quatuor ferè dodrantes habet; pedes ferè ſeſquipedales, roſtro palmari; cinericei utplurimùm coloris ſunt; Quæ de *Gruibus* fingunt *Poëtæ*, uti experientia docet, in adverſis ſibi invicem auxilio ſunt: ſiquidem inter volandum non confuſum uti *Columbæ*, ſed in cunei formam redactum ordinem, tum ad motum aëris confringendum, tum ad commodiùs ſe contra *Aquilas* defendendum, mirâ naturæ induſtriâ obſervant; veſcitur *Gallinarum*

more, frugibus, magno ſubinde conſitorum agrorum detrimento; ex tranſmigrantibus Avibus una eſt.

Ciconia. *Ciconia* Avis eſt prorſus, quoad formam *Grui* ſimilis, etſi paulò minor, verum quoad naturam & proprietates diſſimi-

Ciconia. πέλαργος

lis

lis est, dum vocem emittit, *Glotterare* dicitur; juxta illud:

Glotterat immensâ de Turre Ciconia *rostro.*

Proprietates *Ciconiæ.*

Est animal altivolans, pium, prudens, & castum, magnas utilitates hominibus præstans, dum Provincias & Regiones noxiorum animalium peste liberat: vescitur enim *Ranis*, *Lacertis*, *Rubetis*, *Serpentibus*: hinc stagna & paludes ob nutrimenti copiam amat. In Urbibus & Pagis utplurimum, nidos suos supra tectorum extremitates, aut caminos etiam extruit, quos spinis & sentibus tantâ industriâ ad pullorum custodiam munit, ut nulla *Felis*, *Martes*, aut *Glis* illum facile penetrare possit: nidus non concavus, sed planus est, ubi incubat ova fœmina, ubi educat prolem, interim mas de commeatu sollicitus, quem mirum visu, rostro implicato *Serpentibus*, *Ranis* similibusque, summa alacritate nido importat, & depositâ prædâ veluti fœminæ incubanti de ea congratulaturus, varia gesticulatione rostri, glotterare incipit; præterea insigni erga pullos amore feruntur, ut proinde φιλοτεκνία, quod de *Ciconiis* dicitur, id de parentibus filios magno amore, curâ & sollicitudine prosequentibus, symbolicâ significatione in adagium πελαργίζειν versum sit; ut proinde domus in qua nidificant, prospera ea de causa dicatur, quod uti passim boni ominis & auspicii Avis est, ita eandem occidere nefas, ab omnibus censeatur. Novit præterea *Ciconia*, uti & *Hirundo*, teste *Sacrâ Scripturâ*, tempus abeundi ex Regione in Regionem, & tempus revertendi, quod adeò exacte tenent, ut 21 Martii circiter advenæ in *Germania*, discedentes verò circa 16. aut 18 Augusti observentur, per mare mediterraneum in viciniora *Græciæ* loca se conferentes, dorso secum unà *Hirundines* portant volatu defessas, pro cujus obsequii præstiti beneficio, illæ cantillando *Ciconiarum* in volando labores veluti demulcere videntur.

Ardea volucris est, *Ciconiæ* sive colli pedumque longitudinem spectes, prorsus similis, etsi aliquantillum minor naturâ suâ altivolans, undè ab arduo volatu nomen habet; Piscibus, Anguillis ostreisque delectatur; paludum lacuumque incola; in iis venandis omni industriâ utitur; tempestates præsentit, qua de causa in sublimiora aëris spatia, supra ipsas nubes, ut ibidem ab omni tempestatum procella immunes, & liberæ sint avolant. Magnates hanc avem magno in pretio tenent, tum ob amœnissimum *Falconis* cum *Ardea* in sublimitate aëris pugnantis spectaculum; tum ob naturæ industrias, quas in pugna exercent, spectandas: *Ardea* siquidem quamdiù *Falcone* superior est, nil sibi timet, subjecta tamen, miro quodam naturæ instinctu, excrementa in *Falconem* evibrans, subindè vel *Falconem* excœcat, aut acrimonia sordium pennas ejus adurit consumitque; atque hâc astutiâ sæpè victrix evadit. Est autem multiplex *Ardearum* genus, inter quæ tamen

Ardea. Ἐρῳδιός.

Industria in pugnando cum *Falcone.*

Balea-

Baleonia primas obtinet ob præſtantiam pennarum, quas capite portat, quas ne Principum quidem pileis dedignantur. Videtur & hæc ſpecies ex ſpurio congreſſu *Ciconiæ* & *Ardeæ*, ob ſimilitudinem naturæ prodiiſſe; ut proinde ſolùm *Ciconiam*, *Ardeam* tamen, veluti differentem ſpeciem, ſub dubio in *Arcam* admittamus.

Falco. *Falco* habitu & moribus non diſſimilis eſt *Accipitri*: volucris fera, rapax, ad venationes maximè idonea; altivolans; veſcitur avibus, ſuctuque recentis ſanguinis earum gaudet; quarum innumeræ ferè ſunt ſpecies, tum colore, tum corporis magnitudine differentes; quas ego tamen primogenias ſpecies non facilè dixerim, ſed vel ex promiſcuo *Accipitrum*, *Falconumque* congreſſu, vel etiam ex natura locorum, regionumque, in quibus proveniunt, naturâ & proprietate natas exiſtimem; unde non omnes intra *Arcam* concluſas autumo, ſed uti dixi, primigenias tantùm ſpecies.

Pelicanus. *Pelicanus*, quem nonnulli quoque ὀνοκρόταλον, à ruditus aſinini voce, non diſſimili, ſic vocant: eſt volucris uti peregrina, ita haud *Europæis* nota, audio tamen in ſylvis *Poloniæ* & *Lituaniæ* ſubinde reperiri, quoad magnitudinem *Cygno* fe-

rè æqualis, collo, roſtroque longo conſtat, cui adnexum habet veluti ſaccum quendam magnæ capacitatis, quam ingluviem vocant, quo ſive Piſces, ſive alia animalcula capta in victus uſum recondit. In *America* inveniuntur, & *Pelicano* haud abſimiles *Onocrotali*, ſimili ſacculo, at multò majori ſub roſtro inſtructi, etſi ratione climatis, quoad formam corporis non parum differant. Eſt & alia hujus volucris ſpecies ingluvie carens, roſtro conſtans longo, cujus extremitas non acuminata, ſed ad formam cochlearis dilatata cernitur, quæ proinde *Cochlearia* dicitur. Quæ verò de *Pelicano* Poëtæ, Pictoreſque fingunt, fabulis adnumeramus.

Cygnus, volucris drenſans, hæc eſt enim vox ejus decantatiſſima aquarum *Cygnus.*

incola, plùs natatum, quàm volatum amans; herbis & granis veſcitur, *Anſeri* ſimillimus; in pugna acriori, unus alterum irâ ſtimulante, uti *Ariſtoteles* tradit, devorat; robuſtum corpus habet, ſpiſſis mollibuſque plumis undique veſtitum; alas tametſi longas habeat, mediocriter tamen volat, ægrè ambulat, optimè natat; ei cum *Aquila* antipathia intercedit & bellum, etſi unus contra hoſtem nil attentare audeat; plures tamen uniti *Aquilam* facilè conficiunt. Quæ verò de Cantu Cygnæo ante mortem ſuaviſſimo adferunt Poëtæ; illa fabuloſis Mythologorum narrationibus jungimus; cum hucuſque nullus fuerit, qui Cygnæam hanc Muſicam ſe audiſſe, teſtari queat.

Anſer. *Anſer Cygno* magnitudine & moribus ferè ſimilis eſt, volucris gingriens, herbis, frumentis, oleribus, & quicquid ferè occurrit, veſcitur & devorat; utiliſſimum animal, menſiſque gratiſſimum in locis *Septentrioni* magis ſubjectis; in *Meridionalibus* verò Regionibus, ſaporis præſtantiam uti perdit;

ita non facilè opiparis menſis apponitur *Anſer*: pedes cartilagineos habet, ad benè natandum à natura ipſi datos; colore albo, vel albo-cinereo utplurimum nitet; ſive bibat, ſive comedat, aut volet, ſemper gingritu ſuo omnium aures moleſtat: ſine aqua ægrè vivere poteſt: eſtque vel domeſticum, vel ſylvaticum; hoc tranſmigrat, illud non.

Pavo. *Pavo.* Nil inter volucres *Pavonibus* ſpecioſius natura produxit, eſtque avis pipillans, hæc enim vox ei competit, pulcherrima, ſuperba, libidinoſa; nutritur omnis generis frumentis, maximè hordeo. *Pavo* pulcher eſt, quia cauda tanta colorum varietate, tanto oculorum nitore ornatur, ut neminem non in admirationem trahat. Accedit, quod inceſſu ſuo neſcio quàm majeſtatem præ ſe ferat; ſuperbus eſt, quia ſuiipſius aſpectu cum deſpectu quodam cæterarum volucrum, tripudiare videtur. Libidinoſus eſt, quia libidinis œſtro percitus uni vix quinque femellæ ſufficiunt, imò fœminam ovis incu-

incubantem invadere non verecundatur. Est & hoc in *Pavone* admiratione dignum observatum, quod quasi cognoscere videatur, ubi maxima forn æ suæ sita sit dignitas; hinc gemmatam superbo supercilio ostentat caudam, undique eam elevat, undique expandit; seipsum sui ipsis circumactione corporis spectantium oculis, veluti suæ pulchritudinis pompam agit, & exercet; & quoniam novit solaris lucis radios maximum pennarum, quibus intingitur, splendorem conciliare posse, unde istas soli exponit, variisque colorum ex lucis reflexione ortorum mutationibus, quoties gressum mutat, toties novam semper, novamque formositatis suæ speciem præbet. *Pavonem*, quem *China*, producit, tantæ pulchritudinis est, ut cum è cœlo delapsum esse putent, nec nisi Regio servit delectamento. Falsum est, quod de eo plebs tradit, pedum minus pulchrorum aspectu *Pavonem* contristari, caudamque dimittere.

Gallus Indicus, Avis *Pavoni* simillima, unde & *Gallo-Pavo* passim dicitur: siquidem præter caudæ suæ pulchritudinem, pennarumque splendorem in rotam collectarum, mensis quoque Principum haud ingratum gulæ irritamentum præbet; Avis ex *Calecuto Indiæ Orientalis* primùm in *Europam* præterito seculo translata, ubi jam ubique communis est; Vescitur communi cum *Gallinis* & *Anseribus* cibo: Capite constat duro, cui adinstar carneæ molis appendiculam adnexam tenet, dimidio palmo longam, quam cum cibum capit, contrahit, cum iracscitur, totus inhorrescit plumis, caudamque in rotam versat, gradusque arrogantiâ spectantes exterret; libidinis tam ardentis est, ut si suæ speciei desint fœminæ, *Gallinæ* etiam, & *Anates* invadat, ex quorum commixtione nova semper & *Anatum* & *Gallinarum* species emergit.

Gallus Indicus.

Gallus & *Gallina*, uti Aves domesticæ, ita omnibus passim notissimæ sunt, illa

Gallus & Gallina.

cucurrire, hæc glocitare dicitur. De *Galli* in pugna animositate pectorisque constantia; de *Gallorum* salacitate, *Gallinarumque* in ovis ponendis fœcunditate, de cantu cæterisque affectionum proprietatibus, uti omnibus nota sunt, ita non attinet dicere: quarum iterum infi-

nita propemodum varietas eſt, pro natura loci, & Regionis, quarum incolæ ſunt. In *China* lanigeræ reperiuntur, non quod loco pennarum lanâ tectæ ſint, ſed quod plumis inſtar lanæ criſpatis veſtiantur. Vide *Chinam* noſtram *Illuſtratam.*

Anas. *Anas* Avis aquatica à ſtrepitoſo clamore garrire dicitur, uti domeſtica eſt,

ita omnibus notiſſima, omnivorum eſt, ut nè quidem à *Rubetis*, *Araneis*, aliiſque animantibus venenoſis abſtineat; ſalaciſſima eſt, ita ut vel unam fœminam mares complures plerumque certatim inire attentent, & ſubindè præ nimia ſalacitate etiam *Gallinas* invadant; ex quarum adulterino congreſſu, aut etiam ex ovorum *Gallinis* ſuppoſitorum, aut contra, excluſione, ea deindè naſcitur *Anatum Gallinarumve* varietas, quam ſubindè ſatis admirari non poſſumus. Quod & *Plinius* obſervavit; ait enim: *Super omnia eſt* Anatum *ovis* Gallinæ *ſubditis atque excluſis admiratio; primò non planè cognoſcentis fœtum, mox incertos incubitus ſollicitè convocantis, poſtremò lamenta circa piſcinæ ſtagna, mergentibus ſe pullis naturâ duce.* Eſtque vel domeſtica, vel ſylveſtris, quæ tamen ſpecie non differunt, cum una tam iis, quàm hiſce ſit natura, proprietas & affectio.

Corvus. Κόραξ. *Corvus* animal volucre ſat notum, nigerrimi coloris (quamvis in ultima *Septentrionis* plaga etiam albi, uti & *Urſi*, *Vulpeſque* reperiantur) voce grocire, quod ab aliis quoque *craſſare* dicitur; natura ſua animal voraciſſimum, cadaveribus verò maxime delectatur, quamvis fructibus quoque, Piſcibus, pane, ſimilibuſque veſcatur, furtivâ quadam aſtutiâ præditum, dum *cicur* eſt, præter

reliqua obvia monetam amare videtur, à qua etiam abripienda, ubi eam invenerit, non abſtinet. Eſt & hoc non exiguum *Corvi* prærogativum, quod præ omnibus cæteris animantibus *Noë* primò ad decreſcentis *Diluvii* ſtatum explorandum, *Corvum* emiſerit, deinde *Columbam. Cumque tranſiſſent* 40 *dies, aperuit* Noë *feneſtram* Arcæ, *quam fecerat, dimiſit* Corvum, *qui egrediebatur, & non revertebatur, donec ſiccarentur aquæ ſuper terram.*

Cornix Κωρώνη *Corvo* haud degener, & moribus, colore, & ingenio ſimilis; *Cornix.* Κορώνη.

Dividitur ab *Ariſtotele* in tria genera, in *Pyrrocorvum*, *Monedulam*, & *Coraciam*, ſive *Graculum*. Verùm ſi rectè ea expenderis, omnes *Cornices* corvini generis eſſe reperies, minimè primævas ſpecies.

Columba ſimpliciſſimum, mundum, mite, & ſine felle animal volucre, cui propriè gemitus convenit, & frequens in Sacris Literis ejus fit mentio: uti, *Eſtote prudentes ſicut* Serpentes, *& ſimplices ſicut* Columbæ; & in Canticis Cant. *Veni* Columba *mea, ſpecioſa mea*, &c. frugibus *Columba.*

gibus & granis nutritur; varietate colorum mirè decorantur, quem ego imaginationis, dum ovis incubant, effectum esse censeo; etsi verò animal salax sit, castitatem tamen in juribus conjugii observandis, eximiè exhibent; mirificè fœcundum est; cum singulis pene mensibus coëant, concipiant, pariant, incubant, suos excludant fœtus. Triplicis generis sunt *Columbæ*: Domestica, sylvestris, & *Turtur*; quæ colore quidem, habitatione, loco, & quantitate, specie tamen non differunt, quia in dotibus naturæ, & proprietatibus eandem conficiunt speciem, quemadmodum *Canes* maximi, mediocres, & minimi. *Accipitrem* metuunt, vel ad ejus umbram perhorrescunt; unde ad se contra violentiam ejus defendendas, gregatim volant; pernicitate volatus pleraſque Aves superant, unde *Accipitrum* conatus facile fugiendo eludunt. Regius quoque Psaltes, consideratâ ejus in volando pernicitate, canebat: *Quis mihi dabit pennas sicuti* Columbæ *& volabo, & requiescam.*

Phasianus. *Phasianus* nil aliud, quam *Gallus* sylvestris est; & dividitur in tres species: *Phasianum* à *Phasidis* undis, quibus accolis ita dictus; *Urogallus* pariter, similitudine caudæ simili *Galli* nostri *Gallinacei*, *Tetraon* prorsus cum *Urogallo* non nisi caudæ *Urogallus.* *Tetraon.*

Tetraön.

caudæ brevitate differt; quæ tamen hæ tres ſpecies adeò pro climatum, locorumque differenti natura differunt, colorum varietate, formaque corporis, ut etſi una ſpecies, toto tamen cœlo diverſæ videantur. Coëunt paſſim cum *Pavonibus* & *Pavogallis*, unde mox aliæ ſpecies naſcuntur; *Grigallus* & *Attagen*, *Grigallus.* *Attagen.*

Gallinago. *Gallinago*, mira varietate colorum à natura depictæ volucres, quæ tamen omnes vel à *Gallo*, vel à *Pavo-gallo*, vel *Pavone* originem ducunt; unde non neceſſe fuit, omnes hujuſmodi ſpecies intra *Arcam* fuiſſe. Eſt & *Gallinæ* ſpecies, quam Numidicam dicunt, quæ & ab *Ægyptiis Gallina Pharaonis* vocatur, corpore rotundo, & globoſo, ſine cauda, capite *Galli*, cæterùm totum corpus ſub cœruleo colore, miro quodam naturæ artificio nigris punctis conſperſum nitet; nos veras *Meleagrides* eſſe, ex hieroglyphico earum ſchemate demonſtravimus.

Perdix volucris eſt, ob lautitiam menſarum ſat nota, tot differentia nomina habet, quot Regiones ſunt, in quibus natales *Perdix.* *Perdix.*

natales ſuos habet; harum innumerabiles penè ſpecies ab *Ornithologis* recen-

ſentur; quæ tamen plerumque, *Ariſtotele* teſte ex *Perdice*, *Gallo* cæteriſque ſimilibus procreantur, vel etiam ſola climatum diverſitate mirum in modum, colore, forma, moribus immutantur. In *Chio Inſula* ſunt rubræ, *Gallinæ* magnitudine, alibi albæ, in *Hiſpania* diverſicolores; In *Æthiopia* & *India*, toto, ut ajunt, cœlo diverſificantur. Quænam verò ſint ſpuriæ, quænam ſolummodò loci naturâ tranſmutatæ; iſtius ſignum habeto: quod ſpuriæ *Perdices* præter fruges & grana, carnibus quoque delectentur, quæ verò mutationem à loci natura acceperunt, tantùm frugivoras ſpecie indiſtinctas eſſe cenſebis; Quam regulam in omnibus cæteris Avibus tibi ſervandam putes.

Coturnix. Ὀρθυγομέτρα.

Coturnix. Magna inter *Interpretes S. Scripturæ* de vera & genuina hujus

Avis ſpecie controverſia eſt, variis varias de ea ſententias referentibus. Nos quænam ex variarum textuum, de hac volucri, lectione colligere potuimus, nihil aliud *Ortygometram* eſſe dicimus, quam *Coturnicem*, tùm quia ſicuti hodierna die, tanta abundantia ex ultromarinis partibus, potiſſimum in *Italiam* advolant, ut vel ipſa littora & Inſulas contegere videantur, magno utique Aucupum lucro. ita quoque *Iſraëlitis* in deſerto, nullæ aliæ volucres, quàm *Coturnices*, tàm copioſum alimentum, DEI providentia præſtare poterant.

Paſſer. Στρουθός.

Paſſer eſt volucris aſtuta, fallax, garrula, locis habitatis vicina, frumentaceis

granis veſcitur; quorum iterum ingens differentia eſt; ſi colores ſpectes, ſunt albi, flavi, maculati, & pro ratione Regionum diverſicolores: ſunt prætereà ſylveſtres. *Indici Paſſeres* etſi quoad colorem, & corporis formam differant, quia tamen cum noſtris, naturæ dotibus concordant, unius generis eſſe exiſtimantur, vel ſimilitudine quadam naturæ ſic dicti, vel cœli ſitu, vel etiam ſpurio congreſſu cum aliis ſpeciebus haud diſſimilibus, in alias formas transmutati.

Pſittacus. Ψιττακός.

Pſittacus, volucris ex *Indiis* primò in *Europam* allata, natura ſua garrula, & humanæ voci addiſcendæ aptiſſima, viridi & rubro colore imbuta capite firmiſſimo, ita ut ad diſcendas humano more voces, claviculâ ferreâ converberetur. Mimicos mores præ omnibus aliis exhibet; nihil illis loquacius, nil aſtu-

aſtutius, dociliuſque, quorum ingens quoque differentia eſt. Sunt, uti in *Ca-*

nibus, majores, mediocres, minimi, omnes tamen roſtris aduncis, iiſque duriſſimis inſtructi; veſcuntur Aviculis, granis, fructibus, & potiſſimùm delicatioribus carnibus delectantur. Verùm qui plura de hac volucre deſiderat, is *Ornithologos* conſulat, apud quos complura admiratione digniſſima circa hanc Avem reperiet.

Noctua. Ulula. Γλαυξ. Ὦπη.

Noctua animal volucre nocturnum, carnivorum, ſolitarium, cæteris Avibus

inviſum. Veſcitur *Muribus*, *Ranis*, *Lacertis*, Aviculis, *Veſpertilionibus*: Qui *Bubones* vocantur, *Lepores* quoque, & *Cuniculos* invadere non abſterrentur. Et quemadmodum in cæteris Avium generibus ſub multiplici differentia conſiderantur: Majores ſunt, *Ulula*, *Bubo*, *Otus*, quorum aliquæ montium inacceſſas rupes, fabricarum, turriumque veterum faſtigia incolunt, quædam ſepulchra, meatuſque ſubterraneos, aut tecta Templorum, arborumque concava inhabitant. Sunt & mediocres, quos *Barbecianos*, & *Stryges* vocant; ſunt minores, quas *Noctuas*, & *Civettas* vocant, & ad aucupium reſervantur: artificio prorſùs noto; omnes tamen ejuſdem ſunt ſpeciei, etſi quoad formas, ob cauſas jam ſæpiùs allatas, differentes. Ingens eorum nullo non tempore multitudo *Athenis* viguit; undè Proverbium: γλαῦκας εἰς Ἀθήνας. *Noctuas Athenis inferre*, de iis dictum, qui Caproni Capram addere volunt.

Pica, *Græcis* Κίσσα, vel Κίττα, *Italis* hinc fortè *Cutta*; volucris eſt albo- Pica. Κίττα.

nigro pennarum ornatu, nec non cauda longa inſtructa; animal garrulum, aſtutum, inquietum, furax, ad hominum animaliumque voces aptiſſimum; Cæterùm πάνφαγον, omnibus enim rebus paſcitur: undè forſan Mulierum prægnantium depravato appetitui Κίττα vox accidit, quâ *Medici* appetitum illum ad res etiam non naturales in gravidis Mulieribus denominant; animal nullo loco ſtabile, & in operationibus inquietum. Hoſtes experitur *Aquilam*, & *Ululas*, quibus utplurimum in prædam

dam cedit. Quod verò ad differentiam attinet *Picarum*, certe in *Europa* omnes pene ſunt ſimiles, ſive formam ſpectes, ſive colores, cæteraſque naturæ dotes. *Indicæ* valde variant, non tam quoad corporis conſtitutionem, quàm ob caudæ longitudinem, *Pavoni* non diſſimilem. Ea verò, quam *Braſilia* nobis exhibet, tota noſtrati ſimilis eſt, excepto roſtro, prodigioſæ magnitudinis, quod

Pica Indica.

reliquam corporis molem in nonnullis non parum ſuperat; reliqua cum *Pica* communia habet ſi colorem excipias; hujus volucris aliquot roſtra in Muſeo noſtro Collegii Romani, oſtendere ſoleo, quæ ſane monſtroſa *Picæ* conſtitutio, aliunde provenire non potuit, niſi ex cœli influxu, ſoli aquarumque natura; ex æquo enim terreſtribus, aquaticiſque venationibus inſiſtit; ne verò roſtrum prægrande animal aggravet, natura ex oſſe quaſi diaphano leviſſimo, ſubtiliſſimoque ita inſtruxit, ut dena hujuſmodi roſtra, reliquæ corporis moli æquiponderare videantur. Sunt & nonnullæ aliæ hujus generis, quæ ſacculum roſtro affixum tenent, quos *Onocrotali* ſuprà annumeravimus; Sunt & aliæ, quas *Rhinocerotes* appellant, à cornu, quod ex roſtri extremitate exurgit. Hujuſmodi volucres, uti

Rhinocerotes.

Onocrotali.

omnia cum *Picis*, quoad naturam, communia habent; ita quoque non niſi ex loci naturâ, uti diximus, hanc μεταμόρφωσιν incurrêre, ut proinde eam *Arcæ* inferre neceſſarium non fuerit. Hujuſmodi monſtroſæ formæ alites producit Terra *Freto Magellanico* vicina, quas *Peguinos* vocant *Hiſpani*, *Ornithologi* quoque *Anſerem Magellanicum* nominant. Admiratione dignum in hac volucri eſt, quod non Avium, ſed Hominum more erecto corpore, pedibusque incedat, ad volatum ob alarum brevitatem cæteroquin ineptum, quibus tamen in fuga, quàm velociſſime ſe proripit: neque alibi quàm in dictis *Freto Magellanico* vicinis ſive Inſulis, ſive continentibus, reperitur; Luculentum indicium, alitem hanc corporis ſui à reliquis volucribus conſtitutionem, non niſi à natura loci, obtinuiſſe; quemadmodum & giganteæ magnitudinis homines in iis locis.

Peguini ad mare Magellanicum erecto corpore incedunt.

Picus Martius.

Varia ſunt genera & ſpecies *Picorum*; quorum tamen omnium eadem pene natura eſt, non niſi colore & forma diverſæ. Omnium tamen proprietas genuina eſt, arborum cortices roſtro, cum valido ſono pertundere, excavare, vermiculorum, quibus veſcuntur, ſub iis latentium cauſa; unde & à *Græcis* δενδροκόλαπται, id eſt, *Arborum Excavatores* appellantur. Dicuntur *Martii*, eò quod *Marti* ſacræ ſint volucres; & milites ad bellum ituri, hac Ave in Auſpiciis uterentur, vel etiam quod valida & robuſta Avis ſit, quæ duriſſimo ſuo roſtro etiam arbores excoriet, ſubvectetque. Suntque varia genera, tùm colore, tùm formâ, tùm magnitudine & parvitate diſtincta. Ad hujusmodi revocantur omnes ferè illæ volucres, quæ arbores ſcindunt, cortices perrumpunt, & nidum ex ramo ſuſpendunt; cujuſmodi ſunt, quas *Suttas, Chlo-*

Speus. Sittæ.

Galguli.

Chloriones. *riones*, *Galbulas*, ſive *Galgulos* vocant.

Merops. Eſt autem *Galgulus* idem, quod *Ictérus*, totus flavo imbutus colore, ac proindè ſummum in *Ictericis* flavæ bilis humore ſuffuſis, medicamentum dicitur.

Turdus eſt volucris granivora, mediocris, inter *Columbam*, & *Perdicem* magnitudinis, cujus ab *Ornithologis* innumeræ ſpecies recenſentur. *Turdus* proprie dictus, eſt, qui in *Germania* Juniperi granis veſcitur, cibumque præbet non minus gratum, quàm ſalubrem, ita ut *Turdus* meritò ornamentum & delitiæ menſarum vulgò dicatur; tametſi ejus in variis Regionibus, tum quoad victum, & colores, tum quoad formam ſint differentes; in proprietatibus tamen utplurimum concordare videntur, exceptis iis, qui aliquantulum ab iis declinant; ut ſunt, qui aquis gaudent; inde *Turdi Marini* dicti, & ex *Turdo*, cum *Fulica*, congeneri volucri, nata videntur. E *Turdorum* familia

Turdus. Κίχλη.

Merulæ. lia eſſe cenſentur, *Merulæ* & *Truſſellæ*, ſic Germanicè dictæ; quorum iterum variæ ſunt ſpecies; quarum illa humanas cantilenas edocta ad vivum cantando exprimit; ac proindè ſonoris ac cantatricibus avibus annumerari ſolet.

Upupa. *Upupa* volucris pulcherrima, & criſta diverſicolore, eaque verſatili, inſtructa; roſtrum habet acinacis inſtar in longum porrectum. Undè & *Theſeum* in eam transformatum *Poëtæ* fabulantur; & quamvis pulchro illo colorum amictu ſplendeat quàm nitidiſſime; turpiſſimam tamen volucrem eſſe ex eo *Ornithologi* cenſent, quod fœtore, quem exhalant, vix ſuſtineantur; quodque nidos ſuos utplurimùm ex humano ſtercore conficiant; eo fine, ut venatores fœtore intolerabili à nidis ulterius inquirendis deterreant, vel aliqua alia naturæ proprietate, quam hanc ego eſſe exiſtimo, quod humanis ſordibus, in infirmitatibus, ipſis ſolis cognitis, veluti antidoto quodam, & ſalubri alexipharmaco utantur. Videat Lector *Opera* noſtra *Hieroglyphica*, in quibus quàm uberrimè de *Upupa Ægyptiis* ſacra, egimus.

Hirundo. Χελιδὼν.

Hirundo. Hirundinis domeſticæ volucris ſat notæ variæ ſunt ſpecies : Mari-

næ, Urbanæ, Montanæ, Ripariæ, & ſimiles, quarum tamen una omnium proprietas eſt nidificare;& ſunt tranſmigratrices ; quamvis pleræque aliæ mare non tranſmigrent, aliæ enim in lacubus, in concavis montium, arborumque hyberno tempore conglomeratæ reperiuntur, ex quibus deinde Sole Æquatorem tranſeunte, ad verni temporis tepiditatem denuò evolant. Omnium ferè communis cibus ſunt Muſcæ, Vermes, & ſimilia minoris molis inſecta. Vox ejus truſſatus eſt: caveas ad mortem uſque abhorrent : quia libertate aëris unicè gaudent.

Alcyon. Ἀλκυών.

Alcyon. Volucris pariter omnigeno colorum nitidiſſimorum veſtitu amicta, juxta mare,& flumina condenſis arboribus inumbrata, vivens : *Ariſtotele* teſte, non multò *Paſſere* amplior, colore tum cæruleo, tum viridi, tum etiam leviter purpureo, variè toto corpore refulgens, roſtro longo & tenui, nec non exiguâ caudâ inſtructa, Piſcibus vivit, parit ova quinque, qui circa Tropicum hyemalem eſſe ſolet, dies ſereni 14 navigantibus auſpicatiſſimi, unde *Alcyonia dies & ſacra* vocata ; notiſſima avis eſt, cum vix flumen præſertim arboribus ſtipatum, ubi non occurrant, reperias.

Luſcinia. Φιλομῆλα.

Luſcinia. Inter Aves Canoras, quæ carmine oblectant, *Luſciniæ* meritò pri-

mum locum obtinent. In cujus deſcriptione *Plinius*, dici vix poteſt, quàm Poëticâ laſcivierit licentiâ. Verùm cum nil *Luſciniæ* cantu tritius ſit, & verno tempore vix ſit, qui non ejus cantu delectetur. Modulos quos gutture format, Muſicis notis expreſſos vide *in noſtra Muſurgia.*

Carduelis. Ἀκανθὶς.

Luſciniæ proximè ſuccedit *Carduelis*, Ἀκανθὶς, *Græcè* dicta, quam natura

præterquàm quod ſuaviſſimè cantet, pulcherrimo quoque pennarum ornatu dotavit : ſuntque plurimæ ſpecies.

Alauda. Κορυδὸς.

Alauda, à laudando ſic dicta volucris, ex granilegis una eſt, inter ſegetes, & ſectæ criſtæ ſtipulas, ut plurimùm degens, quamdiù granis in agro colligendis diſtinetur, ferè ſemper ſine voce eſt, ubi tamen in altum elevatur, tum enim verò ſine interruptione DEO conditori ſuos

ſuos modulos, veluti laudes quaſdam in aëris ſummitate, quaſi clavo affixa, continuâ alarum concitatione perſolvit. Magno utique exemplo omnibus, quid eos deceat, propoſito.

Ficedula. Συκαλὶς. *Ficedula* Avis eſt, à ficubus, quibus Autumni tempore avidiſſimè veſci ſolet, ſic dicta. *Germanis* vocatur, *Grasmuck*, ubi ficus non proveniunt, ſimilibus tamen ficui fructibus veſcitur. *Italis Beccafico* dicitur, Avis notiſſima.

Rubecula. *Rubecula* Avis eſt, pectore rubicunda, unde & *Pettoroſſo* dicitur: & guſtui, & auditui ob certam ſuavitatem gratiſſima.

Φοινικοῦρος. *Coda roſſa.* *Phœnicurus* à cauda rubra ſic dicta Avis, quam alii *Ariſtotelem* ſecuti, eandem cum *Rubecula* volunt, utpotè quæ certo anni tempore pectus rubrum, in caudam rubram commutet: cui tamen

opinioni adſtipulari non poſſum, cum diſtinctæ ſpeciei volucres, & *Rubeculam* & *Phœnicurum*, eodem anni tempore diligenti inquiſitione præmiſſa, me repeririſſe meminerim.

Pulchra pariter Avicula *Fringilla* eſt, & Caveæ incluſa ob cantus ſuavitatem gratiſſima; cujus *Ornithologi* varias ſpecies adducunt, quæ tamen ad unum genus facilè revocari poſſunt. Ad hoc tanquam genus facilè revocari poterunt *Agythelus*: *Fringillago*, quam σπίζιτλω vocant, κνυπολίγω, à granis colligendis ſic dicta & ſimilia. *Fringilla.* Σπίζα.

Parix Avicula eſt, in multas ſpecies diviſa, ex iis, quæ canoræ vocantur, *Parix.*

non infimum locum tenet, quæ tametsi quoad colores & formam distinguantur, naturalibus tamen dotibus, prorsus conveniunt.

Motacilla. Οἰνάνθη.

Motacilla Avicula est, ripis fluminum saxosis gaudens, caudà tremulà;

Coda tremula Italis dicitur, ob perpetuam caudæ agitationem subsultationemque; verum cum illa nulli non nota sit, tempus perdam, si in ea describenda longius immorer.

Regulus. Τρόχιλος.

Regulus Avium minima, Rex Avium dictus, eò quod *Aquilæ* bellum movere, & vincere dicatur. Cæterum sepibus ut plurimum remisque murorum

gaudet; & hìc *Romæ* in Templo Divi *Petri*, quod vastissimis constat loculis, passim videtur, & nullo non tempore dulcedine cantus sui, devotioni intentis singulare augmentum præstat.

Præter hasce, innumerabiles ferè aliæ species, tum in *India Orientali*, tum *Occidentali America* reperiuntur, quæ uti à nostris, tum colore multivario, tum corporis forma valdè distinguuntur, ita quoque ad primigenias species, ex quibus primam suam originem duxerunt, non nisi, ex naturæ dotibus, proprietatibus, & operationibus, conjecturâ factâ, reduci possunt.

Consectarium Apodicticum.

Quo ostenditur, à Deo, *primo cuncta animalia sub certo, & determinato numero, condita fuisse, quæ vel Natura loci & Climatum, Cælorumque influxu, aut promiscua differentium specierum copulâ deinceps in universam terram dispersa, in infinitam animalium multitudinem & varietatem excreverunt.*

Incomprehensibilis DEI potentia in creatione rerum.

DEUS *Optimus Maximus* totius Mundi, & omnia quæ in ejus ambitu continentur, sapientissimus conditor, quemadmodum primò massam chaoticam, sub qua veluti sub potentiali quadam abysso, & seminario naturæ virtute continerentur, produxit, ita quoque nullum vegetabile, aut animal immediatè, præter homnis animam ex nihilo, sed ex præsuppositа chaoticæ massæ materia secunda, produxisse censeri debet; in quo quidem maximum Omnipotentiæ, & infinitæ sapientiæ suæ specimen edidit: quod ut demonstremus,

Suppono *primò*. Quicquid in universa natura rerum, ex materia & forma compositum humanæ menti occurrere potest, id totum ex chaotica quatuor elementorum παναπερμία, sive cælorum vastissima corpora, sive Stellarum compositionem, sive denique Mineralium, Vegetabilium, Animalium, tum Brutorum, tum Rationalium excepta

Omnia ex 4 Elementis composita.

cepta anima rationali univerſam œconomiam ſpectes, primævam ſuam originem traduxiſſe, id eſt, ex quatuor elementorum combinativa μίξι, ſeu miſcella, producta fuiſſe.

Omnia ſub diverſi Cœli aſpectu extrinſecas formas mutant.

Suppono *Secundò*. Omnia illa corpora, quæ ſub triplici naturæ gradu continentur; Mineralia, Vegetabilia, Animalia, tametſi ex quatuor elementis primò compoſita, poſteà tamen, ſub diverſo Cælorum Aſtrorumque ad Terram aſpectu, eas, quas miramur metamorphoſes incurriſſe; Et experientia nos docet primò in Mineralibus, quæ in quibuſdam melioris notæ, quàm in aliis, id eſt, Aurum, Argentum, Æs, Ferrum, Stannum, Plumbum, probioris inquam, notæ; in hiſce, quàm in illis Regionibus lapides pretioſos, Adamantes, Rubinos, Smaragdos, Amethiſtos producunt; quæ tamen aliunde, quàm ex natura locorum non proveniunt. Sed de hiſce fuſè actum, vide in *Mundo Subterraneo*.

Vegetabilia indifferentibus terrenis differentes formas aſſumunt.

Si Vegetabilia ſpectemus, immenſam mox intuebimur, Metamorphoſeos varietatem; Siquidem experientiâ Magiſtrâ docemur: grana tritici, terræ congruæ inſita, optimum triticum proferre; aliis verò in agris ſeminata, prorſùs vel in ſiliginem, vel etiam in avenam, à tritico ſpecie diſtinctam degenerare. Item Caulium, quas *Capitatas* vocant, ſemina differentibus agris inarata, eandem metamorphoſin experiri: imò ſi in uno eodemque loco per aliquot annos reſtiterint, eas in rapas degenerare experimur. Petroſelinum ubi multis annis ſine cultura extiterit, herba cæteroquin ſaluberrima in cicutam exitialem tranſmutatur. Dein Plantæ noſtrates ſub aliis aliiſque Climatibus plantatas, differentes ſpecie plantas producent: ita, quemadmodùm *ſuprà* diximus, Cinnamomum in *Luſitania* plantatum in Laurum; Piperis plantam in Hederam: Caryophyllum Muſcatum, in Caſtaneæ ſimilem plantam tranſmutatum cum admiratione invenerunt: Titymallum planta tenella in *Germania*, & in parte *Italiæ*; in *Sicilia* & *Africa*, in frutices & arbores aſſurgere vidimus: Cypreſſus in *Septentrionales oras* tranſlata, Savinæ herbæ formam aſſumens arboreſcere detrectat; Mala Perſica quondam venenoſa in *Europam* tranſlata optimi ſaporis fructus producit. Innumeras hoc loco hujuſmodi metamorphoſes adducere poſſem. Verùm nè longius hiſce immoremur, Lector curioſus *Botanologos* conſulat, & quod dixi, verum inveniet.

Herbæ Indicæ in *Europa* plantatæ ſpeciem mutant.

Animalia *Europæa* in *Indiam* tranſlata formam exteriorem mutant.

Suppono *Tertiò*. In animalium Regno idem evenire. Quotidiana nos experientia docet; & *Authores Indicarum Relationum* abunde teſtantur, & tantò quidem in iis majores transformationes fieri, quantò à reliquis jam dictis Naturæ gradibus ad dictam transformationis varietatem, majorem diſpoſitionem habet. Dico itaque, Quatuor animalium genera, quæ ſunt Reptilia, Quadrupedia, Volatilia, Natatilia, Reptilia, & Inſecta primò ingentes tranſmutationes ſubire, tum quia ex putri utplurimum, tum etiam, quia ex heterogenea copula naſci ſolent, uti in præcedentibus retulimus. Quadrupedia verò, quia ab initio Mundi ſub certa & determinata ſpecie, à DEO glorioſo & benedicto producta fuerunt, quadruplici de cauſa, ingentes tranſmutationes incurrerunt; quarum *Prior* eſt, uti ſæpe ſæpius jam diximus, Aſtrorum in differentes Terrarum, Regionum, Climatumque diſpoſitiones influxus, quâ uti *paulò antè* docuimus, miræ efficiuntur rerum mutationes. *Secunda* eſt, phantaſtica animalium tum Quadrupedum in coëundo, tum Oviparorum in incubando vis & poteſtas; ſi enim tantum poſſit in fœmina gravida imaginatrix facultas in immutando fœtum in monſtroſas formas, certe id brutis denegatum fuiſſe, is ſolus inficiabitur, qui in brutis, & in operationibus naturalibus rite obeundis

Vis Phantaſtica in coitu animalium: aut incubitu ovorum diverſas formas producit.

dis perneceſſariam imaginatricem vim non recte expenderit. Miri igitur effectus tum ex congreſſu naturali quadrupedum, tum ex concubitu oviparorum, effectus metamorphoſeos emanare luculenter patet. *Tertia* cauſa eſt, ex homogeneo unius ſpeciei congreſſu, quo ex imaginatricis facultatis potentia, ſi non ſpeciem, ſaltem formam extrinſecam cum multiplici colorum varietate mutant. Hoc pacto, in ultima *Septentrionis plaga*, experientiâ, & relatione *Batavorum*, omnia penè animalia, *Urſi*, *Vulpes*, *Corvi*, cæteræque animantes, quæ ſub Zona temperata ſtabilem colorem ſortitæ fuerunt, multæque ob perpetuæ nivis candentis aſpectum ex nigro, & rufo, colore in candidiſſimum colorem mutantur. *Quarta* cauſa eſt, heterogeneus diverſarum ſpecierum congreſſus, quo non extrinſeca tantum forma, ſed & intrinſeca medium diverſumque quoddam, ex diverſis ſpeciebus natum animal reſultat. Ubi tamen notandum, hanc heterogeneorum animalium copulam, non cum quovis animali fieri, ſed cum iis, quæ naturæ quadam ſimilitudine inter ſe concordant; aut etiam odoris, quo ſolo in brutis prolificus appetitus ad generandum concitatur, convenientia, impelluntur.

Coloris mutatio in animalibus, ſub diverſis Zonis.

Diverſarum ſpecierum coitus.

Dubium hoc loco non exiguum oboritur: *Utrum quemadmodùm* Mulus *ex* Equo & Aſina *productus, ſterilis ſit, ita & cætera animantia ſpuria?* Reſpondeo, quantùm quidem ex animalium genealogia annotare potui; id ſolùm in *Mulo* compertum fuiſſe, non tamen æquè in aliis: *Tragelaphus* enim, etſi ex heterogenea *Hirci*, & *Cervi* copulâ natus ſit, is tamen plurimùm ſe propagare, notius eſt, quàm ut dici debeat: idem de cæteris animantibus dicendum exiſtimem. In volucribus tamen heterogenea hæc propagatio legem non habet; cum volucres ex adulterino congreſſu, aut ovorum incubitu, non ſecùs ac reliquæ volucres ſe propagare ſoleant. Undè in Volatilibus multò major, quàm in quadrupedibus multitudo & varietas cernitur.

Ex hoc quadruplici cauſarum complexu patet, animalium numerum quaſi in infinitum auctum eſſe, & quotidiè augeri ab eo tempore, quo à DEO producta fuerunt: quod vero *cap.* 3. *Geneſ.* DEUS adduxit ad *Adam* omnia animalia, ut videret, quid vocaret ea; id intelligi debet, non omnia ea animalia, quibus ſucceſſu temporis Mundus terreſtris impletus fuit, ad eum ducta fuiſſe; ſed illarum, quæ DEUS produxerat, certas & determinatas animalium ſpecies; aliàs enim nullus finis animalium adducendorum, nullus finis nominum iis imponendorum fuiſſet. Quæ omnia ſi quis paulò profundiùs expenderit, is fateri cogetur, maximam animalium partem in *Arcam*, dictas ob cauſas non introductam fuiſſe; ſed ſolùm primævas illas animalium ſpecies, quæ tum in *Edenia Regione* extabant, aut ex aliis Regionibus remotioribus, Angelorum ſingulis ſpeciebus præſidentium ope ductuque intra *Arcam* admiſſa ſunt: cum DEI *Opt Max.* ſolùm illa animalia, quorum ſpecies à *Diluvio* perire poterat, intra *Arcam* conſervandi fuerit intentio; non verò, quæ poſt *Diluvium* ob cauſas ſuprà adductas ſine ſpeciei jacturâ naſci poterant. Patet tandem non ſolum ex hiſce hucuſque adductis, ſed ex accurata quoque omnium animalium *paulò antè* deſcriptorum recenſione, non omnes animalium ſpecies intra *Arcam* introductas fuiſſe; quod hucuſque demonſtrare conati ſumus, atque proindè *Arcam* ad omnes Animalium ſpecies primigenias conſervandas capaciſſimam fuiſſe.

Verum cum jam occurrat *Phœnicis* memoria, reſtat exponendum, utrum hæc avis in *Arca* locum repererit? Avis ſcilicet non *veterum* duntaxat, ſed & *recentium Scriptorum Relatione*, ſupra fidem celebrata; Dicitur autem unica

&

& ſolitaria ſolo ſuo contenta individuo & maris & fœminæ formam retinens, ætate 500 annorum prægravata nido ex pretioſis *Arabiæ* lignis conſtructo, ardoreque Solis incenſo unà combuſtam emori, deinde ex cineribus, rore & pluvia fermentatis vermem naſci, novæ generationis *Phœnicis* ſeminarium. Quis hic tam inſanæ mentis eſt; qui hujuſmodi fabularum figmenta concipiat? Quis non videt, hoc *Ægyptiorum* monſtroſum animal fuiſſe, cujuſmodi complura hieroglyphicis ſuis inſerunt, uti quam ampliſſimè de jis, & inprimis de *Phœnice* egimus, continentur, quorum proprium erat, ut quanto monſtroſiores figuras exhibebant, tanto majora ſub iis latere myſteria jactitarent. Quibus accedit ut illa fabuloſa *Phœnicis* narratio in omnium paſſim *de naturalibus rebus Scriptorum Monumenta* irrepſerit. Quod vero hujus volucris etiam mentionem faciant *S S. PP.* id eos non tam feciſſe cenſendi ſunt, quod talem verè volucrem extare arbitrarentur, ſed ut inde occaſionem ſumerent, ad hujus avis ſimilitudinem, demonſtrandi communem carnis reſurrectionem adverſus eos, qui eam negarent, & tamen *Phœnicem* non alio modo, quàm ex cineribus ſuis propriis renaſcendi originem ſortiri crederent, quemadmodum de *Unicornu* & *Pelicano*, qui pectore aperto, ſanguine ſuo pullos enutriret, alluſione facta ad *Chriſtum* ſanguine ſuo fideles ſuos enutrientem. Qui verò tempore *Tiberii Phœnicem Romam* allatam, inde *Phœnicis* veritatem adſtruunt, ſummopere halucinantur; dum facilè iis illudi potuerit, rarioris ſpeciei phœnicoptero qui præter nomen *Phœnicis* nihil aliud haberet. Quis enim iſtam volucrem 500 annos vixiſſe, obſervavit? quis collectis ex aromaticis ſarmentis nidum, quo ſe combureret, vidit unquam? Quis ſufflatione alarum ligna ardore Solis ſuccenſa fuiſſe credet? Quis ex cineribus natum vermem ad ſpeciei inſtaurationem intuitus eſt? nemo ſanè mortalium. Chimæricum itaque & prorſus propudioſum figmentum eſt, omnes *Hippocentauros* & *Sphingium* Monſtrum excedens. Ex quibus tanquam infallibilibus rationibus conſtat, *Phœnicem*, uti in rerum natura nunquam extitit, ita quoque in *Arca* non fuiſſe, quin & hoc Sacro textui repugnare, vel ex hoc comprobabitur, cum avis hæc unica, neque mas, neque fœmina, in *Arca* alias inutilis fuiſſet, & contra finem, quem DEUS ad inſtaurationem ſpeciei intenderat, ac proindè apertè dicat non unum aliquod animal, ſed bina, maſculum & fœminam ex omnibus animantibus, *Arcam* quæ ad ſpeciei ſeminarium conſervarentur, ingreſſa cenſeantur.

Excuſamus tamen SS. Patres de *Phœnice* agentes, qui non ex ignorantia, ſed argumentum myſteriis confertiſſimum altioris contemplationis cauſâ, juxta inveteratam Poëtarum, Oratorumque enarrationem, pulchris conceptibus exornatam, libris ſuis inſeruerunt; quemadmodum non pauci ex iis fabulis, etiam poëticis, ad myſticos, & anagogicos ſenſus tranſtulerunt. Vide *S. Auguſtinum de Civitate* DEI.

CAPUT VI.

Noë *infusâ Animalium Scientiâ dotatus à* Deo, *juxta præcepta Domini, tandem* Arcæ *ſtabula, nidoſque unicuique, ſive quadrupedibus, ſive volucribus convenientia exſtruere orditur.*

EXpoſitis in *præcedentibus Capitulis* omnium eorum animalium, quæ *Arcæ* deſtinabantur, viribus, & proprietatibus à natura iis inſertis, quorum omnium notitiam *Noë* probè poſſidebat, tandem Divini Numinis Angelorumque aſſiſtentiâ fretus, *Arcam* in ſtabula, nidoſque partitur, juxta molem corporis unicuique convenientem. Verùm cum hæc ſine ſchematismis concipi non poſſunt, primò totius primæ contignationis ampliſſimum ſpatium quadrupedibus deſtinatum in manſiones, ſeu receptacula pro immundis bina & bina, pro Mundis ſeptena & ſeptena propria diſtributum, ſub majori forma, ante oculos ponemus curioſi Lectoris.

Quoniam verò magna inter *Interpretes* circa bina & bina, ſeptena & ſeptena animalia diſſidium eſt; quid de iis ſentiendum ſit, paucis aperiamus. Sunt nonnulli, qui dicunt, bina, & bina ita intelligi debere, veluti duo paria: quidam verò per unum marem & fœminam intelligi debere aſſerunt. Verùm cùm lis non niſi ex ſenſu Sacrarum Literarum decidi poſſit, varios hîc Textus adducam, ut ex iis ſenſûs veritas eluceſcat.

Dixitque Dominus *ad Noë, Ingredere tu, & omnis domus tua in* Arcam *&c. Ex omnibus animantibus mundis tolles ſeptena & ſeptena maſculum & fœminam; de animalibus verò immundis* Duo & Duo, *maſculum & fœminam; ſed & de volucribus cœli ſeptena & ſeptena, maſculum & fœminam, ut ſalvetur ſemen ſuper faciem univerſæ Terræ.* Ubi ex omnibus mundis ſeptena & ſeptena:

Gen 7. vers 2. מכל הבהמה התהורה תקח לך שבעה שבעה.

Ex omnibus animantibus mundis accipies tibi ſeptem, ſeptem: id eſt, ſeptem maſculos & ſeptem fœminas; & ex beſtiis non mundis duo, maſculum & fœminam, ubi apertè oſtenditur, ſeptenos maſculos & ſeptenas fœminas ex

ומהבהמה לא התהורה הוא שנים:

beſtiis mundis ingreſſa eſſe; & ex mundis שנים, id eſt, duo paria, maſculum & fœminam, quæ quaterna animalia conficiunt. Sic enim habet Lectio 70. ἀπὸ ὧ τῶν κτηνῶν τῶν καθαρῶν εἰσάγαγε πρὸς σὲ ἑπτὰ ἑπτὰ ἄρσεν ϗ θῆλυ· καὶ ἀπὸ τῶν κτηνῶν τῶν μὴ καθαρῶν, δύο δύο ἄρσεν ϗ θῆλυ; quæ prorſus *Paraphaſi Chaldaicæ* congruunt. Congruit & Arabica Lectio:

وخذ من جميع البهايم الطاهت سبعة سبعة الواحد وزوجه ۞

Et quoniam *Lectiones* ubique concordant, rectè concluditur à primæ ſententiæ *Interpretibus*, per bina & bina, per ſeptena & ſeptena, duo paria immundorum, & ſeptem paria ex mundis animalibus, duos videlicet maſculos & duas fœminas ex immundis, & ſeptem maſculos & totidem fœminas ex mundis intra *Arcam* admiſſa fuiſſe; ſi enim unum tantùm par ex immundis, & ſeptem ſolummodò ex mundis introducta fuiſſent, ſequeretur, *Noë* poſt *Diluvium* non habuiſſe, quod ſalvâ propagatione ſpeciei, DEO in ſacrificium offerre potuiſſet; Atque hæc eſt quorundam ſententia. Altera ſententia eſt, unum tantùm par introductum fuiſſe, marem & fœminam, quod ex voce Hebraica שנים dualis numeri colligunt; *Hebræi*, enim per שנים non quatuor, ſed Duo, quem-

quemadmodum in vocibus dualis numeri, אזנים/ צינים/ ידים membra gemminata exprimunt, ita & ex voce: שנים *Schanaim*, duo tantum animalia, vel unum par ex immundis in *Arcam* introductum fuisse, censent; ex mundis verò animalibus septem tantum introducta fuisse, tria videlicet paria, masculum & fœminam, septimum verò sacrificio post *Diluvium* à *Noëmo* perficiendo, reservatum. Verùm qui vim & energiam in *Textibus* prorsùs concordantem ritè expenderit, is sanè vel violenter se à primæ sententiæ *Authoribus* trahi sentiet: Qui secundæ sententiæ subscribunt, ii sanè id non alia de causa fecisse censendi sunt, nisi quod, si duo ex singulis immundis animalibus paria, ex mundis verò septem paria admitterent, vererentur, nè *Arca* tot animalibus recipiendis minimè capax foret, & ne *Arca* ex nimio onere, ob tantam animalium multitudinem aggravata succumberet: Sed nos uti utramque sententiam probabilem censemus, ita quoque, sive intra *Arcam*, unum solummodò animalium par, sive duo ex immundis paria, ex mundis verò licet septem solummodò, sive bis septem ponamus, *Arcam* tamen semper adhuc sat capacem fuisse, nec quicquam à nimio pondere metuendum fuisse. Quod ita ostendo. Novimus ex 11 *Levitici*, & 14 *Deut.* quænam munda, quænam immunda animalia sint: Verba adducam: *Nè comedatis quæ immunda sunt: hoc est animal, quod comedere debetis*, Bovem, & Ovem, & Capram, Cervum, & Capream, Bubalum, Tragelaphum, Pygargum, Orygem, & Camelopardalum: *Omne animal, quod in duas partes findit ungulam, & ruminat, comedetis; De his autem, quæ ruminant, & non dividunt ungulam, hæc omnia comedere non debetis*, Camelum, Leporem, Chærogryllum, *quia ruminant, & non dividunt ungulam, immunda erunt, vobis;* Sus *quoque, quoniam dividit ungulam, & non ruminat, immundus erit.* Deinde vers. 11. Mundas & immundas volucres recensèt. *Omnes*, inquit, *aves comedite, immundas ne comedatis*: Aquilam *videlicet*, & Gryphum, & Haliætum, Ixion, & Vulturem, & Milvum *juxta genus suum, & omne corvini generis*, & Struthionem *ac* Noctuam, & Larum *atque* Accipitrem *juxta genus suum*, Herodium *ac* Cygnum, & Ibin, *ac* Mergulum, Porphyrionem & Nycticoracem, Onocrotalum, & Charadrium *singula in genere suo*, Upupam *quoque*, & Vespertilionem. Atque hæc est animalium tam mundorum quàm immundorum recensio, quam *Sacer Textus* nobis proponit; estque veluti compendium omnium eorum, de quibus hucusque egimus. Quadruplici itaque combinatione, quod ex animalibus mundum sit, quod immundum, ita determinat, ut nullus de iis amplius dubitandi locus relinquatur.

COMBINATIO QUADRUPLEX, ex qua

Omne quod ruminat, & ungulam bisulcam habet, mundum est; ut Ovini & caprini generis animalia.

Omne animal, quod et si ruminet, ungulam tamen solidam habet, & indivisam, immundum est; ut Camelus, *& cætera.*

Omne animal, quod nec ruminat, neque bisulcam ungulam habet, immundum est: ut Equus, Asinus.

Omne animal, quod ungulam quidem bisulcam habet, sed non ruminat, immundum est; ut Sus, *& similia.*

Sed quodnam in Avibus mundarum immundarumque signum sit, expressè *Sacer Textus* dicit: omnes videlicet Aves carnivoras & rapaces, quæ carnibus cæterorum animalium, & sanguinis suctu vivunt, neque etiam hodiè facilè in cibum cedunt, & sunt omnes eæ, quas *Sacra Scriptura* paulò ante recensuit: omnia scilicet animalia; id est Aquilinum,

Accipitrinum, & Corvinum genus, & noctuarum genera & ſpecies: Cùm verò mundarum volucrum mentionem non faciat, ſignificare voluit, præter dicta carnivorarum rapaciumque volucrum genera, reliqua omnia comedi poſſe, ac proindè munda eſſe, & ſeptena ex quovis genere intra *Arcam* admiſſa fuiſſe, quamvis etiam ex immundis volucribus, non duo tantùm mas & fœmina, ſed ſeptem in *Arcam* introducta fuiſſe, indè concludatur. Quod ſi *Noë Corvum* volucrem immundam extra *Arcam* ad *Diluvii* diminutionem explorandam dimiſit, iſque non reverſus dicitur; certè corvinam ſpeciem eo ipſo, defectu alterutrius ſexus deſtructam fuiſſe, quis non videt? *Corvum* autem dimiſſum cum non reperiret in tantis aquarum turbinibus, ubi requieſceret pes ejus, neque *Arcam* amplius aquarum voluminibus veluti coopertam reperiret, uti nonnulli volatu tandem defeſſum, aquiſque involutum periiſſe, exiſtimant perperam: potuit enim is divino nutu conſervari, modo nobis incognito. Nos tantum hîc quid fieri potuerit, phyſico more ratiocinamur. Verum de *Corvo* in 2 *Libro* fuſius, uti & de *Corvo* non redeunte & redeunte iterum totam difficultatem ex mente *Sacri Textus*, enodamus. Verum ut ſingulis animalibus tam mundis, quàm immundis propria ſtabula in *Arca* extruantur, hîc catalogum omnium ſupponendum duximus.

Animalia ex Quadrupedibus.

Munda:	Immunda, quæ licet ruminent, Solipeda tamen ſunt:
Boves.	
Oves.	*Camelus*, ruminat, ſed non biſulcum.
Capræ.	*Lepus*, biſulcum, ſed non ruminat.
Cervi.	*Chœrogryllus.*
Alce.	*Sus*, dividit ungulam, & non ruminat.
Bubuli.	*Struthiocamelus*, nec ungulam dividit, nec ruminat.
Tragolaphi.	*Canes.*
Oryges	*Feles.*
Camelopardali.	*Vulpes*, & cætera in catalogo animalium recenſita.
Et omnia genera & ſpecies, quæ ex hiſce productæ ſunt.	

Volucres immundæ.	*Volucres mundæ.*
Omnes quæ carnibus & raptu vivunt.	Omnes eæ, quæ frumento, baccis, frugibus, & vermibus vivunt, uti
Aquilinum. }	*Galli*, *Gallinæ.*
Accipitrinum. } genus.	*Columbæ.*
Corvinum. }	*Paſſeres.*
Omnes nocturnæ.	*Perdices.*
Noctuæ.	*Attagenes.*
Bubones.	*Phaſiani.*
Nycticoraces	*Urogalli*, & quicquid hiſce ſimile eſt, de quibus vide *Catalogum animalium ſupraſcriptum.*
Aſcories, & ſimilia.	

NO-

NOMENCLATURA ANIMALIUM.

Animalia Munda

Sunt quæ ruminant & ungulam bisulcam habent & sunt infra scripta.

Immunda Animalia.

Sunt quæ ruminant quidem sed vel solipeda vel multifida sunt vel etiam quæ bisulcam ungulam habent, sed non ruminant, uti sunt supra scripta.

Appellationes.

Latina.	Græca.	Hebræa.	Chaldaico-Syriaca.	Arabica.	Latina.	Græca.	Hebræa.	Chaldaico-Syriaca.	Arabica.
Bos, Taurus, Vitulus, Vacca.	Βοῦς, ταῦρος, μόσχος.	שור	תור ܬܘܪܐ	البقر الثور	*Camelus* ungula solipeda ruminat.	Κάμηλος.	הגמל	גמלא ܓܡܠܐ	الجملل
Ovillum genus.	Ἀμνὸι ἐκ προβάτων.	שה ܥܢܐ ܢܒܝܐ	אמרין	حمل حملل الضان	*Lepus* ruminat sed multifidus est.	Δασύπους.	ארנבא ܐܪܢܒܐ	ארגבא ܐܪܢܒܐ	لارنبا ارنب
Caprinum genus.	Χίμαροι ἐκ αἰγῶν.	עז עזים	גדייז דעז ܥܙܐ	المعز جدي تيس	*Chœrogryllus* ruminat sed multifidus est.	השפן	טפזא ܛܒܙܐ	Χοιρόγρυλλος.	القنليه
Cervinum genus.	Ἔλαφος.	איל	אילא ܐܝܠܐ	العزلا	*Sus* bisulca sed non ruminat.	החזיר	חזירא ܚܙܝܪܐ	Σῦς, Χοῖρος.	الخنزيب
Caprea, Capreolus.	Δορκὰς.	צבי	טביא ܛܒܝܐ	الصايل	*Canis* non ruminat nec ungulam habet bisulcam.	כלב Κύων.	כלב כלבים	כלבא ܟܠܒܐ	كلاي كللي
Bubalus, Bufalus.	Βούβαλος.	יחמור	יחמורא ܝܓܡܘܪܐ	الجمار	*Felis, Cattus* animal multifidum.	Αἴλουρος.	סנור	סנורא ܣܢܘܪܐ	السترر
Tragelaphus.	Τραγέλαφος.	אקו	כעלא ܟܥܠܐ	الوعل	*Ursus* multifidus.	Ἄρκτος.	דוב ܕܘܒܐ	דובא	الدوب
Pygargus.	Πύγαργος.	דישון	רימא	الروي	*Vulpes* multifida.	Αλώπηξ.	שועל	תועלא	ثعلب
Oryx.	Ὄρυξ.	תאו	תרבלא ܬܪܒܠܐ	الثيتال	LEO, *Leones.*	Λέων, Λέοντες,	אריה	אריתא ܐܪܝܐ	السل للاسل
Camelopardalus.	Καμηλοπάρδαλος.	זמר	דיצא ܕܝܨܐ	الزرافه	*Tigris.*	Τίγρις.	דגיל	דגילא	دحيل
Alce.	*Bisons.*	*Urus.*	*Rupicapra.*	*Capricornus.*	*Equus, Asinus.*	ἵππος, Ονος.	סוס אתון	סרחא אתנא	فرس حمار

NOMENCLATURA VOLUCRUM

Tam Mundorum quàm Immundorum.

Ex Volucribus Mundis ſunt ſequentes.

Latina.	Græca.	Hebræa.	Chaldæa.	Arabica.
Gallus. Gallina.	Αλέκτωρ.	תרדגיל	תרנגולא	ديك
Columba.	Φάσσα.	יונה	יונא	حمار
Turtur.	Τρυγών.			
Perdix.	Πέρδιξ.	קוראה		
Attagen.	Ατταγήν.	פסרנה		درج
Turdus.	Κίχλα.			
Phaſianus.	Φασιανὸς.	פשרנה		درج
Paſſer.	Στρουθὸς.	צפרה		عصفور
Ficedula.	Συκαλὶς.			
Pavo.	Ταὼν.	טוסה		طاووس
Parix.				
Alauda.	Καλάνδρη	קבשינה		قنبر
Anſer.	Χὴν.	וזה		وز
Anas.	Νῆσσα.			
Fulicæ.				
Cygnus.	Κύκνος.	דדרה		راحم
Coturnix.	Ὀρτυγομήτρα.			

Ex Volucribus Immundis ſunt ſequentes.

Latina.	Græca.	Hebræa.	Chaldæa.	Arabica.
Aquila.	Ἀετὸς.	נשר	נשרא	نسر
Gryps.	Γρὺψ.	פרס	ער	عقاب
Haliætus.	Ἁλιαῖτος.	עזיה	העניה	
Ixion.	Γὺψ.	הראה	בתכנפא	
Vultur.	Γὴν.	איה	טורפיתא	
Charadrius.	Χαραδρίος	הדיה	דיתא	
Corvus.	Κόραξ.	עורב	ערבא	غراب
Struthio-Camelus.	Στρουθίον.	יעבה	נעמיתא	نعامة
Noctua.	Γλαὺξ.	תחמס	ציצא	
Larus.	Λάρος.	שחף	שחפא	
Accipiter	Ἱέραξ.	הנץ	נצא	شاهين
Herodius.	Ἡρώδιος.	הכוס	קדיא	هرة
Ibis.	Ἶβις.	ינסוף	קיפופא	
Ciconia.	Πέλαργος.	רחמה	רחמא	لقلق
Mergus.	Καταράκτης	קאת	רקריקא	
Porphyrio.	Πορφυρίων.	שלונא	ינשובא	
Nyctico-rax.	Νυκτικόραξ.	שלך	רחיתא	

CA-

CAPUT VII.

Explicatio Ichnographica, primæ Contignationis Arcæ *in qua Quadrupedum ſtabula, & manſiones ordine ſunt poſitæ.*

IDem accidere videtur iis, qui de *Arcæ* incapacitate dubii, capere non poſſunt, quomodò illa tantam tamque innumerabilium animalium multitudinem, & varietatem continere valuerit; ac illis, qui Aſtronomicarum rerum ignari, ſtellati cœli faciem lucibus refertam, ſtellarum, ſiderumque multitudinem ſub numerum cadere non poſſe, ſimplicius ſibi perſuadent; cum tamen in univerſa cœli facie nulla ſtella oculis non armatis ſenſibilis adeo parva ſit quæ Aſtronomis non ſit cognita; omnes verò ſi ad calculum revocentur, non niſi 1022. recenſeantur ex iis, quæ innumerabiles putabantur, ut proindè complures olim Hæretici, & hoc tempore ἄθεοι Epicuri de grege porci; uti *Sacræ Scripturæ* libros, eo loco habent, quo quamlibet aliam profanam hiſtoriam, ita quoque pro ſtultis ac monſtroſis opinionum ſuarum dogmatis, omne id, quod capere non poſſunt, pernegant, pro nugis & fabulis tenent omnia; DEO ipſi omnipotenti rerum Conditori, Angeliſque ſuis apertum bellum indicunt; ἀθανασίαν animarum deſtruunt, humanam animam à beſtiis, & brutis non differe, demonſtrare, ipſis belluis deteriores contendunt; qui utique in opinione hac omnium pernicioſiſſimâ, tantò ſunt obſtinatiores, quantò indoctiores; tantò in hujus ſatanicâ perſuaſione, ſententiæ aſſerendæ faciliores, quantò in Epicuræorum oblectamenta magis fuerint effuſi. O intolerandum genus hominum non niſi igne flammiſque à facie terræ exterminandum! Atque hi ſunt, qui nullâ aliâ faciliori ratione *Scripturæ* nullitatem evinci poſſe, diabolicâ fraude dementati, ſibi perſuadent, quàm per *Arcam Noëmicam*, quam uti capere non poſſunt, ita eam cæteris veterum fabuloſis narrationibus jungunt. Ego verò hiſce, me belluinam eorum inſcitiam, Divini Numinis adſpirante gratiâ, ita hoc loco evicturum confido, ut, velint, nolint, ultrò veritati palmas præbere cogantur. Sed jam ad rhombum.

Atheorum deteſtabilis doctrina.

Ut itaque quàm penitiſſimè hoc de *Arca Noëmica* argumentum diſcuterem, omnium primò Zoographorum monumenta examinanda cenſui; Animalium omnium quadrupedum, quæ in univerſo Telluris orbe hucuſque cognita fuerunt, nomina annotavi, vires, proprietates, corporeæque molis magnitudinem ſingulis competentem, cæteraſque circumſtantias ἀκριβεσάτως expendi, ſtabula & manſiones ſingulis & omnibus, binis vel ſeptenis proportionatas, in *Arca* longitudinis 300 cubitorum, & 50 latitudinis aſſignavi, uti in *præſenti Schematiſmo* videre eſt.

Ichnographia itaque primæ Contignationis *Arcæ* Animalibus quadrupedibus deſtinata, longa eſt, uti dixi, 300 cubitos, lata 50 quod ſpacium ſuperficiale primò in ambulacrum A. B. 300 cubitis longum & octo cubitos latum diſtribui; quod per quinque alia ambulacra tranſverſa LM. IK. CD. EF. GH. octo pariter cubitorum latum & 50 cubitos tranſverſa latitudine diſcrevimus, quæ acceſſum ad omnium animalium ſtabula præberent; Inter hujusmodi ambulacra, poſita ſunt, ex utroque latere ſtabula omnibus & ſingulis animantibus proportionata; quorum quidem receptaculorum ſi longitudinem ſpectes, eam in omnibus æqualem, id eſt, 20 cubitorum longam reperies; ſi latitudinem, pro animantium quantitate,

nunc

nunc majorem, nunc minorem, prout numeri ſingulis adſcripti docent. Per majus & principale ambulacrum aditus utrimque datur in cellas ſeu ſtabula animalium per portas numeris ſignatas, qui tamen latitudinem cujuſvis ſtabuli unà notant; undè & ambulacrum hoc, octo cubitorum latum conſtituimus, ut *Elephantem* quadrupedum omnium maximum non ſtrictè, ſed amplè quoque & commodè reciperet; quoniam verò hæ portæ ſtabulorum non ſufficiebant, alias arcanas portas, in fine tranſverſorum ambulacrorum poſitas effecimus, & ſignantur hiſce literis, a. b. c. d. e. f. &c. quæ aditum præbebant ad poſteriorem ſtabulorum partem, ubi per feneſtras ſingulis ſtabulis proprias, animalibus quotidianus cibus & potus in vaſa & præſepia in hunc finem ibidem diſpoſita ſine periculo ſubminiſtraretur, uti *in Schemate* videre eſt.

Stabuli Elephantorum quantitas.

Jam itaque ſtabula explicemus, ab Elephantum, qui ſunt animalium maxima, ſtabulo, literâ A ſignato ordiamur,& primum locum à dextris obtinet intra medietatem *Arcæ*, eà commoditate, ut *Arcam* per portam D. ingreſſi, ſtatim deputatam ſibi manſionem per 20 numerum ſignatam ingrederentur; eſt id ſtabulum 14 cubitorum latum, 16 longum, altum octo; quod ſpacium binis *Elephantis* aut quaternis etiam recipiendis adeò ſpacioſum eſt, ut ibidem non ſtrictè, ſed amplè, & quàm commodiſſimè commorari queant. Eſt & poſt ſtabula p. q. ſpacium aliud, in quod per portam q. ex ambulacro ingreſſus datur, ut ibidem illis pabulum potuſque per feneſtram ſuggeri poſſit.

Sequuntur modò ſtabula cæterorum animalium, majorum & minorum uſque ad *Leporum Cuniculorumque* ſtabula, è latere dextro; ex ſiniſtro verò, animalium ferocium ſtabula ſequuntur, uti *Rhinocerotum*, *Leonum*, *Urſorum*, cæterorumque ordine expoſitorum, quæ omnia *in ſequenti Pinace* tibi conſideranda relinquo.

Atque hæc ſtabulorum pro omnibus & ſingulis animantibus quadrupedibus, juxta numerum Mundorum, Immundorumve, nec non ſecundum capacitatem uniuſcujuſque ſpeciei in *Arca* diſpoſitio eſt, quorum quidem habitacula tam laxa ſunt, ut in unoquoque horum, complura adhuc paria poni poſſint; Undè nos, ut ob *Arcæ* amplitudinem, loca omnia repleri poſſent, etiam illa animalia, quæ *Arcam* intrare non neceſſarium erat, poſuimus, uti ſunt, quæ ex diverſæ ſpeciei congreſſu oriuntur, & quæ ob Climatum diverſitatem, aſpectumque cœli differentem, aliam formam quoad extrinſecam apparentiam nacta ſunt, quamvis tamen ſpecie non differant. Si verò Lector obſervaverit nonnullius alterius animalis ſpeciem, quæ hìc non contineretur, is certò ſibi perſuadeat, tam amplas adhuc reſtare manſiones, ut iis, non dicam una, ſed plurimæ quoque ſpecies collocari queant; ut proindè ex hoc animalium epilogiſmo Lector apertè videat, non tantam eſſe animalium multitudinem, quam ſibi perſuadere poſſit quiſpiam. Quicquid enim *Aldrovandus*, *Geſnerus*, *Jonſtonus*, in vaſtiſſimis ſuis *Operibus Zoologicis*, de animalibus quadrupedibus attulerunt, id totum in hoc brevi compendio, monſtra etiam contineri certum eſt, uti unum cum altero comparanti luculenter apparebit.

Reſtant modò Serpentum, aliorumque Reptilium ſtabula exponenda, & ut paucis nos expediamus; dico non neceſſarium fuiſſe, ut iis particulares ſtabulationes aſſignarentur, cum iis ſuppedanea ſtabulorum vacua loca hunc in finem relicta, ad commorandum ſufficerent; ibidem enim præter victum ordinarium, etiam ſuctu pinguis humidi, & ex ſordibus animalium vivere poterant.

Porrò

PINAX STABULORUM.

Immundorum Animalium Stabula.

Stabulum signatum literâ

A	Continet.	*Elephantes.*	2
B		*Camelos.*	2
C		*Dromedarios.*	2
D		*Equos.*	2
E		*Asinos.*	2
F		*Onagros.*	2
G		Varias *Felium* Species.	
H		Varias *Simiarum* Species, binæ Singulæ.	
I		*Cercopithecos.*	2
K		*Lepores.*	2
L		*Sciuros.*	2
M		*Cuniculos.*	2
N		*Porcellos marinos.*	
O		*Stabulum vacuum.*	
P		*Rhinocerotes.*	2
Q		*Leones.*	2
R		*Ursos.*	2
S		*Tigrides.*	2
T		*Pantheras* & *Leopardos.*	2
V		Animalia quæ *Monocerotes* vocantur.	2
X		*Lynces* cum *Gulonibus.*	2
Y		*Lupi.*	2
Z		*Vulpes.*	2
		Apri cum *Porcis* domesticis.	2

Mundorum, & Amphibiorum Stabula.

Stabulum signatum litera

♉	Continet.	*Castores.*	2	Amphibia, & Immunda.
♊		*Lutras.*	2	
♋		*Crocodilos.*	2	
♌		*Hippopotamos.*	2	
♍		*Tragelaphos.*	7	Munda.
♎		*Bubalos.*	7	
♏		*Alces.*	7	
♐		*Uros.*	7	
♑		*Capras* cum *capris.*	7	
♒		*Arietes* cum *Ovibus.*	7	
♓		*Boves* cum *Vaccis.*	7	
☽		*Cervos.*	7	
☉		*Rangiferos.*	7	
☿		*Capras Sylvestres.*	7	
		Oryges.	7	
		Ibices.	7	
♃		*Rupicapras.*	7	
♂		*Canes Domesticos.*		Immunda.
		Canes aquaticos.		
♀		*Canes Leporarios.*		
		Canes Molossos.		
♄		*Melites.*		
		Canes Indicos.		
♋		*Vitulos Marinos.*		Amphibia.
♈		*Testudines.*		
		Ericeos, Histrices.		
*		*Taxos, Glires, Martes, Mustelæ.*		

Porrò *Noë* cum prævidiſſet, ingentem ſordium excrementorumque colluviem ex tanta animalium coacervatione naſcituram, datâ operâ ſentinam fecit in infimo *Arcæ* loco, uti *in Præcedentibus* diximus. deindè craticulas ferreas quarum quinque in hoc præſenti Schemate exhibuimus hoc ſigno notatas, ita ſcitè ſagaciterque diſpoſuit, ut in dictam ſentinam per has è ſtabulis extractæ ſordes, in ſentinam devolutæ, *Arcam* ab immunditiis liberam, immunemque relinquerent; habebant autem hæ ferreæ craticulæ coopercula ſua, ut claudi & aperiri, claudi quidem ne fœtor ex ſentina exhalans, animalia homineſque mephiti conficeret; aperiri verò in ſordium projectionem poſſent. Poſuimus & binas ciſternas in extremitatibus *Arcæ*, ſigno ♈ & ♎ notatas, in neceſſarium *Arcæ* uſum; de quibus *in Sequenti* capite fuſiùs.

CAPUT VIII.

De Commeatu omnibus & ſingulis Animantibus in Arcam *introductis, ſufficienti & neceſſario, & de Penuariis, Reconditoriiſque, ea de cauſa in* Arca *extructis.*

QUanquam abſoluta, & immenſa DEI potentia *Noëmum* cum univerſâ ſua familia, quin & omne animal quod vivebat, & movebatur ſuper terram, ſine ulla *Arcæ* fabrica, & ſine ullo ciborum apparatu, ſine ullo corporeæ neceſſitatis ſubſidio aliundè allato, conſervare potuiſſet, magis tamen Divinæ providentiæ conſentaneum videbatur, non purè ſupernaturali modo, ſed humanæ providentiæ captuique congruo, magnum hoc pietatis ſacramentum, ad divitias gloriæ ſuæ demonſtrandas, peragere; ut videlicet Mundum ob peccatorum enormitatem, perditum per *Noëmi*, DEI aſſiſtentis auxilio Divinique influxus gratiâ inſtructi cooperationem reſtauraret, *Arcam* fabricari, voluit loculos in ea pro animalium diverſitate & multitudine conſtituere, *Reconditoria* ciborumque *Penuaria* diſtribuere, de alimentis omnibus & ſingulis animantibus, tum pro ſe, tum pro illis congruis hac providentia conſervare, utque hoc pacto humanum genus, quod ob impietatem perierat, non ſolius DEI opitulatione, ſed cooperatione hominis juſti & perfecti, reſtitueret; quod poſteà à *Chriſto* θεανθρώπῳ, cujus *Noë* typus erat, miro & ineffabili modo completum fuit. Dixit itaque DEUS ad *Noe*:

קח לך מכל מאכל אשר יאכל ואספת אליך והיה לך ולהם לאכלה׃ *Geneſ. 6. verſ. 21.*

Tolles igitur tecum ex omnibus eſcis, quæ mandi poſſunt, & congregabis apud te, & erunt tam tibi, quam illis in eſcam.

EX hujus Lectionis contextu luculenter patet, pro omnibus & ſingulis animantibus, cujuſcunque tandem generis, de cibis & alimentis unicuique propriis, queis ſuſtentarentur, providendis *Noëmo* præceptum fuiſſe, de quo mirum in modum altercantur *Interpretes*. Nonnulli volunt, omnibus commune fuiſſe alimentum; quorum error uti vel ipſis Sacri Textus verbis *(Ex omnibus eſcis, quæ comedi poſſunt)* contradicit, ita is quoque error pluſquàm palmaris explodendus eſt. Quidam hanc ſententiam admittunt quidem, ſed ad ſola carnivora animalia reſtringunt; Et hoc quidem ut aſſeverent, alia cauſa non fuit, niſi quod vererentur, ne *Arca* tot aliorum animalium, præter ea quæ in ſemen deſtinarentur, coacervatione in alimenta cedentium multitudine & copia aggravata, neque ſatis capax, neque oneri ferendo ſufficiens foret; undè ut *Arcam* ab hac quorundum rapacium animalium σαρκοφαγίᾳ liberarent,

rent, fingunt, neſcio quo fundamento, dicta animalia, quæ carnivora nominant, ante *Diluvium* ab eſu carnium abſtinuiſſe, & ſolis herbis & frugibus victitaſſe. Sed uti hæc gratis fictaſunt, ita facile quoque repudianda ſunt. Anne ante *Diluvium* animalia diverſæ ſpeciei fuiſſe ab illis, quæ poſt *Diluvium* ex iis, quæ *Arca* continuit, propagata fuerunt, extitiſſe putabimus? Anne differentem naturam proprietatemque poſt *Diluvium* induiſſe credemus? minime gentium; Animal enim cujuſcunque generis & ſpeciei ſit, illam naturam, proprietatem, vires, potentiamque quam à ſapientiſſimo Conditore in primordiis rerum ſortitum fuit, eandem ſemper, & olim tenuiſſe, & in hunc uſque diem inſeparabiliter tenere, quiſque intentionem conditoris, & invincibile Naturæ jus recte penitiùſque expenderit, luculenter fatebitur. Neque ſufficit, id quod cuique naturale eſt, diverſis modis conſiderare; ſive enim ſpecificam conſideremus naturam, ſive individualem cujuſque, ſemper verum erit, *Leonem*, *Aquilam* & ſimilia, implantatum iis à natura ad carnium eſum, appetitum, ſine quo vivere non poſſent, habere; unde & ſagacis Naturæ providentia, illa roſtro ad dilaniandum duriſſimo, unguibus ad prædandum robuſtiſſimis, volatu celerrimo, viſu acutiſſimo ad neceſſaria & congrua ſibi nutrimenta acquirenda aptiſſimo inſtruxit, quæ ſarcophagiæ, ſive ad carnium eſum pronitas adeò iis naturaliter inſita eſt, & fuit, ut ſine totius ſpeciei deſtructione ab eadem ſeparari non poſſint.

Objectiones diſſolvuntur.

Objiciunt hoc loco Adverſarii, nimiùm de *Arcæ* incapacitate anxii; idem animalibus carnivoris accidere potuiſſe ante *Diluvium*, quod pueris, qui in tenero primæ ætatis flore, pro nutrimento non carnes, & alia duriuſcula edulia, quæ ob ſtomachi debilitatem abhorrent, ſed pultibus & lacte materno, uſque dum robuſtiorem ſtomachum acquiſiverint, tandem carnibus nutriri. Quod argumentum magni roboris eſſe, ad convincendum, dicta animalia ante *Diluvium* carnibus abſtinuiſſe, ſibi perſuadent: perperam: neque enim id pueris tantùm, ſed & omnibus quadrupedum ſpeciebus commune eſſe in ætate teneriuſcula, lacte materno nutriri, quis non videt? *Lupus* enim vix natus, ſtatim non ad carnes, ſed ad lac *Lupæ* genitricis ſugendum naturali fertur inſtinctu; quod & de cæteris tam carnivoris, quàm non carnivoris intelligi debere, nemo niſi mentis inops inficiabitur. Volucres verò rapaces cum lacte mammiſque careant, ſuos pullos non carnibus quidem, ſed calido animalium ſanguine, uſque ad ætatem quâ ſibi ipſis de victu providere poſſint, loco lactis nutriunt; quod & nidi *Vulturum*, *Aquilarum*, *Accipitrum*, ſimiliumque, diverſis animalium cadaveribus referti teſtantur, ubi præter carnes nil aliud reperitur. Sed jam ad alia.

Quidam denique dum de *Arcæ* incapacitate nimium ſolliciti ſunt, ad miraculoſam hujuſmodi animalium ſuſtentationem confugiunt; videlicet dicta animalia toto *Diluvii* tempore ſine ullo cibo carnium vixiſſe, aut ſaltem fame compulſa, quævis obvia devoraſſe, perperàm dictum. Quis neſcit, hoc expreſſe Sacræ Scripturæ Textui repugnare, cum ille expreſſe dicat; (*ſumes tibi ex omnibus eſcis &c.*) fruſtrà autem hæc dicerentur, ſi miraculo ſuſtentata fuiſſent: non minùs miraculo proximum fuiſſet, ſi *Lupus* paleis, fœnoque vitam contra naturalem ſibique inſitum appetitum cum *Bobus* & *Vaccis* victitaſſet, cum eum mori malle certum ſit, quàm inſolitis & naturæ ſuæ repugnantibus cibis nutriri. Ex quibus, ni fallor, luculenter apparet, & carnivoris, & non carnivoris animantibus intra *Arcam* ſine ullo incapacitatis *Arcæ* metu, ſufficientiſſimo

commeatu à *Noëmo* proviſum fuiſſe. Quod ut pateat, id ſcitè ſanè Arithmetica demonſtratione confirmandum cenſuit Pererius noſter: *Si omnia*, inquit, *carnivora animalia redigantur ad numerum* 100 Luporum, *cuilibet* Lupo *octava pars* Ovis *in quotidianum alimentum ſatis erat; neque enim* Arcæ *locus* Lupinæ *voracitati explendæ idoneus erat; ad quotidianum itaque centum* Luporum *victum*, Ovibus 12 *& dimidiâ opus fuit; qui numerus per unius anni* 365 *dies multiplicatus*, Oves 4562½ *continet; quarum* Ovium Arcam *ſat capacem fuiſſe indè deducitur, quod de trecentis manſionibus habitationi animalium comparatis, vacuæ relictæ ſint centum triginta, in quibus magna pars iſtarum cibariarum* Ovium *ſtabulari potuit. Eſt & hoc annotandum, numerum hujuſmodi* Ovium *in victum cedentium multùm in dies ſingulos diminutum fuiſſe, quotidiè ſcilicet deficientibus plus duodenis* Ovibus, *quæ quotidiano carnivororum animalium cibatu abſumebantur. Accedit, quod etiam certus tum* Ovium, *tum reliquorum animalium numerus in hunc finem auctus, qui tam animalibus carnivoris, quàm* Noëmo *& familiæ ejus ſolùm in cibum cederet, deputatus fuerit.* Sed nos in *ſequenti capite* id non arithmeticâ ſolummodò, ſed & geometrica demonſtratione, ex diſtributione Penuariorum, Lectori rem ad oculum exhibere conabimur.

Arithmetica ratio pro cibo carnivororum.

Pererius l. de Arca.

CAPUT IX.

De Commeatu pro omnibus & ſingulis animalibus in Arcam *introductis in particulari.*

EXpoſito jam dubio de carnivororum animalium commeatu carnium oborto, nil reſtat, niſi ut paulò ſtrictiùs univerſalem animalium commeatum exponamus: Et primò quidem totum victum animalibus omnibus neceſſarium in quinque Claſſes partiemur; quorum primum locum obtinet victus carnivororum, ubi carnivora intelliguntur non ea ſolùm, quæ carnibus animalium quadrupedum, volatiliumque, ſed illa quoque, quæ Piſcibus, Serpentibus *Ranis*, *Rubetis*, *Muribus*, cæteriſque inſectis vermibuſque veſcuntur, uti pleraque volucrum rapacium genera, ea tamen differentia, ut ſola rapacia quadrupedia, & volatilia roſtro adunco, & validis unguibus inſtructa intelligantur, non ea verò, quæ in aquis alimenta ſua quærunt, aut piſcibus vivunt, aut quædam, quæ inter πάμφαγα, ſive Omnivora recenſemus, uti ſunt nonnulla ex frugivoris.

Secunda Claſſis eorum animalium eſt, quæ frumentaceis, uti ſiligine, hordeo, avena, herbis quoque, fœno, paleis, foliis arborum exſiccatis, uti omnia ferè ovilli, caprini, cervini, bovinique generis animantia victitare ſolent.

Tertia claſſis animalia continet, partim quadrupedia, partim volatilia, quæ præter fruges, & frumentacea edulia, partim leguminibus, oleribus, farre, viciâ, cicere, lentibus, uti gallinaceum, & columbinum genus nutriri ſolent, partim fructibus arborum, Lauri, Olivarumque granis, Uvis, Ficubus, Baccis, Nucibus, Caſtaneis, Glandibus variarumque plantarum ſeminibus, uti omnia ferè avium genera, exceptis rapacibus, veſcuntur, ex quibus nonnullæ ſunt, quæ πάμφαγα, *Omnivora* dicuntur, uti *Gallinæ*, *Anates* & ſimilia.

Pro Animalibus frugivoris commeatus.

Animantia πάμφαγα.

Noëmum itaque verum & prudentem Oeconomum, ex omnibus hiſce cibariorum ſpeciebus, omnibus & ſingulis animalibus, per unius anni ſpacium, copioſum uberemque commeatum congeſſiſſe, nulli dubium eſſe debet, qui Sacri Textus verba rectè expen-

ORNITHOTROPHEION

id est

Tertiæ Contignationis ARCÆ Noëticæ

Ichnographia

Hominum Volucrumque habitationi Communis.

1 *Pelecani. Onocrotali. Plateæ et Cochleariæ.* a
2 *Phasiani et Vrogalli.* b
3 *Pernices. Perdices. Attagenes.* c
4 *Halcyones.* d
5 *Picæ cum Picis. diff: species* cc
6 *Psittaci diff: species.* dd
7 *Pavones differentes species.* ee
8 *Gallo Pavones, cum Gallinis Indicis. Gallinæ Pharaonis.* f
9 *Accipitres diff: spec:* g
10 *Vultures diff: spec:* h
11 *Aquilæ diff: spec:* i
12 *Falcones differentes species.* k
13 *Struthiocameli.* l
14 *Grues et Ciconiæ.* m
15 *Ardeæ differentes species.* n
16 *Anseres. domestici. et sylvestres.* o
17 *Anates differentes species.* p
18 *Mibri. Merghi. Fulicæ.* q
19 *Ficedulæ. Beccaciæ.* r
20 *Storni. Motacillæ.* s
21 *Bubones. Vultures. Otides.* t

A. B C D E

E *Peregrinarum Avium caveæ, ut sunt: Argalithi, Vehi Lyranus. Ægythus. Crex. Certhia. Phœnicus Cærulea. Pardalus. Collurio. Batis. Ægythalus. Spixites. Chrisomeris. Iynx. Glottis et Similia.*

F *Gryphofilcones. Harpyæ.*

G *Columbæ. Palumbi Turtures diff: species.*

H *Gallinæ differentes spec: cum Gallis Gallinaceis.*

K *Aviarium magnum pro parvis, et Canoris aviculis uti: Luscinæ. Alaudæ. Regulus. Calandriæ. Acanthides. Eringillæ. Cardulus et similes.*

L *Pennarium.*

M *Culina.* *Canacubon.*

N *Cubiculum Noë.*

O *Cubiculum Sem.*

P *Cubiculum Cham.*

Q *Cubiculum Japhet:*

R *Corvi. Cornices. Monedulæ. Picus Martius.*

S *Passeres. Passer Solitarius. Galgali. Upupæ.*

T *Parorum. Paricum. diff: spec.*

V *Cuculi. Phœnicuri. Rubeculæ. Erucæ.*

W *Hirundinum variæ species.*

X *Coturnices.*

Y *Manucodiatæ. variæ species.*

Z *Locus vacuus.*

BROMATODOCHEION

id est

Ichnographia Secundæ Contignationis ARCÆ.

qui Cometus Cibarius una cum distributione Receptaculorum, in quibus quicquid ad vitam tum Hominum, tum animalium, annuo spatio, sustentandam necessarium erat, continetur.

A *Instrumenta Fabrilia pro futuro Mundo.*

B *Funes. et reliqua Supellex Domestica.*

C *Ligmile.*

D *Condimenta. Ciborum.*

E *Omnis generis Granæ et Baccæ, pro Volucribus.*

F *Pyra. Poma.*

G *Panis biscoctus. Caro sumata pro Carnivoris.*

H *Ovile tum ad Cibum Carnivororum, tum ad futuri Mundi necessitatem.* *Butyrum.* *Butyrum.*

I *Caprile ad usum tum animalium Carnivororum, tum Hominum in futuro Mundo.* *Caseus.* *Caseus.*

K *Triticum.*

L *Siligo.*

M *Hordeum.*

N *Avena.*

O *Dolia plena aquâ in usum necessarium.*

P *Folia arborum in usum Animalium tempore hyberno.*

Q *Fœnile pro Animalibus herbivoris.*

R *Aliquot Boves in usum posteri Mundi. Aliquot Equi et Asini in usum Mundi posteri.*

S *Instrumenta Agricultoria pro renascente Mundo.*

T *Panni. Lintea Supellex.*

V *Ferramenta. Lana.*

X *Molæ Trusatiles. Pistorium. Fiscus.*

Y *Oleum.*

Z *Sal. Metalla et varia minera lia in futuri mundi usum.*

aa *Pisces sicciati cum salsamentis pro amphibys. Candelæ. Mel.*

bb *Palumbara tum pro Carnivoris, tum in futuri Mundi usum.*

cc *Gallinarium pro Carnivoris, tum Quadrupedib. tum Volucribus, tum in futuri Mundi usum.*

dd *Glandes. Nuces.*

ee *Castaneæ. Uvæ Passæ.*

ff *Pisæ. Cicera. Fabæ.*

gg *Lentes. Oryza.*

hh

ii *Stramina frumentacea in cibum Animalibus proprium.*

kk *Palea pro Bobus, Asinis, Camelis, Cæterisque.*

ll *Vacua recondito ria pro ys quæ necessitas suggerere poterat:*

ZOOTROPHEION

id est

Ichnographia vera et exacta Primæ Contignationis ARCÆ,

sub qua omnium singulorumque Quadrupedum Animalium stabula, mansiones per Geometricam distributionem dispositionemque Lectoris oculis exponuntur.

Longitudo Arcæ 300 Cubitis

Longitudo Arcæ 300 Cubitis

A

M *Porcellus Indicus bini.*

L *Canicula bini.*

K *Lepores bini. Sciuri.*

I *Cercopithecii bini.*

H *Variæ Simiarii species.*

L

G *Variæ Felium species binæ.*

F *Onagri bini. aliquot.*

E *Asini bini. aliquot.*

D *Equi bini.*

I

C *Dromedarii bini.*

B *Cameli bini.*

A *Elephantes bini.*

C

O *Rhinocerotes bini.*

P *Leones bini.*

Q *Ursi bini.*

E

R *Tigres bini.*

S *Panthere, Leopardi bini.*

T *Monocrotta anomala. Asini cornuti.*

V *Lynces binæ. Gulones.*

G

X *Lupi bini.*

Y *Vulpes binæ.*

Z *Apri bini. Porci domestici bini.*

Cisterna.

B

Cisterna N

Caseorum bini. ♂

Lutræ binæ. ♊

Crocodili bini. ♋

Magnopotami bini. ♌

M

Tragelaphi bini. ♍

Bubali septeni. ♎

Alces septeni. ♏

Vri septem fere Dissentes. ♐

K

Capræ septenæ. ♑

Oves septenæ. ♒

Boves septeni. ♓

D

Cervi septeni. ☾

Rangiferi septeni. ☉

Capræ silvestres Orygos Ibices Damæ septenæ. ♀

F

Canes domestici bini. ☿

Canes Tigridum bini Amazones. ♂

Canes Malossi bini. ♃

Canes Mediterranei bini. ♄

Canes Indici bini. ♅

H

Vituli Marini Phocæ bini. ♆

Testudines. ♋

Ericy, Mysorices.

Talpæ, Glires, Mures, Muscipulæ.

Reconditorium

Portus Arcæ

penderit; quem & pro ea à DEO insitâ sibi sapientiâ tanto ordine, & dispositione digessisse verisimile est, ut sine errore, statim obvium foret, quod unicuique animali, sive quadrupedi, sive volatili ad victum congruum, adeóque necesarium erat; uti ex secunda contignationis fabrica, in varios loculos digesta, & omnium rerum tam sibi suisque, quàm animantibus necessariarum rerum copiâ instructissimum *Magazinum* βρωματοδοχεῖον luculenter ostendit.

Sapientia *Noë* in exacta rerum dispositione.

Antequam verò ad distributionem loculorum in secundæ fabricæ contignatione, quæ Penuariis deputabatur, describendam procedamus: Sciendum primò. Sicut ingens fuit animalium multitudo & diversitas, & singula quotidiano victu ad vitam tolerandam indigerent, ita quoque, immensam rerum edulium congeriem à *Noë* fuisse intra *Arcam* introductam, lociisque opportunis ita dispositam, ut nihil esset, quod Divino jussui dissentiret. Primo itaque, quia tot, ac tanta animalia non solo cibo, sed & aquæ potu indigebant, sine quo cuncta perire necesse erat: Aquarum itaque ingens multitudo per unius anni spatium necessaria erat. Vero itaque haud absimile est, *Noëmum* primò, & ante omnia duas cisternas fecisse, quæ concavo sentinæ eâ industriâ inserebantur, ut & ab omnibus sentinæ quisquiliis, sordibusque immunes, aquam & limpidam, & frigidam mundamque silicibus, glareâque in fundo earum positis, conservarent; quarum altitudo quatuor cubitos, latera quadrati sub qua forma constituebantur octo cubitorum essent; præterea *Noë* ingentem doliorum aquis confertorum quantitatem loco opportuno constituit, nè deficientibus cisternarum aquis, id unicum deesset, sine quo nec homines, nec animalia vivere possent. Verisimile quoque est, *Noëmum* suggrundia, quæ aquam pluvialem collectam, per occultos canales suis epistomiis ad claudendum aperiendumque aptis, in dictas cisternas deducerent, *Arcæ* forinsecùs appositis; ex cisternis verò, veluti ex puteis, aquam, vel haustris, vel antliis in usum animalium extractam fuisse, nemini dubium esse debet, qui œconomicum hoc negotium rectè considerârit.

Provisio aquæ potabilis pro uno anno.

Dolia aquis plena.

Tabula *Penuariorum*, sive *Magazini*, in quo commeatus pro omnibus animalibus continebatur.

LATUS I.

A. *Instrumenta fabrilia pro Mundi posteri usu.*
B. *Funes, & necessaria supellex domestica.*
C. *Lignile.*
D. *Condimenta ciborum.*
E. *Omnis generis grana, baccæ, semina, pro volucribus.*
F. Pyra, Poma, *recentia & sicca.*
G. Panis biscoctus, *cum carne fumata pro carnivoris.*
H. *Ovile, ad usum, tum ad cibum carnivororum, tum ad posteri Mundi necessitatibus subveniendum* Lacte Butyro Caseo *instructum.*
I. *Caprile in prædictum finem,* Lactis & Casei *Sufficienti copia.*
K. Triticum.
L. Siligo.
M. Hordeum.
N. Avena.
O. *Dolia plena aquis in usum maximè necessarium.*
P. *Folia arborum sicca pro animalibus non carnivoris, tempore hyberno: vites & germina fructiferarum arborum, in posteri mundi usum plantationis prompta.*
Q. *Fœnile.*
R. *Aliquot* Boves, Equi & Asini, *in usum renascentis Mundi.*

S. *Instrumenta Agricultoria pro futuro Mundo.*
T. *Panni & lintea supellex, pro vestitu.*
V. *Ferramenta & Lana.*
X. *Molæ trusatiles. Pistrinum cum furno.*
Y. Oleum.
Z. Sal, Metalla, & *varia Mineralia, in futurum usum.*
aa. Pisces siccati, & torrefacti, cum sal-samentis pro amphibiis.
bb. Columbaria pro carnivoris, & in usum Mundi posteri.
cc. Gallinarium pro Carnivoris, & in usum Mundi posteri.
dd. Glandes & Nuces.
ee. Castaneæ. Uvæ passæ.
ff. Pisa. Ciceres. Fabæ.
gg. Lentes. Oryza.
hh. Dolia aquis plena.
ii. Stramina frumentacea pro Bobus.
kk. Paleæ pro Bobus, Asinis, Camelis.
ll. Vacua reconditoria, pro iis animalibus, quæ occurrere alicui possunt.

CAPUT X.

Explicatio secundæ Contignationis Arcæ *in qua ciborum necessariorum apparatus continetur.*

Diligentia *Noë* in expediendis rebus.

CErtum & indubitatum esse debet, omni œconomicæ disciplinæ non imperito; *Noëmum* juxta præceptum *Domini* in procurando sufficientissimo pro omnibus tum hominibus, tum animantibus ciborum unicuique propriorum, proportionatorumque commeatu, non tumultuario, uti dici solet, & præcipiti mentis judicio processisse, sed uti erat Divini luminis affluxu perfusus, ita quoque negotium summâ curâ & sollicitudine peregisse, nec non exquisitâ mentis trutinâ omnia & singula ponderâsse; deindè pro varietate cibariorum, esculentorumque copiâ, quæ ad unius integri anni decursum, omnibus sufficerent, loculos, reconditoria ac *Penuaria*, adeò dextrè in hujus secundæ contignationis fabrica constituisse, ut sine ulla confusione in tantarum rerum congerie statim occurreret, quod adeò omnibus necessarium foret; prætereà cum tanto ordine in quotidiano cibo animalibus subministrando, cum per se, tum per filios, filiorumque uxores processisse, ut œconomia hæc, non tam humanâ, quàm divinâ industriâ & directione, adminstrata fuisse videretur. Undè ego sane paulò altiùs stupendum hujus œconomiæ apparatum considerans, totum umbratili quadam delineatione, hìc ob oculos curiosi Lectoris proponendum censui, non quòd eo prorsus modo, & ratione, quâ ego illa in præsentibus Schematismis exhibui, constituta fuerint, sed eâ, quâ summum *Arcæ* œconomum in ea constituenda procedere potuisse existimaverim; tanto enim omnia & singula ingenio constituta fuêre, ut non dicam verbis explicari sed ne mente quidem satis comprehendi possint. Ac proindè in tanto instaurandi Mundi seminario quicquam defectuosum, imperfectum, confusumque fuisse, uti de hujus Divini operis Architecto nefas est, cogitare, ita quoque modus, quo processit, omnem nostram fandi, scribendique facultatem longè excedit. Tametsi verò nemo sit, qui veram interiorem *Arcæ* fabricam à *Noëmo* constitutam viderit, ex Eloquiorum tamen Divinorum oraculis nonnulla nobis lux oboritur, quâ illustrati, hoc vel simili modo, mirificum hoc *Arcæ* τέχνασμα, transactum censemus, non quod reverà uti nos posuimus, talem præcisè fuisse asseramus, sed quod juxta rectæ rationis dictamen, talis & talis esse potuerit & debuerit. Quod ut luculenter pateat,

Sup-

Suppono *primò Noëmum* pro insita sibi à DEO sapientia non tantùm animantibus in *Arca* conclusis de commeatu per annuum spatium sufficienti providisse; sed etiam de iis rebus necessariis, quæ renascentis Mundi seculo, usui esse poterant. Prævideratenim, se agros immensa limi coacervatione oppressos ad culturam, sine instrumentis ad id necessariis reducere minimè posse; undè eum magnam eorundem à nepotibus *Tubalcain* fabris ferrariis, ante *Diluvium* elaboratorum copiam comparasse verisimile est, quæ etiam intra *Arcam* opportuno loco reposuit, ut loculi A. B. docent.

Instrumenta omnis generis agricultoria in renascentis mundi usum.

Secundò. Quoniam verò sine seminibus, granis frumentaceis, omnis generis leguminibus Agrorum cultura otiosa foret; nec Terra statim sponte sua frumenta producere posset, de magna eorundem abundantia, tum in animalium cibum, tum in Agrorum posteri Mundi sementem necessarium providit; quæ receptacula K. L. M. N. & dd. ee. ff. gg. *in Schemate* monstrant.

Provisio seminum frumenti, in futuri mundi usum.

Tertiò. Quoniam vero octo personæ jam laboribus in *Arca* exantlatis fracti, incultam Terram, sine jumentorum ope ad frugem reducere non posse videbat; verisimile est, eum nonnullos *Boves*, *Equos*, aut *Asinos* solùm in hunc finem in *Arca* conservasse, ut agri per aratrum culti, proventum facerent, subitaneæ multiplicationi hominum sustentandæ convenientem.

Provisio jumentorum in posteri Mundi agriculturam.

Quartò. Quoniam rursus universa Telluris facies limo oppressa, omnesque plantæ, frutices, arboresque frugiferæ intra limosam terrestrium quisquiliarum congeriem altùm suppressæ, non statim primo post *Diluvium* anno germinare, fructusque desideratos proferre poterant; Verisimile est, *Noëmum* pro sua providentia nonnulla hujusmodi arborum fructiferarum germina in hunc finem *Arcæ* opportuno loco inseruisse, ut ea finito *Diluvio*, illi statim in plantationem unicè servirent: atque luculenter patet ex vitibus plantatis post *Diluvium*; cum difficile videatur, statim post *Diluvium* eum hujusmodi vitium germina, utpotè luto sepulta reperisse, cùm germinatio arborum, non nisi multis post annis perfectè effloruisse, vero haud absimile sit: undè ea data opera intra *Arcam* conclusa secum detulisse, ex dictis constat; quod & de cæteris hisce similibus intelligi velim, de quibus etsi *Sacer Textus* sileat, ex unico tamen hujusmodi exemplo, quid de reliquis actum sit, cognoscimus. Verùm de hisce quàm fusissimè in *Tertio Libro de Mundi renascenti statu* agetur.

De vitibus in postero mundo plantandis, cæterisque germinibus provisio.

Porrò quemadmodum in humanæ vitæ transactione aquà nil magis necessarium fuit, ita quoque de magno aquarum commeatu per unius anni curriculum sufficienti *Noëmum* providisse, nemo dubitare debet, nisi is forsan, qui hujus elementi necessarium usum non nôrit. Aquæ commeatus.

Primò itaque duas cisternas, uti *suprà* ostendimus, in extremis *Arcæ* angulis posuit, quæ per suggrundiorum canales tempore pluviarum replebantur; verùm cum hæc minimè sufficere posse viderentur; in secunda hac Contignatione, quæ *Magazinum* refert, plurima plena aquis dolia eum imposuisse, à vero haud abludit, ex quibus uti singulis diebus pro quadrupedibus potandis, unum insumi poterat, ita quoque ad numerum 365 facilè, ad tot nimirum, quot dies in anno, pertingebant; Cum verò aqua non solùm in potûs usum distribueretur, sed & in diluendis *Arcæ* sordibus, mundandisque stabulis, & ambulacris, necessariò impenderetur, vix indies unum ex doliis, nisi insigni capacitate præditum, in multiplicem usum, in quem aqua adhibebatur, sufficiens videbatur nisi defectum cisternæ supplerent. Qui verò animalia intra *Arcam* sine potu perstitisse audaciùs asserunt, hos ipsis bestiis adnumerandos

Qui putant bestias in *Diluvio* potu aquæ abstinuisse, Sacris literis contradicunt.

dos censeo, nisi miraculo id accidisse velint, quod tamen supervacaneum censemus, cùm miraculo opus non fuerit, ubi humana industria de sufficienti aquarum copia facilè providere poterat.

De *Gallinis, Columbis* pecoribus pecudibusque provisio.

Quod verò *Gallinis, Columbis*, pecoribus pecudibusque in *Magazino* locum assignaverimus, & quidem præamplum, id non sine ratione præstitimus: cum enim in Zootrophio quadrupedum jam septena & septena ex dictis mundis animalibus; in posteri Mundi semen locaverimus, supervacaneum esse videbatur, in *Magazino* eadem animalia, nova Stabulorum constitutione cohonestare; Veruntamen qui *in precedentibus* expositam *Noëmi* intentionem rectè ponderârit, is haud dubiè, id optimè factum, non inficiabitur. Vir enim sapientissimus cum non tantum de animalibus in *Arca* annuo spatio conservandis, sed etiam de rebus post *Diluvium* ad humanæ vitæ necessarium usum comparandis sollicitus esset, ne consumptis jam omnibus alimentis, præter septena mundorum animalium quorum tria paria in semen speciei propagandæ, septimum in sacrificium DEO offerendum restabat; præter hoc Ovillum, Caprinum, Bovinumque genus præ omnibus aliis maximè necessarium, optimo sane, & prudentissimo consilio conservandum statuit, ne statim post *Diluvium* necessariis destitutus, renascentis Mundi propagatio retardaretur. Hæc enim & carnem, Lac, Caseumque ad cibum; Lanam verò, & Pelles in vestimenta magnis jam laboribus in *Arca* attritis præbebant; eademque de causa jumenta quoque in culturam agrorum unà cum omnibus instrumentis tum fabrilibus, tum agricultoriis ad operandum necessariis, reservanda censuit. Sed hæc mea quidem est sententia de qua unicuique liberum sit judicare.

Oves, Boves, Capræ complures in *Arcam* introduxit *Noë* in necessariam vitæ sustentationem.

Præter ea quæ in speciei propagationem conservabantur in postero mundo.

Cur verò nonnihil ex Gallinaceo columbaceoque genere unà conservandum judicârit, ea de causa factum suspicor, ut illa statim insigni ovorum partim ad accelerandam propagationem, partim in victum, paucis istis novi Mundi colonis cederent. Idem de seminibus magnâ copiâ comparatis intelligendum est, ut videlicet statim post *Diluvium* jactis omnis generis seminibus Agri fœcundati desideratas fruges ad vivendum necessarias producerent. Verum reliqua quæ in *Magazino* continentur, alimenta, si Lector bene cum animalium multitudine cibandorum contulerit, *Noëmi* in providendo de omnibus & singulis sapientiam non poterit non satis admirari, utpote qui DEO inspirante, actionesque ejus suâ perpetuâ assistentiâ dirigente tam provide omnes boni œconomi partes explesset.

Gallinarum provisio.

CAPUT XI.

De Tertia & Suprema Contignatione Arcæ, *quæ octo homines unà cum volucrum speciebus inhabitabant, &* Ὀρνιθοτροφεῖον *dicitur.*

HAbes in hoc Schematismo Caveas omnium volucrum de quibus aliqua notitia haberi potuit, unà cum habitationibus, Cubiculis, Cœnaculo, Culina, Penuario pro *Noëmo*, & Uxore ejus, deinde pro familia trium filiorum *Sem*, *Cham*, *Japhet*, totidemque Uxorum; & optima quidem ratione, octo homines supremæ contignationis in *Arca* locus, unà cum omnibus volucrum generibus decebat. In hac enim jussu DEI fenestra ex materia diaphana, ad illuminandam hanc superiorem *Arcæ* portionem, eum in finem

Feneſtra diaphana lucem præbebat habitaculo *Noë*.

finem poſita erat, ne perpetuis damnati tenebris, & horrore carceris perterriti, fumantiumque lucernarum tetro odore infeſtati paulatim viribus animoque deficerent. Uti enim vel minimus lucis radius in caliginoſis locis commorantes valdè recreat, & mœſtitia oppreſſos ſpiritus mirum in modum excitat atque corroborat; ita quoque valdè conſentaneum erat, *Noëmum* eum in *Arca* habitationis locum ſeligere, ubi lux tum hominibus, tum volucribus, quæ lucem aëriſque lucidiſſimam regionem naturaliter amant, copioſo affluxu ſe diffunderet. Quoniam verò in remotiores *Arcæ* terminos lux per feneſtram immiſſa pertingere non poterat, veriſimile eſt, *Noëmum* Architectum peritiſſimum, tum in utriſque *Arcæ* lateribus juxta longitudinem, tum in extremis lateribus juxta latitudinem complures fiſſuras, quæ & unà loco ſpiraculorum ſervirent, eo ingenio adaptaſſe, ut & lucem nonnullam in omnes *Arcæ* partes, ſine ullo aquarum ſeſe intra *Arcam* inſinuantium metu & formidine immitterent, & unà *Arca* in tanta ſordium colluvie, immenſum fœtorem per fiſſuras, veluti aperta lateris ſpiracula egererent; modò per alterius rimas novi aëris attractione *Arcam* à peſtifera evaporatione liberarent; ſiquidem penitùs ex omni parte *Arcâ* clauſâ, fieri non poterat, ut ſine manifeſto miraculo, ex tot animalium halitibus, excrementorumque denſo vapore, vitam per integrum unius anni curriculum ſuſtinere valerent. Sed jam ſingula paulò fuſiùs exponamus. Habitationem *Noë* in medio *Arcæ* ex ea parte, qua lux per feneſtram immiſſa intenſior erat, diſpoſuimus.

Spiracula in *Arca* facta.

Diſtributio habitationum tum *Noë*, filiorum, uxorumque, tum avium in *Arca* deſtinata.

Cœnaculum, ſive Aulam exprimit litera M. Cubiculum ejus, ubi cum uxore noctu cubabat, ſignatur literâ N. cui ordine ſequebantur tria cubicula portis ſuis inſtructa, & literis O. P. Q. ſignata, in quibus cum uxoribus ſuis, à laboribus feſſi morabantur; *Sem Cham*, & *Japhet*, in quibus & repoſita habebant cariora quæ ante *Diluvium* in *Arcam* ſecum intulerant, unà cum inſtrumentis, quibus in *Arca* adminiſtranda utebantur. Cœnaculum, in quo prandio cœnaque reficiebantur, atque unà relaxationi mentis, mutuis colloquiis indulgebant; Sequitur culina camino haud dubiè inſtructa, per quem fumus egeri poſſet, ne per *Arcam* diffuſus, damnum notabile tum hominibus, tum volucribus inferret. Culinæ jungebatur penuarium cibos continens menſæ Noëmicæ filiorum uxorumque neceſſarios, ne ſemper ex univerſali *Magazino* cibos apportare cogerentur. Ita *Buteo*. Huic Aviarium literâ I. ſignatum jungitur, in quo omnes illæ volucres minoris molis, & voce canorâ præditæ, uti ſunt *Luſciniæ*, *Alaudæ*, *Merulæ*, *Reguli*, *Calandræ*, *Acanthides*, *Fringillæ*, *Cardueles*, ſimileſque, differentibus caveis, tum ad conſervationem ſpeciei, bina, tum ut *Noëmi*, filiorumque curâ, & ſollicitudine, laboribuſque ſuppreſſorum animos nonnihil dulci ſuâ ſymphoniâ recrearent. Credibile quoque eſt, in hiſce octo hominibus conſtitutis cubiculis, *Canibus* & *Felibus* innoxii tamen avibus liberam huc illucque curſitandi poteſtatem, tum ut tempore prandii, & cœnæ de ſuperfluis, quæ projiciebantur, micis, de menſa *Noë* ſaturarentur, tum ut blandimentis ſuis nonnullam recreationem optimo Seni adferrent, conceſſam fuiſſe.

Porrò ex oppoſito culinæ latere in tribus manſiunculis ſignatis literis *g. h. i.* *Aquilæ*, *Vultures*, *Accipitres*, juxta differentes eorum ſpecies, carnivoræ volucres binæ & binæ commorabantur, ad quas per portas *g. h. i.* ad eas paſcendas aditus dabatur; diſcretæ ab invicem erant, ne de carnibus intromiſſis, acre naſceretur inter voraciſſima animalia, prælium & conflictus, cum periculo, ne ſe mutuò conficerent.

Sequuntur modò tres aliæ manſiones *d. e. f.* quarum prior diverſis ſpecie-

bus *Pſittacorum* ; ſecunda *Pavonum* ; Tertia *Gallopavonum* cum *Indicis Gallinis*, deputabatur.

Manſio ſignata literis *a.b.c. c c.* quarum prima *Pelicanis*, *Onocrotalis*, *Plateis*, ſeu *Cochlearibus Anſeribus*: ſecunda *Phaſianis* & *Urogallis* ; Tertia *Pernicibus*, *Perdicibus*, *Attagenibus* juxta differentes earum ſpecies; quarta *Halcyonibus*, quinta *Picarum Picorumque* habitationi parata erant.

Ex oppoſito verò harum manſionum, ingens Aviarium patet ſignatum literâ E. in quo differentibus caveis omnis generis peregrinæ volucres , uti ſunt *Argatilei*, *Veliæ*, *Tyranni*, *Ægypti*, *Cireges* , *Carthiæ* , *Colluriones* , *Batides*, *Ægythali* , *Spizitæ*, *Enipolegi*, *Glottides*, & ſimilia includuntur. Et ſicuti nulla harum ab altera , naturæ quadam diſſimilitudine diſſidet, ita quoque inter ſe ſine pugna amicè degunt. Vicina verò literâ F. ſignata manſio ſervit majoribus avium ſpeciebus, quas *Gryphofalcones* vocant unà cum *Harpyis* non fabuloſis, ſed veris volucribus rapacitate immanibus, de quibus *ſuprà* actum eſt.

Receptaculum literâ G, & H. ſignatum continet varias *Columbarum* , *Turturum*, dein & *Gallinarum*, *Gallorumque* differentes ſpecies, quæ uti munda ſunt animalia, ita quoque ex iis ſeptena & ſeptena ad poſteri Mundi ſemen deſtinantur. Quæ ita intelligi velim, ut ex mundis animalibus , non niſi ſeptem aſſumerentur, id eſt, tria paria, maſculus & fœmina & ultimum ex omnibus ſeptenis reſervaretur ad ſacrificium finito *Diluvio* à *Noë*, DEO offerendum.

Aviarium magnum.

De Aviario magno I. in quo omnes parvæ aviculæ promiſcuè diverſabantur, *ſuprà* dictum fuit, vicinumque habitationi *Noë* conſtituitur , ut quantum nobis imaginari poſſumus, vocibus ſuis, animum *Noë* ingentibus curis diſtentum nonnihil relaxarent.

Poſt habitationes *Noë* filiorumque, ſequitur receptaculum *Corvorum* literâ R. ſignatum , in quo unà *Cornices*, *Monedulæ* ſub variis ſpeciebus bina & bina concluderentur. Sequitur receptaculum, in quo *Paſſeres* domeſtici unà cum ſolitariis , *Galgalis*, *Upupis*, ſimileſque diverſæ ſpecies continebantur

Receptaculum T. *Paros*, *Pariceſque* ſub differentibus ſpeciebus continet. Receptaculum V. *Cuculos*, *Phœnicuros*, *Rubeculas* , *Erucaſque* pariter ſub variis ſpeciebus tenebat. Litera W. ſignat *Hirundinum* manſionem nidis ſuis inſtructam, earundemque varias ſpecies ; hoc uti volucrum genus eſt, caveis includi neſcium, ita quoque veriſimile eſt, iis liberam per longitudinem *Arcæ* volandi , nidoſque fabricandi poteſtatem conceſſam fuiſſe. Manſio X. *Coturnicibus* & *Ortygometris* deputatur. *Manucodialis* verò Manſio ſignata literâ Y. Ultimum Receptaculum literâ Z. notatum, vacuum reliquimus, ut ſi cuipiam aliæ adhuc volucrum ſpecies nobis incognitæ occurrerent , eas intra illud concludere poſſet ; eſt enim capaciſſimum, & locum præſtare poteſt vicenis etiam & amplius diverſarum avium ſpeciebus recipiendis, aptum.

Sed jam ad oppoſiti lateris receptacula progrediamur. Manſio , quæ K. ſignatur , varias *Falconum* ſpecies continet. Altera ſignata literâ L. *Struthiocamelos*, ampliori ob corporis molem, ſtabulo dignos. Tertia ſignata literâ M. *Grues*, *Ciconias* & *Ibides* exhibet. Manſio quæ literâ N. ſignatur, *Anſeres* domeſticos & ſylveſtres; ſignata literâ P. *Anatum* diverſas ſpecies continet. Manſio Q. *Milvos*, *Mergos*, & *Fulicarum* varias aquaticarum volucrum ſpecies exhibet. Litera R. notat caveas *Ficedularum*, & quas *Beccacias* vocant , lautum menſis epulum ; Quæ verò ſignatur literâ S. *Sturnorum* , *Motacillarum* , ſimiliumque volucrum manſionem notat. In ultimo tandem *Arcæ* angulo, diri ominis nocturna animalia, *Bubones* , *Ululæ* & *Otides*, *Nycticoraceſque* ſuam ſortiuntur ſtationem.

Habes

Habes hìc Lector ob oculos propoſita omnium volucrum Receptacula juxta *Arcæ* longitudinem utrimque diſpoſita, adeò ampla, ut non dicam una ſpecies, ſed & decies bina, & ſeptena in unoquoque eorum contineri poſſint; quemadmodum ex dimenſione ſingularum manſionum per ſubjunctam cubitorum ſcalam experiri poterit; ut proinde impius quiſpiam capacitatem hujus Contignationis, tot ac tantis, & propè innumeris avium ſpeciebus recipiendis veluti impoſſibilem, cavillari deſinat. Ego ſanè multùm laboravi, ut omnes volucrum ſpecies ad hanc ſuperiorem *Arcæ* partem ſupplendam ſufficientes reperirem, quæ cum non occurrerent, primigeniis ſpeciebus eas quoque jungendas cenſui, quæ uti ex diverſarum ſpecierum congreſſu naſci poſſent, ita eaſdem *Arcæ* includere non erat neceſſarium; ne tamen magna cavearum pars vacua maneret, & *Arca* repleretur, ſpurias cum legitimis, & eas quoque, quas clima, diverſuſque cœli aſpectus quoad formam exteriorem diverſas reddiderat, unà impoſuimus; ſtabula, ſeu nidi ſinguli tam ampli ſunt, ut vel in unius Aquilini receptaculi pavimento 240. *Aquilæ* conſiſtere poſſint, quod ſic oſtendo: cum longitudo Aquilini ſtabuli in longitudine habeat 20 cubitos, in latitudine 12 quæ in ſe ducta dabunt 240 cubitos quadratos, quorum unuſquiſque cubus unius *Aquilæ* capax eſſe poteſt.

Ambulacrum verò in longitudinem *Arcæ* excurrens, uti & ambulacra quinque in tranſverſum poſita, octo cubitorum latitudinem habent, ad ambulationem tum hominum, tum quarundam volucrum domeſticarum commodiſſima; ex his quoque per portas ad ſingula nidorum receptacula iis, qui volucrum curam habebant, aditus datur, ut ex *Ichnographia* patet.

Quoniam verò difficile erat, ex Bromatodochio inferiori ciborum copiam ſemper ſingulis volucribus aptam aſportare; hinc ad labores moderandos, in ſingulis ambulacris tranſverſis clathra ferrea A. B. C. D. E. aptavimus, per quæ pro volucribus ſufficiens commeatus attrahi poſſet, & unà *Magazinum* undique clauſum, nonnullum lumen, & unà gravem mephitim per ea exſpirare poſſet. In ultimo quoque quinque tranſverſorum ambulacrorum angulo, quæ hoc ſigno * notantur, occultos ſiphones uſque in ipſam ſentinam deduximus, ut per eos, tum hominum, tum animalium fordes & ſtercora exonerarentur, & exoneratione peracta cooperculis ſuis iterum ad fœtorum exſpirationem impediendam, clauderentur. Reſtat modò tectum, quod uti in præcedentibus diximus, non niſi unum cubitum, juxta præceptum *Domini* elevabatur, uti figura hìc adjuncta docet; ubi ex plano *Arcæ* tectum uno cubito, *b. a.* exaltatum vides. In hoc tecto, ſuggrundia haud dubiè diſpoſita erant, per



quæ tempore pluviæ aqua devolveretur in primæ Contignationis ciſternas, per canales epiſtomiis ſuis ad claudendum aperiendumque aptis inſtructos uti S. T. canalis docet. Veriſimile quoque eſt, tectum fiſſuras ſuas habuiſſe, ita diſpoſitas, ut & aquarum penetrationem impedirent, & craſſis, denſiſque aëreis impreſſionibus, in *Arcæ* clauſtro expirandi commoditatem præberent.

TABULA ORNITHOTROPHII

Qua Nidi volucrum, hominumque habitationes ordine deſcribuntur.

Nidi. I. LATUS.

a. *Pelicani*, *Onocrotali*, *Plateæ*.
b. *Phaſiani* & *Urogalli*.
c. *Pernices*, *Perdices*, *Attagenes*.
d. *Halcyones*.
cc. *Picæ*, *Picique*, variæ differentiæ.
dd. *Pſittaci*, differentes ſpecies.
ee. *Pavonum*, differentes ſpecies.
f. *Gallopavones*, cum *Gallinis Indicis*.
g. *Accipitrum*, differentes ſpecies.
h. *Vulturum*, differentes ſpecies.
i. *Aquilarum*, differentes ſpecies.
k. *Falconum*, differentes ſpecies.
l. *Struthiocameli*.
m. *Grues* & *Ciconiæ*.
n. *Ardeæ*, differentes ſpecies.
o. *Anſeres* Domeſtici, & ſylveſtres.
p. *Anatum*, differentes ſpecies.
q. *Milvi*, *Mergi*, *Fulicæ*.
r. *Ficedulæ*, *Beccaciæ*.
ſ. *Sturni*, *Motacillæ* & ſimiles.
t. *Bubones*, *Ululæ*, *Otides*, *Nycticoraces*.

II. LATUS.

ABCDE. Spiracula Ambulacrorum.
E. Aviarium magnum ex peregrinis volucribus.
F. *Gryphofalcones*, & quas *Harpyias* vocant.
G. *Columbæ*, *Palumbi*, differentes ſpecies.
H. *Gallinarum*, *Gallorumque* differentes ſpecies.
I. Aviarium pro parvis & canoris aviculis in recreationem *Noë*.
K. Penuarium *Noë* privatum.
L. Culina pro familia *Noë*.
M. Cœnaculum *Noë*.
N. Cubiculum *Noë*.
O. Cubiculum *Sem*.
P. Cubiculum *Cham*.
Q. Cubiculum *Japhet*.
R. *Corvi*, *Cornices*, *Monedulæ*, *Pici Martii*.
S. *Paſſeres*, & *Solitarius*, *Galguli*, *Upupæ*.
T. *Parorum*, *Paricumque*, differentes ſpecies.
V. *Cuculi*, *Phœnicuri*, *Rubeculæ*, *Erucæ*.
W. *Hirundinum* variæ ſpecies.
X. *Coturnices*.
Y. *Manucodiatæ*.
Z. Locus vacuus pro aliis, ſi fuerint, recipiendis.

Verum ne nihil in hac præmiſſa deſcriptione ad Lectoris curioſitatem omiſiſſe videremur, hic opticam projectionem trium Contignationum unà cum animalibus ad vivum expreſſis, eorumque ſtabulis & nidis, magno labore adumbratam, apponendam duximus.

OPTICA PROJECTIO TRIUM *ARCÆ NOEMICÆ CONTIGNATIONUM*, QUÂ CUNCTARUM ANIMANTIUM SPECIES PROPRIIS FIGURIS EXPRESSÆ NEC NON EARUNDEM STABULA ET MANSIONES EX UTRAQUE *ARCÆ* PARTE ORDINE DISPOSITÆ SPECTANTUR AMBULACRA IN ADMINISTRATIONEM

Animalium signantur litera A. adjungitur hisce Scala Geometrica cujus ope, quisque voluerit partium singularium proportiones elicere queat. Ut ex hujus ARCÆ dispositione, Atheï increduli discant non fuisse adeò incapacem ARCAM, Ut non cunctorum Animalium quas in Orbe Terrarum reperiuntur species commodè continere potuerit, imo complura adhuc superfint Stabula, quæ male de ARCÆ sententium ipsis Bestijs adnumeratarum habitationi reservantur.



ATHANASII KIRCHERI

ARCÆ NOËMICÆ
LIBER SECUNDUS,
CATACLISMUS,
SIVE
DILUVIUM UNIVERSALE.

PRÆFATIO.

ARcâ, *in qua construenda* Noë *centum annorum curriculum insumpserat, jam finitâ, omnibusque numeris absoluta, Stabulis quoque pro animantibus quadrupedibus, Reconditoriis pro cibario, commeatu, Habitaculis pro Se suisque Filiis, Filiorumque Uxoribus, nec non in eadem regione Caveis Nidisque avium, ordine & dispositione mirificâ extructis, nihil aliud restare videbatur, nisi ut congregatis cunctis, quæ sub Cœlo sunt, animantibus, jam sui in* Arcam *ingressûs fieret exordium; quod* Sacer Textus *adeò dilucidè, distinctè & copiosè describit, ut nil ferè, quod ad eam rem, vel dignum cognitu, vel scitu necessarium pertinet, desiderari possit, quod non ab eo expressum indicatumque sit, vel non ex iis, quæ ab eo prodita sunt, facilè conjici, comprehendique possit. Exposuit enim temporis momentum, quo cœptum sit* Diluvium, *quo modo factum, quibus ex causis profectum, quam latè patens, quamque super terram in sublime elatum, quantum damni & exitii importaverit, quanto tempore terram aquis oppressam tenuerit, quandò diminui cœperit, quo primùm in loco, & quanto tempore ab initio* Diluvii Arca *consederit, qua arte, & ingenio* Noë *aquarum decrementum explorârit, quandò denique finitum fuerit, &* Noë *cum suis, atque cum animantibus egressus, & quomodò sacrificio* Deo *ex cunctis mundis animantibus oblato, lætissimus à* Deo *promissis recreatus sit, & confirmatus. De quibus omnibus & singulis in hoc* Secundo Libro, Deo *adspirante acturi sumus.*

Quam pulchrè *Moses*, quam minutim res ad *Arcam* & *Diluvium* pertinentes descripserit.

Sic enim habet 7. caput Geneſis.

Anno ſexcenteſimo vitæ *Noë*, menſe ſecundo, ſeptimo die menſis, rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ, & catarractæ cœli apertæ ſunt; & facta eſt pluvia ſuper terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. In articulo diei illius ingreſſus eſt *Noë*, & *Sem*, & *Cham*, & *Japhet* filii ejus, & uxor ejus, & uxores filiorum ejus cum eis in *Arcam*, ipſi & omne animal ſecundum genus ſuum, univerſaque jumenta in genere ſuo, & omne quod movetur ſuper terram in genere ſuo, & cunctum volatile ſecundum genus ſuum; univerſæ aves, cunctæque volucres ingreſſæ ſunt ad *Noë* in *Arcam*, bina & bina ex omni carne, in qua erat ſpiritus vitę, ea quæ ingreſſa ſunt, maſculus & fœmina ex omni carne introïerunt, ſicut præceperat illi *Deus*, & incluſit eam *Dominus* deforis; factumque eſt *Diluvium* quadraginta diebus ſuper terram, & multiplicatæ ſunt aquę, & elevaverunt *Arcam* in ſublime ſuper terram, vehementer enim inundaverunt, & omnia repleverunt in ſuperficie terrę, porrò *Arca* ferebatur ſuper aquas; & aquæ prævaluerunt nimis ſupra terram, opertique ſunt omnes montes excelſi ſub univerſo cœlo. Quindecim cubitis altior fuit aqua ſuper omnes montes quos operuerat; conſumptaque eſt omnis caro, quæ movebatur ſuper terram, volucrum, animantium, beſtiarum, omniumque reptilium, quæ reptant ſuper terram, univerſi homines, & cuncta, in quibus ſpiraculum vitæ eſt in terra, mortua ſunt; manſit autem ſolus *Noë*, & qui cum eo erant in *Arca*, obtinueruntque aquæ terram centum quinquaginta diebus.

PARS I.

De ingreſſu Animalium in *Arcam* è ſuperveniente *Diluvio.*

CAPUT I.

Quid Noê *cum ſua familia ante ingreſſum in* Arcam *egerit.*

CErtum eſt & indubitatum, *Noëmum* non unâ aut alterâ die ante *Diluvii* initium, *Arcam* ingreſſum eſſe, ſed ſeptem omninò diebus ante *Diluvium* ſeſe ad ingreſſum præparaſſe; idque Sacer Textus apertis verbis teſtatur c. 7. v. 4. *Adhuc autem & poſt ſeptem dies ego pluam ſuper terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & delebo omnem ſubſtantiam, quam feci, de ſuperficie terræ.* Ubi *Dominus Noë* ſeptem dierum tempus conceſſiſſe videtur, ut in eo de omnibus ritè diſponeret, ſeque ad ingreſſum *Arcæ*, meliori, quo poterat, modo præpararet. *Cumque tranſiſſent ſeptem dies*, uti habetur 10. verſ. *aquæ* Diluvii *inundaverunt ſuper terram.*

Quid *Noë* ſeptem iſtis diebus ante *Diluvium* egerit.

Quæri itaque hoc loco poſſet, quid hoc ſeptendio *Noë* egerit. Dico, veriſimile eſſe, toto hoc tempore pontem illum, per quem animalia *Arcam* ingredi poſſent, prorſùs neceſſarium accommodâſſe, deindè in commeatu intra *Arcam* tranſportando occupatum fuiſſe. Nam ut humano more loquamur, à veritate non abludit, *Noëmum* filiis ſuis, uxoribuſque primò plenam de omnibus ſtabulis quadrupedum, volatiliumque nidis, uti & repoſitoriis magni penuarii per tabulas, quibus nomina animalium cibariorumque continebantur, portis ſingulis affixas, inſtructionem, modumque ad cuncta rectè adminiſtranda, præſcripſiſſe; & ne animalia ſtatim ad primum ingreſſum *Arcæ* attonita neceſſario pabulo deſtituerentur: credibile eſt, eum præſepia, loculoſque cibarios ad nonnullam recreationem largiori pabulo unicuique animali proprio adornâſſe, aquæ potu crateres hydroticos inſtruxiſſe, eâ denique induſtriâ omnia peregiſſe, ut poſt clauſam portam, dum exitus non daretur, omnia ſine defectu juxta *Domini* præceptum voluntatemque, tum pro octo hominibus, tum pro animalibus, providè conſtituta, ſummo ordine, omni confuſione proſcriptâ reperirentur.

Noë ſuos de totius *Arcæ* cura diligenter inſtruebat.

Animalia ad primum ingreſſum *Arcæ* liberaliter à *Noë* tractantur.

Credi quoque non ſine ratione poteſt, *Noëmum* primò tribus filiis ſuis totius *Arcæ* œconomiam commiſiſſe, ſingulis ſuam in *Arca* regionem, quam adminiſtrare debebant partitis juribus diſtribuiſſe; uxoribus rem ſuam ſtrenuè quoque agentibus; & nè unus nimiis laboribus in animalium quadrupedum & penuarii adminiſtratione ſuccumberet, omnes unitis viribus ad labores moderandos concurriſſe: cura adminiſtrandi Ornithotrophii, ſive in ſuprema contignatione de Avibus paſcendis fœminis relictâ. Ridiculum eſt, quod de hoc ſeptendio fabulantur *Rabbini*, ſeptem hoſce dies à *Noëmo* in luctu propter mortem avi ſui *Mathuſalæ* conſummatos fuiſſe, quem quidem etſi conſtet, ipſo *Diluvii* anno exceſſiſſe, an is tamen ſeptem tantùm diebus, an multò pluribus diebus, aut menſibus ante *Diluvium* defunctus fuerit, incertum eſt. Accedit, *Noëmum* in tam ardui, & formidabilis negotii à DEO ſibi commiſſi executione alias cogitationum moleſtias, quibus ob æſtuantis animi anguſtias

Arcæ adminiſtratio.

Rabbinorum fabula.

Cur dies 7. concesserit ante *Diluvium Noëmo* DEUS.

stias tantùm non opprimebatur, quàm de obitu avi sui habuisse. Ego sanè hæc *Sacri Textus* verba, quod nec plures, nec pauciores quàm septem interpositi fuerint dies, tot videlicet, quot in constitutione Mundi fuerunt, uti minimè otiosa esse censeo, ita quoque ea mysterio non carere existimo. Sed explicemus illud. Sex enim diebus factus est Mundus, septima autem die DEUS requievit ab operibus suis; quo sanè haud incongruè innuit, se & Mundi esse Authorem, & *Diluvii*; illum ob ineffabilem bonitatem condidit, hoc effecit nostrorum merito delictorum; ut Mortales vel ex numero dierum, quibus Mundus conditus fuit, immensam DEI bonitatem, liberalitatem & beneficentiam erga genus humanum, quem continuo religionis cultu revereri, & adorare debebant, ab illo degeneres neglectoque Divini Numinis cultu, vitam horrenda omnium scelerum immanitate cum irremediabili DEI offensa contaminarunt. Et quia DEI est proprium, misereri semper & parcere, ideò hoc ante *Diluvium* septendium ipsis ad pœnitendum concessisse videtur, ut imminentis *Diluvii* formidine perculsos ad veniam postulandam cogeret; atque sic impietatis & injustitiæ operibus renunciantes, hoc pacto misericordiam DEI consequerentur.

Confluxus hominum ad *Arcam* jam absolutam spectandum.

Neque enim ullum dubium est, quin ultimis anni diebus *Arcâ* jam extructa, ad tam admirandam, vastamque molem, & nunquam visam, auditamque fabricam huic similem contemplandam, ingens hominum confluxus factus fuerit; atque adeò dum luculenter viderent, otiosum non esse, quod à centum annorum spatio, tanto cum ordine, & singularum partium symmetria à *Noëmo* constructum fuerat, hujus sanè stupendæ machinæ finem à *Noëmo* explorare contenderint. *Noëmum* verò fidelem DEI servum, ne quicquam Divinæ voluntatis executioni proficuum consentaneumque omisisse videretur: hoc vel simili verborum tenore eos allocutus videtur.

Exhortatio *Noë* ad turbam *Arcæ* spectandæ gratia concurrentem.

O Infelices Mortales, ad vos hodierna die diriguntur verba oris mei. Videtis Arcam *hanc, centum annorum fabricam, jam tandem consummatam; intueamini & obstupescite opus dextræ Excelsi, cujus finem tam anxiè à me quæritis. Hoc est vas illud magnum, quod benignus & misericors* DEUS *ad semen Mundi in ea conservandum à me extrui jussit; universam verò reliqui Mundi faciem unà cum hominibus & animantibus, quæ extra eam existunt, ob immanem scelerum atrocitatem, quâ vitam vestram cum irreconciliabili* DEI *offensâ contaminâstis, universali* Diluvio *perdere, & exterminare constituit; & ne de immensa ejus bonitate & misericordia conqueri possetis, centum annorum spatium vobis ad pœnitendum concessit, quin & ultimò hosce septem dies, centum annis adjecit, si quis fortassis foret, qui pœnitentiâ ductus, nova bonorum operum exhibitione ad* DEUM Opt. Max. *conversus, concepto contra humanum genus Divinæ indignationis furori, frenum injiceret, & hoc pacto à conclamata* Diluvii *mox venturi calamitate, & horrenda morte liberaret. Sed video corda vestra ad pœnitendum saxis ipsis duriora; neminem vestrûm intueor, qui sublatis in cœlum oculis, imminentem mox Divini Numinis vindictam conetur avertere interno animi dolore compunctus. Erit, erit inquam tempus, tempus jam paucorum dierum proximum, quo ab hac* Arca *excluſi, iram Divinam fugietis, nec ullus vobis dabitur, horrendâ miseriarum abyssо absorptis, fugiendi locus. Tunc memores meorum verborum, vos ipsos ob commissum incredulitatis errorem, contra vos insurgetis, & impœnitens cor vestrum accusabitis, sed fruſtrà: Justo* DEI *judicio, formidabilis* Diluvii *turbinibus involuti, debitas peccatis vestris pœnas, cum universi humani generis interitu æternum luetis. O Miserabilem, & Infelicem hominum sortem. Ite, ite tandem brevi duram* DEI *manum supra vos experturi.*

CA-

CAPUT II.

De Animalium ex toto Orbe paucis ante diebus congregatorum modo & ratione.

Noë non congregavit animalia, sed constituto tempore ipsa nutu DEI, angelorum ministerio venerunt ad *Arcam*.

VEritati omninò consentaneum esse, is solus, qui verba *Sacri Textus* penitiùs inspexerit, comperiet; *Noëmum*, quemadmodum *Philo* perperàm sentit, eorum animalium, quæ *Arcam* ingredi debebant, congregatorem minimè fuisse; quomodò enim fieri posset, unicum hominem, qui nativitatis suæ *terram Edeniam* nunquam egressus fuerat, per totum Orbem congregandorum animalium causâ divagatum fuisse, Insulas, continentesque diversissimas, animalium speciebus confertas, tam exiguo temporis spatio, *Arcâ* suâ, quam ingenti centum annorum decursu jam construxerat, in manibus inimicorum relictâ, orbem peragrare, lustrare, tantamque peregrinorum animalium multitudinem congregare, & tam ex longinquis Regionibus, cum omnium, per quos transire debebat, stupore populorum rei novitate perculsorum, nec non sine maximo hominum istius ævi ferocissimorum; qui *Noë* jam dudum ad mortem *Philone*, *Oleastro* & *Mose Bartepha* testibus quæsiverant, persecutionis vitæque periculo, adducere potuisse; aut quomodo, aut qua ratione, tam differentis naturæ volucres cœli, ad se ex aëre vocare, & unà secum in itinerum socias adsciscere potuerit, nemo est, qui capere possit; undè hanc sententiam, opinionemque tum *Philonis*, tum nonnullorum quoque *Recentiorum Interpretum*, tanquam absonam, imò *Sacri Textus* verbis repugnantem rejicimus reprobamusque. Quemadmodum enim dicta Animalium congregatio omnem excedit humanæ potestatis laborem, curam & industriam; ita quoque hujusmodi animalium congregationem, non nisi Divino nutu, Angelorumque ministerio contigisse, expresse *Sacra Verba* innuunt; sic enim Hebræa Lectio habet:

Ex *Sacris Literis* probatur animalia non operatione *Noë* sed DEI nutu ad *Arcam* venisse.

מהעוף למינהו שנים ומן הבהמה למינה מכל רמש האדמה למינהו שנים מכל יבאו אליך להחיות׃ *Genes. 6. vers. 20.*

Ex volucri secundum genus suum bina, & ex bestiis secundum genus suum, ex omni reptili terræ juxta genus suum bina ex omnibus, יבאו אליך *venient ad te, ut vivant.* Cui consentit Græca Lectio 70. εἰσελεύσονται πρὸς σὲ πρέφειν μετὰ σοῦ. *Ingredientur ad te, ut nutriantur tecum.* Et Arabica id expresse per vocem يدخلون اليك *ingredientur ad te.* Et Syriaca per verba ܢܥܠܘܢ ܠܘܬܟ *intrabunt, ascendent ad te.* Unde quoque tanquam falsam eorum sententiam reprobamus, qui putant animalia natando ad *Arcam* venisse; quo quid stultius dici possit, non video. Quomodò enim animalia, sive vastioris, sive minoris corporis natando in horrendis illis *Diluvii* procellis durare, aut *Arcæ* portam jam altius ab aquis elevatam, sine ponte intrare potuerint, quis credet? aut quomodò Aves cadentium imbrium nimborumque violentiam volando sustinere valuerint, quis concipere poterit? Undè insanæ mentis dicam non effugerit, qui talia & tam absona proferre non verecundabitur. Quis nescit, *Mosen* expresse dicere, priùs cuncta animantia in *Arcam* ingressa fuisse, quàm *Diluvium* inchoaverit, quin imo ante aquarum inundationem, & post ingressum animalium in *Arcam*, dicitur expresse, tunc DEUM foris ostium clausisse; natando verò pleraque animalium species procellarum

Absurda opinio, vel ingruente jam *Diluvio* animalia natando intra *Arcam* pervenisse docet.

moleſtiâ vel oppreſſas, aut aquarum impetu retardatas, poſt clauſum jam oſtium, non niſi longo tempore, & ſumma cum difficultate ad *Arcam* perveniſſe. Repudiatâ itaque hac ſententiâ, nos verius aſſerimus, non humano conſilio, induſtriâ & curâ, ſed nutu DEI totam hanc animalium congregationem contigiſſe; non enim *Noë* aut capta, aut hinc indè collecta intromittebat, ſed ſuapte ſponte venientia & intrantia admittebat, juxta Textum ſuprà allegatum: *Venient, & intrabunt ad te*, non ſcilicet hominis actu, ſed DEI nutu. Cajetanus, hæc verba: *Venient ad te*, ponderans: *Clarè* inquit, DEUS *abſolvit* Noëmum *à cura congregandi animalia. Divino ſiquidem nutu, miniſterio Angelorum venerunt ex omnibus animalibus, mas & fœmina ad* Noë, *ipſius autem* Noë *cura, & opera fuit, efficere, ut quæ venerant animantia, ingrederentur in* Arcam, *& invenirent nidos, ſive manſiones in ea, & ibidem paſcerentur ab ipſo.* Quemadmodum enim DEUS *Adamo* in Paradiſo deliciarum omnia animalia, adiis genuina nomina imponendum, adduxit; ita quoque ad ſecundum humani generis inſtauratorem, *Noëmum*, cuncta animalia, ad ſeminium univerſæ naturæ in *Arca* conſervandum, adduxit; eo quo imaginari nobis poſſumus modo, & ratione, biduo, aut triduo ante *Diluvii* principium. Nam *Noë* cum extra *Arcam* curis, & laboribus feſſus, ſaxo inſidens, rerum gerendarum magnitudinem intimo cordis affectu expenderet, atque Divinæ voluntatis executionem anxio animo exſpectaret; Eccè derepentè ex quadripartiti Mundi plagis undique, & undique omnis generis animalium, *Arcæ* appropinquantium, veluti exercitum quendam vidit, quæ pulchro ordine, abſque ulla confuſione, nunc bina, nunc ſeptena, ſeſe veluti à DEO miſſa *Noëmo* eorundem conſervatori exhibuêre, & paulò poſt, univerſam cœli faciem innumerabili pænè volatilium multitudine oppleri, intuitus eſt, quæ pari ordine ſine ulla confuſione, ſimul vel bina, vel ſeptena *Arcæ* tecto, veluti *Noëmi* directionem exſpectatura, inſedêre.

Mira animalium congregatio.

Interea in hac novorum ſemper, novorumque animalium coacervatione, alia *Noëmo* veluti obſequium præſtitura, caudarum agitatione abblandiebantur, alia manus pedeſque dulciter lambebant, alia pedibus ejus ſe proſternendo, cuncta prout poterant, quà geſtibus, quà vocibus, amiciſque membrorum motibus ſe *Noë* veluti unici ſervatoris directioni, & obedientiæ ſubmittere videbantur. Rurſus paulò poſt hinc ex vicinis fluminibus, & lacubus, immania Amphibiorum monſtra, illinc ex montium cavernis, varia reptilium, ſerpentiumque genera horrenda viſu erumpentia, *Arcæ* appropinquare viſa ſunt. Quorum ingenti multitudine, & copiâ attonitus perterrituſque *Noë*, genubus innixus, oculiſque in cœlum erectis, expanſiſque ad cœleſte Numen brachiis, DEUM *Optimum Maximum*, hoc vel ſimili verborum tenore affabatur: *O ſumme Conditor omnium rerum, cujus natura bonitas, cujus voluntas poſſe, & perficere eſt; en adduxiſti ad me, pro ineffabili providentiæ tuæ diſpoſitione, hanc animalium, quorum non eſt numerus, multitudinem; Et quis ego vilis terræ vermiculus, cui univerſam hanc Naturæ viventis ſubſtantiam in hac* Arca *tuo nutu conſtitutam, conſervandam committere dignatus es? Et quis ego ſum homo peccator, atque indignus tuæ Majeſtatis conſpectui, ut me totius Naturæ cuſtodem conſtitueres? Et quiſnam adeò grandi ingenii ſublimitate præditus eſſe poterit, qui hoc totius Naturæ ſeminium renaſcentis Mundi propagini deſtinatum ſine te, regere & gubernare queat? Cuinam innumerabilium animantium, tot tantiſque naturæ dotibus, proprietatibus, temperamentiſque differentium multitudinem congruis ciborum alimentis unius anni ſpatio conſervandi*

Animalia *Noëmo* abblandiuntur.

Apoſtrophe *Noëmi* ad DEUM.

Ingressus Animãtium
intra ARCAM



ſervandi, animus ſufficiat? Tu igitur humanarum rerum Arbiter, qui uti ſolo voluntatis tuæ nutu, univerſam Mundi machinam cum omnibus in ea contentis, ex nihilo in Eſſe ſuum eduxiſti, ita quoque exiſtente jam Diluvio, *quo Mundum ob nefandam hominum impietatem perdere conſtituiſti, ſolo nutu tuo, & me, & meam familiam, unà cum univerſa hac totius naturæ viventis ſubſtantia à* Diluvii *pœnis conſervare poteras. Quid ergò opus erat, in hac* Arca, *quam ego indignus ſervus tuus, te dictante, extruxi, humano more univerſum Naturæ viventis ſemen te conſervare in* Arca *voluiſſe, quid inquam opus erat? Quia tamen Tuæ infinitæ bonitati, & miſericordiæ viſum fuit, per me humilem ſervum tuum, hoc ineffabile Divinæ juſtitiæ tuæ ſacramentum exequi; en ego ante tremendæ Majeſtatis tuæ ſolium proſtratus, te humili & ſupplici corde, eo, quo Creatura Conditori ſuo debet, affectu, animique reverentiâ ſuppliciter rogo, obſecro, atque obteſtor, ut quemadmodum Divinæ voluntatis tuæ beneplacito viſum eſt, hujus me infandi operis executorem conſtituere & gratia tua permovere, ita quoque pauperi & humili ſervo tuo, tum directione tua continuò aſſiſtere, ac in negotio, quo nulli unquam hominum majoris momenti commiſiſti, utpote à quo totius humani generis ſalus dependet, humilitatis meæ imbecillitatem tuâ virtute, & opitulatione fulcire, & ſuſtentare non dedigneris; ut tandem hoc Divinæ potentiæ opus, quod perdito per* Diluvium *Mundo, hoc præſens viventis naturæ ſeminium, in renaſcentis Mundi inſtaurationem deſtinaſti ad Divini Numinis tui gloriam, unicè cedat. En promptum me habes cum familia mea ad tuæ voluntatis beneplacitum, non eo, quo vellem, ſed quo imbecillitas mea poteſt, modo, humili mentis obſequio exequendum. Da igitur ſervo tuo humillimo, quod jubes, & jube, quod vis.*

Noë apoſtrophe ad ſuos.

Hiſce à *Noëmo* ad DEUM magnâ cordis profuſione prolatis, illicò ſurrexit, & accitis filiis cum uxoribus, eos ad forti animo Divinæ voluntatis beneplacitum exequendum, admonuit, Gratiæ Divinæ, operiſque proſequendi magnitudinem expoſuit, & ne malorum calamitatumque formidandis turbinibus, quibus paulò poſt Mundus involvendus eſſet, terrerentur, eo, quo potuit verborum vigore mœrentium animos erexit; neque viribus humanis in hujus *Arcæ* adminiſtratione innite-rentur, ſed in Divinæ aſſiſtentiæ directione omnem ſpem fiduciamque ſuam repoſitam haberent; in tribulationibus conſtitutis non defuturum benigniſſimi DEI auxilium, ut negotium, quod ejus juſſu cœptum erat, ejus quoque ope deſideratum exitum ſortiretur.

Modus quo Familia diſpartitis officiis, animalia intra *Arcam* ducebat.

His itaque præmiſſis, ipſe cum uxore ſua extemplo pontem, per quem in *Arcam* aditus dabatur, conſcendit, & in medio oſtii conſiſtens, animantium primò quadrupedum progreſſionem orditus eſt, at ne confuſio inter tot animalia naſceretur, duos filios ſuos ad initium pontis unà cum uxoribus conſtituit, qui juxta ordinem præſcriptum ſingula bina, aut ſeptena ad ſubeundum pontem ſollicitarent. Intra *Arcam* verò majorem natu filium conſtituit, qui ſingula bina, aut ſeptena ex animalibus ex inſtructione patris, in conſtituta cubilia ſingulis propria, & primò quidem majora, & ferociora animalia, deindè alia quoque manſuetioris naturæ, introducerent; quæ deindè ſuapte ſponte ſequebantur reptilia, inter ſuppedanea ſtabulorum, locum ſuum deſtinatum repertura. Reſtabat avium, quæ in tecto *Arcæ* reſidebant, *Noëmi* voluntatem expectantium genus multiplex. Hæ enim uti per oſtium *Arcæ* in ſtationem quadrupedibus deſtinatam, ſine periculo ingredi non poterant; ita *Noëmus* feneſtram, quam in ſuprema contignatione ſibi, & volatilibus conſtituerat, mox aperuit, & dato ſigno,

dere preſſos, miſerabiliter ſine ulla ſpe ſalutis ſubmergi. Accedebat fluctuantium undarum impetus, & violentia, quâ natantes, dum emergere conabantur, veluti horrendis aquarum gurgitibus, turbinibuſque involuti, horrido cum ejulatu peribant. Non audiebatur hîc aliud, niſi luctuoſus, & horrificus pereuntium clamor, lamentatio deſperantium, & Væ æternum eructantium, dum memores verborum *Noë*, quèis eos toties ad pœnitentiam adhortatus fuerat; memores *Arcæ*, quam exſtruxerat, quod tam luctuoſæ tragœdiæ veluti ectypon quoddam erat, & cui fidem habere noluerant, jam incredulitatis ſuæ pœnas terrifico mortis genere ſe luere cernebant. In univerſa aquarum inundantium ſuperficie, non aliud videre erat, quàm confecta hominum, animaliumque cadavera; camporum ſylvarumque arbores, aquarum vehementia eradicatas, hinc indè fluctuantes, in quorum ramis naufragi effugium quærentes, ſe nonnihil tuebantur, attamen mœrore viribuſque exhauſti, ſine ulla ſpe ſalutis ibidem fame ærumniſque confecti, miſerè interibant; Omne quoque volucrum genus cùm non reperirent, ubi requieſceret pes eorum, quædam aquarum turbinibus intra aquas præcipitatæ, nonnullæ in arborum fluctuantium ramis, cadaverumque congerie dum requiem quærerent, ibidem vel reciprocantium fluctuum violentia, vel pluviarum ventorumque impetu vel oppreſſæ, vel fame enectæ vitam miſerè conſumebant. O horrenda Divinæ juſtitiæ ſpectacula! Advertant hìc omnes mundanarum deliciarum amatores, quid in ſimili caſu conſtitutos ſe egiſſe vellent: quàm ardenter deſpecta Mundi vanitate, repudiatis honoribus, divitiis, & dignitatibus ſoli DEO unicè ſervisſe, quanto cum dolore à peccatis abſtinuiſſe! Certè majora ſuperſunt nobis in conſummatione Mundi, calamitatis ſpectacula, majores Cataſtrophæ, quandò cœli movendi ſunt & terra, quandò *Chriſtus* veniet judicare ſeculum per ignem. Operemur itaque bonum, cum tempus habemus, faciamus id, quod tunc nos feciſse vellemus.

Ejulatus & Væ deſperantium.

Cadaverum congeries.

Volucrum luctuoſus interitus.

Adhortatio Authoris ad amatores rerum mundanarum.

Hujus *Diluvii* calamitati optimè congruunt, quæ Ovidius de *Diluvio Deucalionio* cecinit.

Pœna placet diverſa, genus mortale ſub undis
Perdere, & ex omni nimbos demittere cœlo.
Fit fragor, & denſi funduntur ab æthere nimbi.
Nuncia Junonis *varios induta colores*
Concipit Iris *aquas, alimentaque nubibus affert.*
Sternuntur ſegetes, & deplorata colonis
Vota jacent, longique perit labor irritus anni.
Nec cœlo contenta ſuo eſt Jovis *ira, ſed illum*
Cæruleus frater juvat auxiliantibus undis,
Convocat hic amnes, qui poſtquam tecta Tyranni
Intravère ſui, non eſt hortamine longo.
Nunc, ait, utendum, vires effundite veſtras,
Sic opus eſt: aperite domus, & mole remota
Fluminibus veſtris totas immittite habenas.
Juſſerat: hi redeunt ac fontibus ora relaxant,
Et de frenato volvuntur in æquora curſu.
Ipſe tridente ſuo Terram percuſſit, at illa
Intremuit, motuque vias patefecit aquarum.
Exſpatiata ruunt per apertos flumina campos
Cumque ſatis arbuſta ſimul pecudeſque viroſque
Tectaque cumque ſuis rapiunt penetralia ſacris
Siqua Domus manſit, potuitque reſiſtere tanto
Indejecta malo, culmen tamen altior hujus
Unda tegit, preſſæque latent ſub gurgite turres.
Jamque mare, & Tellus nullum diſcrimen habebant.
Omnia pontus erat, deerant quoque littora ponto.

Sed jam ſtatum interioris *Arcæ* exponamus.

Calamitatem extrinſecam vel ipſa animalia *Arcæ* incluſa ſentiebant.

Sentiebant & hanc inexplicabilem Naturæ luctam vel ipſa animalia, unà cum rationali creatura in *Arca* concluſa; ſiquidem ex horrendis ventorum mugitibus, fragoribuſque tonitruorum, fulgurumque, quæ in omnia *Arcæ* ſpiracula penetrabant irradiatione, timor & tremor cecidit ſuper ea, deindè aquarum catarractæ, veluti flumina quædam ex ſublimi in *Arcæ* tectum præcipitata, præter horrendos, inauditoſque fragores & ſtrepitus, aëriſque irati ululatus, ſævientium ventorum flatibus, continuaque fluctuum inſultantium agitatione, *Arca* nunc in hanc, nunc in illam partem impulſa, animantia quietis neſcia unà ſecum miro commotionis impetu exagitabat; undè ex inſolito rerum eventu, trepidatione, metuque conſternata in ſumma & denſa caligine horrendis vociferationibus veluti ſummerſi Orbis ruinam

Vociferantium animalium ſtrepitus & tumultus.

conteſtabantur; hinc rugiebant *Leones*, illinc *Elephantes* barriebant, mugiebant *Boves*, *Canes* latrabant, balabant *Oves*, *Lupi* ululabant, grunniebant *Sues*; cætera omnia animalia ad luctuoſas hujuſmodi vociferationes, & clamores excitabant; undè totius *Arcæ* œconomia in confuſionem ducta, veluti infelicem mox perituri Mundi ſtatum lugere videbantur: clangebant *Aquilæ*, *Corvi* crocitabant; *Bubones*, & *Noctuæ* luctuoſo carmine ululantes ſui generis caſum lugebant: cunctæ volucres canoræ, omiſſo dulcis modulationis exercitio, non niſi gemebundo pipitu Orbis cladem deplorare videbantur. *Sem*, *Cham*, & *Japhet*, hoc terribili patientis Naturæ cataſtropha, horribili timore perculſi, jam *Arcæ* diſſolutionem metuebant; uxores verò evulſis capillis, ſciſſis veſtimentis, omnis conſolationis incapaces, modò ex præſenti deteriorique *Arcæ* conſtitutione, exteriorem Mundi faciem metiebantur; ſiquidem

Deſolatio ſumma familiæ *Noë*.

parentum, fratrum, ſororum, cæterorumque cognatorum extra *Arcam* memores, infelicem eorundem ſortem, & inevitabilem ruinam deplorare non ceſſabant; quin vel *Noëmus* ipſe, à DEO conſtitutus *Arcæ* cuſtos & conſervator, hac Mundi cataſtrophe perculſus, conſtanti tamen in DEUM fiduciâ fretus, ardentiſſimis precibus hoc pacto Numen ſollicitabat.

Noêmi apoſtrophe ad DEUM.

O ſupreme Mundi Conditor, & Moderator, en ego indignus tuus famulus ante Divinæ juſtitiæ tuæ Tribunal proſtratus, totus timore & tremore concuſſus ad te, benigniſſime DEUS, *in hujus* Arcæ, *cujus curatorem & miniſtrum me figmentum tuum conſtituere non dedignatus es, extrema neceſſitate confugio, ut exaudias vocem ſervi tui: circumdederunt enim me gemitus mortis, dolores inferni invenerunt me. Equidem novi te juſtiſſimum eſſe vindicem ſcelerum contra infinitam bonitatem tuam commiſſorum multitudinem & copiam; Expaveſco inſcrutabilem judiciorum tuorum abyſſum, quâ Mundum ob Divinæ Legis tuæ mentibus noſtris inſculptæ contemptum, & enormium delictorum acerbitatem, Orbem Terræ, & unà omnem animam viventem in eo delere & exterminare voluiſti. Sed ô tremenda Majeſtas, quid ſibi vult juſtus ille furor tuus? quo non Mundum duntaxat, & omnem animam delere, & diſperdere à facie tua conſtituis? ſed & hanc* Arcam, *cujus curam pauperi & humili ſervo tuo commiſiſti, tanto tremore concutis, ut vel ipſa bruta animantia tot prodigiorum oſtentis perculſa præſentem eorum ruinam, ultimamque diſſolutionem; horrificâ hac vociferationum confuſione, & tumultu metuere videantur. Vide quæſo afflictionem populi tui; Reſpice nos octo animas, quas pro immenſa tua providentia, ab Orbis ruina, in renaſcentis Mundi ſemen conſervare voluiſti, compatere infirmitatibus noſtris, nobiſque in ingenti hac tribulationis neceſſitate, ad te clamantibus aures præbe; Exaudi miſeros tuos in tua bonitate & clementia confidentes, ut excluſo omni metu, proſcriptâ omni diffidentiâ, opus, quod impoſuiſti nobis, tuo adjutorio,*

&



Miserabilis Hominum Status
In principio DILUVII



& gratiâ prosequi sine periculo possimus; Concede animantibus tranquillitatem, & quietem, debitam tibi mihique obedientiam, & subjectionem iis impera, spe & fiduciâ corda servorum tuorum corrobora, ut in sola bonitate tua inexhausta innixi, hunc lamentabilem Orbis perituri statum, tuæ præsentiâ gratiæ sine periculo eluctari valeamus.

Apostrophe Noë ad familiam suam.

Agedum filii mei, confidite in Domino, *viriliter agite, & confortetur cor vestrum, ne timeatis à tanta rerum confusione, aderit nobis ipse, qui uti nos ad nostrum meritum in hac tenebrosa domo, in renascentis Mundi instaurationem inclusit, ita quoque potenti dextrâ suâ nobis adstiturus, servorum suorum in necessitate constitutorum vota & preces audire non desistet.*

Hisce prolatis, & filii, uxoresque filiorum mirum in modum confortati, atque firmâ in DEUM conceptâ fiduciâ, animalibus quoque omni mox deposito furore in tranquilliorem statum reductis, solerti & diligenti curâ, *Arcæ* administrationem orditi sunt.

CAPUT IV.

Quid sibi velint verba Sacri Textus : Fontes Abyssi magnæ & Catarractæ Cœli.

Genes. 7. vers. 11. נבקעו כל מעינת תהום רבה׃

Rupti sunt omnes fontes Abyssi magnæ. Græca sic : ἐῤῥάγησαν πᾶσαι αἱ πηγαὶ τῆς ἀβύσσου. Chaldaica sic habet :

אתבזעו כל מבוע תהומא רבא׃

Anno sexcentesimo vitæ Noë *completo, mense secundo, septimo die mensis, rupti sunt omnes* fontes Abyssi magnæ, & Catarractæ cœli *apertæ sunt*; & *facta est pluvia super Terram* 40 *diebus*, & 40 *noctibus*. Magna sanè controversia est circa sexcentesimum annum vitæ *Noë*, utrum inchoatus fuerit, an completus : nos quicquid alii contrà sentiant, sexcentesimum completum asserimus; & patet vel ex ipsis *Sacræ Scripturæ* verbis quàm luculentissimè : cum dicit; *Noë* cum moreretur, habuisse ætatem nongentorum quinquaginta annorum; quod falsum foret, si *Diluvium* venisset in fine quingentesimi, & in principio sexcentesimi inchoati; tunc enim *Noë* non nongentorum quinquaginta annorum ætatem habuisset, sed octingentorum quinquaginta annorum tantùm, quod *Sacris Literis* prorsus repugnare videtur; Incepit enim *Noë* jussu DEI *Arcam* in principio sexcentesimi anni, & centum annos in ea fabricanda transegit. Sexcentos igitur annos vitæ, cum *Diluvium* veniret, *Noë* habuit, & trecentis & quinquaginta annis post *Diluvium* vixit, quæ simul juncta dant 950. annorum ætatem *Noë*. Sexcentos itaque, venientе *Diluvio*, annos completos *Noë* habuit; quicquid contrà ogganniunt nonnulli malè fundati *Sacrarum Literarum Interpretes*. Pari errore hi secundum mensem anni sexcentesimi, non Verno tempore, sed Autumnali attribuunt, Rabbinorum fabulis delusi, eò quod tunc opportunior humentis aeris constitutio esset, ad *Diluvium* producendum. Nos contrà cum melioribus *Interpretibus Diluvium* contigisse Verno tempore asserimus. Cur autem DEUS verno potiùs tempore, quàm alio tempore *Diluvium* adduxerit, causa duplex assignari potest; *Prior* est, quod DEUS eo tempore Mundum destruere voluit, quo eum condidit, videlicet Verno tempore: *Altera* fuit, ut nequissimi istius temporis homines, acriori cum doloris sensu in *Diluvio* perirent, scilicet acerrimè dolentes se per id tempus ex mundo, tam duro mortis supplicio extrudi, quo tempore Mundus ipse pulcherrimus, amœnissimus, & jucundissimus est, Verque

Quo tempore anni contigerit *Diluvium*.

Lis dirempta de initio *Diluvii*.

que homines jucundo rerum ſtatu atque per ſe ad delicias voluptateſque perfruendas invitet alliciatque, quorum maxima eſt id temporis copia & varietas: *Tunc enim*, teſte D. Ambroſio, Diluvium *adduxit* DEUS, *quandò augentur naſcentia, ager parturit, terrarum pariter atque animantium fœtura ſe fundit; tunc enim dolor eorum, qui in abundantia ſua puniebantur, major fuit, tunc ultio terribilior tanquam dicentis* DEI: *Eccè omnia ſecundum liberalitatis Divinæ gratiam dives Natura generavit, omnia in uſum hominum germinavit terra fœcundior, ſegetes ſpectantur, tritico & hordeo replentur campi, comæ arborum, venturi fructus floribus veſtiuntur; non deeſt Terra obſequiis ſuis, beſtiæ non deſunt muneribus, quæ frequenter ſolvuntur in partus, & ut homini nihil deſit, homo ſolus partibus ſuis deeſt, neſcit authorem ſuum, à quo ei omnia miniſtrantur; negligit conditorem. Pereant igitur cum homine omnia, cujus gratiâ condita ſunt omnia; in ſuis divitiis conſumetur homo, cum ſua dote moriatur.* Ita Divus *Ambroſius.* Accedit & illud, ut videlicet homines apertiùs cognoſcerent, & ſine ulla dubitatione crederent, hocce *Diluvium* non ex ſolis naturalibus cauſis, ſed maximè per ſupernaturalem DEI omnipotentiam, eſſe factum, eò quod Verno Æſtivoque tempore, contigit *Diluvium*, quo, calore ſolis omnia ad ſiccitatem tendunt, pluviæ utplurimùm ceſſare ſoleant; Autumnali autem, & Hyemali tempore, quo omnia humentis naturæ ubertate, pluviarumque copia diluuntur, *Diluvium* ſit ſublatum, utroque ſcilicet tempore, tam procreando, quam abolendo *Diluvio*, contrario.

Hiſce itaque præmiſſis, jam de *Diluvium* efficientibus cauſis agendum reſtat, ut num naturales cauſæ ad *Diluvium* conſtituendum, ſufficere potuerint. Dico itaque, triplicem conſiderari poſſe cauſam alicujus *Diluvii*: *Primò* eſt continuatus imbrium nimborumque immodicus caſus, niviumque condenſatarum in altiſſimis montibus diſſolutio; undè flumina, magna aquarum mole onuſta, qua data porta ruunt, per apertos planitierum campos, torrentiumque ex altiſſimis montibus devolutio rapit ſylvas, & ſaxa revolutis remiſſa compagibus rotat; urbes & implicitos trahit montibus ſuis populos, ruinam, an naufragium querantur, incertos, atque ſemina, & quod opprimeret, & quod mergeret, venit; & uti Seneca ait. *Illuc cum liberis, & conjugibus fugient homines, actis ante ſe gregibus, dirempto inter miſeros commercio, & tranſitu; quoniam quicquid ſubmiſſius eſt, id unda replevit. Editiſſimis quibuſque adhærebunt reliquiæ generis humani quibus ad extrema perductis, hoc unicum erit ſolatium, quod tranſibit in ſtuporem metuo, nec dolor habebit locum, quippè vim ſuam dolor perdidit in eo, qui ultra ſenſum mali, miſer eſt.*

Triplex cauſa alicujus *Diluvii*. 1. Cauſa.

Altera Cauſa eſt, ſupra modum tumeſcentis maris in terris effuſio, quod quomodò fiat, *paulò poſt* dicetur. 2. Cauſa.

Tertia Cauſa eſt concurſus ſiderum in ſignis, quæ vim habent imbriferam. Haſce cauſas *Diluvii* aſſignant *Naturalium rerum Scriptores*, quæ quidem in particularibus *Diluviis* plerumque concurrere ſolent; at in univerſali illo *Noëmico Diluvio*, quo aqua ſupra altiſſimos univerſi montes, altiùs quindecim cubitis aſcendit, id utique non naturalibus cauſis, ſed dextrâ DEI Excelſi contigiſſe, ſolus is inficiabitur, qui determinatam naturæ in hujuſmodi *Diluvio* conficiendo potentiam non penetraverit. 3. Cauſa.

Sacer Textus duas cauſas adducit *Diluvii* effectrices. Primò enim dicit, Ruptos eſſe *fontes Abyſſi magnæ, & Cataractas cœli* apertas eſſe. Quidnam verò Magna illa *Fontium Abyſſus* ſit; quid *Catarractæ Cœli*, quantum ingenii mei debilitas permiſerit, exponamus.

Quid ſit ruptura *Abyſſi magnæ* quid apertura *Catarractæ Cœli*.

Hydrophylacia fontibus, amnibus, lacubuſque producendis intra altiſſimorum montium profundos receſſus conſtituta ſat ſuperque in *Mundo* noſtro

Sub-

Subterraneo demonstravimus. Esse autem inter Geocosmi viscera, talia Hydrophylacia, quas abyssos Aquarum vocamus, adeò certum est, ut vel ipse *Sacer Textus*, uti hîc, ita alibi apertis verbis id innuat, Psalmo 41. *Abyssus abyssum invocat in voce Catarractarum tuarum.* Est itaque *Abyssus magna* hoc loco nil aliud, quàm profundissima aquarum vorago, cujus fundus explorari nequit, in intimis terræ penetralibus constitutus; Intra hanc enim Mare per immensa internorum scopulorum præcipitia devolutum ingentes fremitus fragoresque excitat, juxta paulò antè citata verba, *in voce Catarractarum tuarum.* Et hujusmodi Abyssos, quas nos Hydrophylacia vocamus, plurimas intra intima terræ montiumque viscera conclusas, quam amplissimè in dicto *Mundo Subterraneo* docuimus: quas *Abyssos* hoc loco omnes sub nomine Abyssi magnæ *Sacra Scriptura* comprehendit; Omnes enim Lectiones in Ruptura fontium *Abyssi magnæ* conveniunt, uti sequitur.

Hydrophylacia quid?

Lectiones omnes concordant.

נבקעו כל מעינות תהום רבה :	Hebræa.
Ἐῤῥάγησαν πᾶσαι αἱ πηγαὶ τῆς ἀβύσσου.	Græca.
יתבזעו כל מבועי תהומא רבא.	Chaldaica.
انشقوا جميع عيون الحمور الكبير ۞	Arabica.
ܐܬܬܪܥ ܟܠܡܒܘܥܝܢ ܬܗܘܡܐ ܪܒܐ ܀	Syriaca.
Rupti sunt omnes fontes Abyssi Magnæ.	Latina.

Genes. 7. vers. 11.

Atque hujus *Abyssi Magnæ* cæterarumque particularium Abyssorum fontes ad *Diluvium* producendum ruptos esse memorat; quod uti solis naturæ viribus effici non potuit, ita quoque ruptura hæc non nisi omnipotentis Naturæ conditoris dextrâ effecta fuit; eo, quo imbecillitas nostra concipere potest, modo & ratione. Cum itaque magnam esse hujusmodi Abyssorum cum Oceano cæterisque Maribus communicationem, & corresponsum nos in *Mundo Subterraneo* ostenderimus, atque ex Oceano, virtute accessus & recessus, veluti Naturæ follibus per occultos Terrarum meatus, hujusmodi Abyssos in montium altissimorum Hydrophylacia ad fluminum lacuumque cursum conservandum perpetuo, stupendoque Naturæ opificio propellantur. DEUS *Diluvio* puniturus Mundum, habenis Abyssorum laxatis, tum per affluxum refluxumque Maris, tum per ventorum in Oceanum violentissima pressione, aquæ in Abyssis stabulantes jam contineri nesciæ per intimas terrestris substantiæ fibras, montiumque occultos canales sollicitatæ, quâ datâ portâ ruentes, ac instar fluminum per universæ Telluris rimas, foramina, fontiumque orificia cum impetu exoneratæ, brevi tempore universam Terræ superficiem inundarent. Atque hoc pacto sensum Scripturæ, circa hæc verba: *Rupti sunt fontes* Abyssi magnæ, id est, omnia interiora Terræ Hydrophylacia, quæ sunt veluti fontes quidam *Abyssi magnæ*, id est Oceani, intra viscera terræ, in fontes Hydrophylaciorum coacti, juxta illud Psal. 32. *Qui congregat sicuti in utre aquas Maris, ponens in thesauris suis Abyssos.* Hisce itaque hoc pacto expositis, jam quid per *Cataractas Cœli*, quæ in *Diluvio* apertæ dicuntur, intelligatur, pari modo & ratione exponamus.

Latina Lectio habet: *Et* Cataractæ Cœli *apertæ sunt.* Græca: καὶ αἱ καταράκται τοῦ οὐρανοῦ ἠνεώχθησαν. Chaldæa, וכוי שמיא יתפתחו *Et fenestræ cœli apertæ sunt.*

Cui consentit Arabica:

وطبقان السما انفتحوا ۞

Quæritur itaque, *quid per* Catarractas, *vel feneſtras* cœli *intelligatur.*

Quid Catarracta, ſeu καταδυπα

Catarracta, ſive quod idem eſt, καταδυπα, nil aliud eſt, quàm integri alicujus fluminis prægrandis, per rupes in ſcopuloſam vallem præcipitatio: hoc pacto *Authores* loca edita & prærupta, è quibus aquæ magno ſonitu & fragore deorſum ruunt, nomine Catarractarum vocare ſolent, cujuſmodi ſunt Catarractæ, ſive καταδυπα *Nili* fluminis in finibus *Æthiopiæ*. Verùm cum vix ſit Regio celſis montibus inſtructa, quæ non hujuſmodi Catarractas exhibeat. Inter cætera *Italiæ* illa famoſiſſima eſt in *Agro Reatino*, ubi *Velinus* fluvius per ingens præcipitium in *Naris* præruptam vallem ſub forma arcus devolvitur, quam in *Mundo Subterraneo* cum iis, quæ *Tibure* viſuntur Catadupis, deſcriptam reperies.

A ſimilitudine itaque hujuſmodi Catarractarum *Moſes Catarractas Cœli* à DEO apertas eſſe dicit; hoc pacto, in media Aëris regione (ubi à *Meteorologis* Pluviæ, Grandines, Nives, & ſimilia generari dicuntur, *Catarractæ cœli*, aut uti *Arabica*, & *Chaldaica Lectio* habet, feneſtræ cœli non incongruè dicuntur) nubes immenſa aquarum mole aggravantur, quibus diſciſſis, utplurimùm in particulari aliqua regione valida inundatio ſequitur: Undè & Germanica voce pulchrè ſanè hujuſmodi Catarractæ, *ein Wolkenbruch*, id eſt, ruptura nubium dicitur. In noſtro verò *Diluvio*, ex vaporibus, tum ex vaſto Oceano, tum ex Telluris univerſa ſuperficie extractis, atque in altum elevatis, DEUS univerſam aëriam regionem, quam & cœlum *Sacra Scriptura* vocat, immenſa harum nubium conglomeratarum moles ambitum Orbis terrarum ita circumdedit, ut quemadmodum hæ nubes aquarum fœturâ erant gravidæ, ita quoque à DEO ruptæ & diſſolutæ adeò invaluerunt, ut non guttatim, ſed Catarractarum more, integra flumina continuata quadraginta dierum, totidemque noctium effuſione evomere viderentur; undè mox tantus aquarum cumulus exortus fuit, ut intra breve tempus Mundum obruerit univerſum. Fontibus enim *Abyſſi Magnæ* inferiùs, per totius Terreni globi canales, fiſſuras, poros, meatuſque in omnem Terræ ſuperficiem magno impetu exoneratis, ſuperiùs verò per Catarractarum aëriarum aperturam, pluviis ad inſtar fluminum deorſum præcipitatis, accidit, ut hæ fontibus *Abyſſi Magnæ* jam pariter effuſis, junctæ, tale & inauditum aquarum incrementum effecerint, ut non univerſam duntaxat Terræ ſuperficiem, ſed & univerſos, qui ſub cœlo ſunt, montes, quindecim cubitis altiùs obtexerint: *Dominus enim*, uti Nahum Propheta ait, *in tempeſtate; in turbine viæ ejus; & nebulæ pulvis pedum ejus; increpat Mare, & exſiccat illud, & omnia flumina ad deſertum deducit*. Quæ appoſitè ſanè de aquis *Diluvii* dici queunt; tantam enim vaporum copiam extraxit, vaporesque fluminum lacuumque multitudinem in deſertum aëriæ regionis locum deduxit, ut Mare quaſi exſiccatum videretur.

Pluviæ è cœlo non guttatim ſed veluti effuſione fluminum in terram cœlo devolvebantur.

Quomodo *Diluvii* aquæ *Catarractæ Cœli* dicantur.

Undè luculenter patet, hoc *Diluvium* minimè ſolis naturæ viribus, ſed ſolius DEI nutu in ſceleſti, & impii Mundi exterminationem accidiſſe. Quæ enim Naturæ vis tanta eſſe poteſt, ut inacceſſos *Abyſſi Magnæ* fontes aperiat? aquarum flumina ſurſum per innumeras rupturas montium contra naturalem curſum aſcendere faciat? aut quis derepente tantam vaporum nubiumque molem ex Terraquei globi ſuperficie in mediam regionem aëris educat? Erat ſane, uti paulò poſt Geometrico ratiocinio demonſtrabitur,

Diluvium viribus naturæ fieri non potuit.

tur, hoc aquarum incrementum, tantum, tamque grande, ut si aqueum, quo Orbis terrarum ambitur, elementum non superârit, saltem ipsi æquale fuerit. Valdè igitur hallucinantur; qui hujusmodi *Diluvium Noëticum* magnæ Siderum humidæ naturæ, Planetarumque in Aqueo Dodecamorio conjunctioni adscribunt. Certum est, hujusmodi Planetarum Syzygiam in efficiendis particularium Regionum inundationibus multum posse, sed quæ fontibus *Abyssi Magnæ* ruptis, *Cataractisque Cœli* apertis, continuâ aquarum mole, fluminum adinstar universam Terræ faciem, quadraginta diebus ac noctibus profundat; id sanè effectus naturalis siderum dici nec potest, nec debet, sed effectus DEI Excelsi, & omnipotentis dextrâ productus. Falluntur quoque omnes ii, qui puerili imaginatione delusi, censent, *Diluvium* ex supracœlestium aquarum descensu contigisse. Hi si scirent, hujusmodi aquæ ad descendendum, quantum temporis, tum propter inexplicabilem earundem à Terrestri globo distantiam, insumpturæ essent, tum propter diversos intermedios cœlos, quos transire debebant, & propter differentes qualitates illarum aquarum à nostris, utique insipientiam suam riderent; cum tanta sit eorum altitudo, ut si Adamantinus globus ex illa immensa altitudine projiceretur, dico illum multorum annorum spatio cadentem, ad centrum terræ non perventurum. Quæ omnia ἀποδεικτικῶς, si opus esset, ostendere possemus, si id in 1. *lib. Mundi Subterranei* non præstitissemus, ut interim sileam aquarum hujusmodi descensum, quæ uti ad scindendum in lapsu, ob fluxilem naturam aptissimæ sunt, ita quoque, vel unius diei spatio, eas in minutissimas veluti roris cadentis guttulas, sectas discissasque, tandem evanescentes prorsùs in ætheris substantiam, conversas fuisse, satis ille novit, qui acceleratam motuum rationem penitiùs expenderit. Lector curiosus, quæ de hoc argumento, tum in *Mundo Subterraneo*, tum in *Itinerario Extatico* quàm amplissimè adduximus, consulere non gravetur.

Diluvium fieri non potuit virtute influxus siderum, uti *Astrologi* somniant.

Diluvium non potuit augmentari ex supracœlestibus aquis, ut multi pueriliter opinantur.

CAPUT V.

De Aquis Diluvii *quindecim cubitis supra omnes montes, qui in Universo sunt, sese extollentibus.*

ANtequam hujusmodi Argumentum prosequamur, satis mirari non possum, nonnullorum *Interpretum* temeritatem, ne dicam insciti am, qui quod ipsi sibi imaginari non possunt, nec mente concipere, tanquam falsum, & veluti ἀδύνατον, non obstante *Sacrâ Scripturâ*, id expressis verbis testante, in dubium vocare non verecundentur. Quorum nonnulli contra apertam *Mosis* mentem, non omnes totius Orbis terrarum montes, sed minores tantummodò cooperuisse opinantur; Rationem hujus rei aliam non assignant, nisi quod nonnulli montes, uti *Olympus*, *Athos*, *Caucasus* adeò alti sint ut ibidem nec ventus, nec pluvia, ullo unquam tempore sentiantur, idque ex nonnullis maleferiatorum hominum figmentis, & malè fundatis relationibus de cinere sacrificiorum in *Olympo*, nec pluviis macerato, nec ventorum flatibus dissipato, confirmant; *Diluvium* itaque ex consequenti, illuc pervenire non potuisse, sentiunt; quasi verò inportentoso hujus *Diluvii* eventu, Divinæ manus in aquis altiùs elevandis ligatæ fuerint.

Dicere non omnes montes aquis tectos *Sacræ Scripturæ* repugnat.

Impugnatio perperam sentientium.

Contra hoſce, veluti injuſtos Sacræ Scripturæ Cenſores, eorundem vanitatem apertè confutaturus inſurgo. Dicunt itaque ii, ultra mediam regionem aëris *Diluvium* non aſcendiſſe; Cur? quia ultra eam nullus pluviis, nivibus, grandinibus, imbribuſque locus eſt: Sed quis illis hoc dictavit? aut ubi ſimile quid legerunt? An non altiſſimos ſub cœlo montes perpetuis nubibus, nivibuſque obtectos ſenſatâ & quotidianâ experientiâ ſpectamus? Quid enim nubes aliud ſunt, quàm aqueus vapor; aut quid nives, niſi aqua ex frigore in candidos floccos condenſata? cum itaque excelſiſſimi totius Orbis montes, ubique perpetua nive candentes ſpectentur, nives verò, & grando, uti diximus, pluvia in corpus ſolidum condenſata ſit, omnium opinione amens habebitur, qui pluvias illuc pervenire non potuiſſe, audaciùs aſſereret. Cum enim communi *Meteorologorum Mathematicorumque* calculo ſuprema mediæ aëriæ regionis portio vix quinquaginta milliaribus Italicis à terræ ſuperficie diſtare cenſeatur; vix in Orbe quoque tantæ altitudinis mons reperiatur, qui ad altitudinem tertiæ regionis aëris pertingat; nubes autem eò pertingere, & conſequenter pluvias ibidem generari poſſe, quis jam negabit?

Montes totius Orbis altiſſimi *Andes* ſunt in *America meridionali.*

Si Montes *Europæ*, *Aſiæ* & *Africæ* cum *Andibus Americæ meridionalis* altiſſimis totius Orbis terrarum montibus comparemus, illi ſine dubio veluti viburna inter cypreſſos eſſe reperientur; & tamen hi quemadmodum ex Patribus Noſtris, qui hoſce montes, ex Regno *Chile*, in Regnum *Paraquaiæ* profecturi tranſcenderunt, nivibus, vaporibus, nebulis conſertos, experti ſunt; hæc autem pluviarum ibidem dominantium indicium manifeſtum præbent. Quis hujuſmodi montes extra omnem pluviarum regionem conſtitutos eſſe negabit? faſſi tamen ſunt, aërem ibidem ſerenitatis tempore adeò exilem, ſubtilemque eſſe, ut ſpongiis vino generoſo refertis opus ſit, queis naribus admotis, reſpirationis Organum nonnihil reficiant; inveniri & ibidem hominum jumentorumque cadavera, neſcio ob quam montium abditam qualitatem, prorſus incorrupta. Sed hæc de pluviarum in altiſſimis montibus, generatione ſufficiant. Ad noſtri igitur Argumenti filum progrediamur.

Annaturali vi aqua in tantam altitudinem ſuper omnes Montes aſcenderit.

Quæri igitur non immeritò hoc loco poſſet, *quomodò aqua* Diluvii *quindecim cubitos ſuper omnes Orbis Terrarum montes aſcenderit*? Dico totum illud aërium ſpacium uſque ad ſupremam regionem aëris, præpotentis DEI virtute, in aquas per inexplicabilem coacervatarum nubium multitudinem, quâ replebatur, converſum eſſe; cujus ubertas tanta fuit, ut aër ſupremus cum inferiori, in Oceanum commutatus videri potuerit, non naturæ viribus, ſed illius, cujus voluntati, & imperio cuncta ſubſunt, ac proindè mirum non eſt, DEUM uſque eò, id eſt, quindecim cubitos ſuper omnes montes extuliſſe aquam, ne videlicet dici poſſet, nonnullos montes fuiſſe, qui ab omni aquarum offuſione immunes, aliquos homines & animalia, quæ unà cum Mundo perdere conſtituerat, à *Diluvio* ſervaverint.

Cauſa cur DEUS *Diluvium* ſuper omnes montes evexerit.

Sed antequam ulteriùs progrediamur, inſigne hoc loco oboritur dubium de *Diluvio* quindecim cubitis ſuper altiſſimos montium univerſæ Telluris vertices exaltato. Si enim quindecim cubitis ſupra dictos vertices, aquarum elevatio fuit, veriſimile eſt, *Arcam* tantis aggravatam ponderibus non in extima aquarum ſuperficie præcisè fluctuaſſe, ſed aliquo uſque ſummerſam fuiſſe. Si itaque *Arca* ex pondere aggravata quindecim cubitis ſubmerſa fuit; utique jam altiſſimi montis verticem tetigiſſe videtur; Si verò ultra quindecim cubitos ad 16. 18. 20. ut nonnulli volunt, ſubmerſam dicamus, jam haud dubiè illa in nonnullorum montium vertices, ventorum impetu,

impetu, & aquarum turbinibus agitata, non ſine diſſolutionis periculo illidere poterat; Quod periculum ut evitaret, *Hugo Victorinus* perperam duas ſolummodo manſiones in *Arca* ponit aquis immerſas: *primò* Sentinam, quam ſtercorariam vocat, quatuor cubitorum altam, *deindè* Apothecæ manſionem, quam cibariam vocat, quinque cubitorum altam, quæ cum novem cubitorum altitudinem præbeant, novem tantùm cubitos aquis ſubmerſam eſſe dicit; atque hoc pacto *Arcam* ab illiſione montium liberam fuiſſe putat. *Lyranus* tredecim cubitis ſubmerſam cenſet, id eſt, ab altiſſimi montis vertice non niſi duobus cubitis diſſitam. Deliraſſe præterea videtur *Lyranus*, cum dicit, *Arcam* quocunque tandem motam, ſemper ſuper altiſſimorum montium catenas, id eſt per aquas, quæ quindecim tantùm cubitis vertices eorum excederet, fluctuaſſe; Et uti hoc rectæ rationis dictamini repugnat, ita quoque facilè eliditur. Quaſi verò omnes altiſſimi Telluris montes, cujuſmodi ille montem *Ararat* eſſe putat, non niſi quindecim cubitis infra aquam demerſi fuerint, cum unus tantùm in toto Orbe præ omnibus altiſſimus extiterit, ſupra quem aqua quindecim cubitis, juxta *Sacræ Geneſis Textum* elata cenſeri debeat, cujuſmodi montem *Ararat* non fuiſſe complures multò *Ararat* altiores, uti ſunt *Caucaſus*, *Athon*, *Taurus*, & cæteri, quos in *Præcedentibus* adduximus, ſat teſtantur. Non igitur per catenas montium, aut ut ipſe putat, ſupra altiſſimos vertices montium *Arcam* hæſiſſe, ſed hinc indè ſupra camporum planities, ſupra vallium profunditates & ſupra collium montiumque juga & vertices, tam excelſos quam humiles, prout à fluctibus agitabatur, nunc in hanc, nunc in illam partem motam incitatamque fuiſſe, ita ut nonnunquam quindecim cubitis, modo centum, aliquandò mille, aut etiam decem millibus paſſuum à loco, cui incumbebat, diſtiterit. Quid igitur *Lyrano* in mentem venerit, quod *Arcam* ſemper ſupra altiſſimorum montium vertices rectà promotam voluerit, non capio; forſan timuerit, ne fortè in crepidine montis alicubi hærens peracto *Diluvio* unâ cum omnibus in ea contentis everteretur. Verum an non idem & in omnibus montium verticibus periculum occurrere poterat? quomodò enim *Arca* 300 cubitorum longa ſupra apicem montis conſiſtere poſſit ſine everſionis periculo, nemo concipit; Sed de hoc dubio *in ſequentibus* fuſiùs. Debebat *Lyranus* curam DEO relinquere, qui uti *Arcam* duxit, quo voluit, ita quoque eandem quieſcere fecit, ubi voluit. Idem & alium errorem priore non minorem commiſit, dum aquarum decrementum omni quatriduo uno cubito decrevſie opinatus eſt; ſane perquam imperitè; ſi enim motûs accelerationis notitiam habuiſſet, tale quid comminiſci auſus non fuiſſet; ſequeretur enim ingens indè abſurdum, id eſt, 150. dierum ſpatio uſque ad finem *Diluvii* aquam tantùm $37\frac{1}{2}$ cubitis diminutam fuiſſe; ut ex regula proportionum conſtat: ſi enim quatuor dies dant unum cubitum, 150 dies quid dabunt? operatione peractâ prodeunt $37\frac{1}{2}$ cubiti. Cum verò nos *in ſequentibus* oſtendamus, ultimum terminum alitudinis *Diluvii* 40000. cubitorum fuiſſe, ſequitur neceſsariò, ſingulis diebus non unum cubitum ſed 266 +100 cubitis aquas decreſcere debuiſſe. Accedit, quod non æquali proportione aqua decreverit, ſed ſecundum proportionem motus accelerationis, de qua fuſiſſimè *Lib.* 1. *Mundi Subterranei, Tractatu de Arte Coſmocentrica*, quam conſule, egimus.

Sed jam argumentum, quod aſsumpſeramus proſequamur, id eſt, quomodò tam immenſa aquarum copia ſupra omnes montium vertices elevari potuerit; & quanta iſtiuſmodi altitudo eſſe debuerit, quantus aquarum glo-

Hugonis Victorini de ſubmerſa *Arca* intra aquas opinio.

Lyrani opinio.

Lyrani ſententia abſona.

Decrementum aquæ decrevit juxta porportionem motus accelerationis.

globus geometrico ratiocinio demonſtremus.

Suppono itaque primò, juxta meliorum *Mathematicorum* calculum, ambitum globi Terraquei, in circumferentia ſua

continere —— —— ——	milliaria	Germanica	5400
		Italica	21600
Diametrum ejus eſſe —— ——	milliaria	Germanica	1720
		Italica	6880
Semidiametrum —— ——	milliaria	Germanica	860
		Italica	3440
Convexam Globi Terraquei ſuperficiem in milliaribus quadratis eſſe	milliaria	Germanica	9288000
		Italica	148608000
Soliditatem verò ejus in Cubicis milliaribus eſſe ——	milliar.	Germanica	2501560000
		Italica	170403840000

Hæc in cubitos reſoluta, quorum 2000 unum milliare Italicum conficiunt, dabunt ſoliditatem in cubitis cubicis qui ſunt cubiti cubici 240807680000000.

At hæc eſt Globi Terraquei, à centro Terræ uſque ad ejus ſuperficiem ſemidiameter continuatus.



His poſitis, ſit globus Terraqueus A. C. D. E. deindè annulus F A. I D. E H. & C G. ſit annulus ſeu ſpatium ambiens globum Terræ, ſive aquarum cumulus, qui in *Diluvio* ſupra omnem Terræ ſuperficiem, montiumque altiſſimorum vertices 15. Cubitis ſublimiùs fuit elevatus. Quæritur, *quantus fuerit aquarum iſtius annuli cumulus in milliaribus Germanicis*? Sit A B. ſemidiameter globi Terraquei, quam *paulò antè* determinavimus eſſe 860 ſeu 3440 Italicorum milliarium, ſive cubitorum 688000. Sit deindè A E. ſpatium aërium, quo aquæ *Diluvii*, ultra omnium montium vertices exaltatæ dicuntur. Sit præterea A. mons omnium, quæ ſub cœlo reperiuntur, maximus, videlicet 10 milliarum Germanicorum, & 15 Cubitorum, quamvis vix in univerſa terræ ſuperficie, majorem reperiri putem. Hiſce ita poſitis jam aquarum *Diluvii* ultra Terræ ſuperficiem exaltatarum quantitatem, in cubicis milliaribus Germanicis demonſtremus.

Cum itaque ambitus Orbis Terræ juxta meliorum *Aſtronomorum* calculum ſit 5400 milliarium Germanicorum, in quantum ſcilicet uni gradui cœleſti, 15 dicta milliaria correſpondent. Semidiameter verò ſit 860 milliarium Germ. à Terræ centro uſque ad ſuperficiem ejus, reſtantque ſpacium aquæ *Diluvii* 10 milliaribus Germanicis ultra omnium montium vertices exaltatæ: Si ſemidiametro terræ 860 junxeris 10 milliaria & 15 cubitos; erit à centro Terræ uſque ad ſupremam convexitatem aquarum *Diluvii* 870 milliarium Aſtronomicorum & 15 cubitorum, in altum ad 10 milliaria exaltatarum ſemidiameter B A F. congregata ex ſemediametro Terræ, & aquarum ſuperficiem terræ excedentium altitudine; hujus verò ambitum habebis in millia-

milliaribus Germanicis, ſi fiat ut 7. ad 22. ita 1740. ad aliud ; id eſt ſi integram diametrum 1740. per 22. multiplicaveris , prodibunt 38280 ; hæc per 7 diviſa dant 5468 milliaria Germanica, eſt qui ambitus ſphæræ aqueæ FI H G. Cujus convexam ſuperficiem habebis, ſi circumferentiam F I H G jam inventam id eſt, 5468 in diametrum 1740. F B H duxeris, prodibunt enim 9514320, totius ſphæræ convexitas; Iterum ſi tertiam partem convexitatis ſphæræ, quæ eſt 3171440. in ſemidiametrum B A F , id eſt, in 870 duxeris, prodibunt 2759152800 ſoliditas totius ſphæræ F I H G. in milliaribus Germanicis.

Ut itaque jam annulum aquarum F A. I D. E H. C G. id eſt , aquarum *Diluvii* ex terræ ſuperficie ſuper omnes montium vertices quindecim cubitis elevatarum quantitatem in Germanicis cubicis milliaribus habeas, ſubtrahe A D E C. ſphæræ ſoliditatem à ſphæra majori F I H G. & habebis quæſitum, juxta paradigma ſubjunctum.

F I H G. 8277458400.	Soliditas Sphæræ majoris in milliar.
A D E C. 2662560000.	German. cubicis, à quâ ſubtracta
	Sphæræ minoris globi terreni ſoliditas in mill. Germ.
A.	
5614898400.	Manet aquarum in *Diluvio* ſupra terram elevatarum quantitas in milliar. Germanicis cubicis, uti calculus A. monſtrat.

Me explico : Si fieret cubus unius milliaris Germanici , cujus latus 4000

paſſus contineret, uti eſt cubus A. & ille repleretur aquâ ; Dico in toto illo annulari ſpacio F H. I D. E H. C G. quod aquarum *Diluvii* à ſuperficie terræ, ſuper omnes montium vertices elevatarum , aqueam circa Orbem Terræ aream exhibet) continere milliaria cubica aquea, uti *paulò antè* expoſitum fuit, cujuſmodi A. cubus milliaris Germanici unus eſt) 5614898400. cubos aqueos.

Ex hiſce deducitur, nulla vi naturalis potentiæ , tam inconceptibilem aquarum copiam, ſed ſola omnipotentis DEI manu , congeſtam fuiſſe. Si enim hunc aquarum cumulum ad calculum revocemus , certum eſt, ipſam vel totius Oceani, Mariumque quantitatem in aquis ſuperare, quod facilè hoc loco demonſtrare poſſem , ſi id aut neceſſe foret , aut ex dictis veritas Lectori, unum cum altero exactiùs comparanti, non conſtaret.

Concludo tandem , tantam fuiſſe *Diluvii* ſuper omnium montium vertices exundantis magnitudinem, ut ſpatium illud, quod annulus ille aqueus occupat, non niſi ſupernaturali, & omnipotentis DEI , cui nil ἀδυνατον, virtute , miraculoſa quadam aquarum multiplicatione impleri potuerit.

CAPUT VI.

Utrum apud Veteres Scriptores Gentiles, aliqua hujus Diluvii, & Arcæ Noëticæ *notitia habeatur.*

VIdeo hoc argumentum ſat controverſum apud multos. Ut itaque lis, & diſcordia Scriptorum concordetur, nonnihil fuſiùs eam exponendam cenſui. Mirari autem ſatis non poſſum, eſſe quorundam tantam in antiquitatum notitiâ ignorantiam, ut quod ipſi vel non legerunt, aut in evolvendis Veterum monumentis non reperêre, falſum omninò, & fictitium aſſerere non vereantur. Inter hos nonnulli fuerunt, qui de *Diluvio Noëmico*, aut de *Arca*, nihil in toto antiquitatis penu reperiri audaciùs aſſeverant; tales ut vel ipſa ex tota antiquitate deprompta eruditione convincantur; primò de *Diluvii*, deinde de *Arcæ* apud veteres, veſtigiis, rem DEO dante ita decidemus, ut impoſterum nulli ampliùs dubium eſse poſſit.

Cenſentur ii, qui nil apud Antiquos de *Arca Noë* reperiri audacius aſſerunt.

Noëtici itaque *Diluvii* apud complures veterum Ethnicorum, memoriam reperiri adeò firmatum eſt, ut ſine contumacia negari non poſſit. *Beroſus* primò, apud *Joſephum*, ſic ſcribit: *Fertur*, Beroſo teſte, *navigii hujus pars in* Armenia *apud Montem* Gordæorum *ſupereſſe*, *& quoſdam bitumen indè abraſum ſecum deportare, quo vice amuleti, ejus loci homines uti ſolent. Melon* etiam apud *Euſebium* adverſus Hebræos, hujus mentionem facit: κ) τὸν Καταϰλυσμὸν ἀπὸ τ Αρμ ϕίας ἀπελθεῖν τὸν ϕειλειφθέν α ἄνθρωπον μ) τ υἱῶν ἐϰ τ ἰδίων ἐξελαυνόμ νον ὑπὸ τ ἐγχωρίων, διανύσαν α τε τὸ μεταξὺ χῶρ ν ἐλθεῖν εἰς τὸ ὀρεινὸ τ Συρίας τὸ ἔρημον. Id eſt, *Virum quendam, qui cum filiis ſuis* Diluvium *effugerat, ab Indigenis* Armeniâ *pulſum, atque ædibus, poſſeſſionibusque ſuis ejectum, intermediam Regionem, id eſt,* Meſopotamiam *tranſgreſſum, in deſertos* Syriæ *montes ſeceſſiſſe.* Ubi expreſſè *Noë* cum filiis ſuis exprimi, quis non videt? etſi more Ethnicis ſolito, rebus Sacræ Scripturæ non congruis, intermiſtis. Aliquanto luculentiùs Hiſtoriam ſacram exprimit *Abydenus*, pervetus Scriptor apud *Euſebium*, etſi uti aſſolent, variâ fabularum miſcellâ contaminatam; Syſithrus, (ita enim vocat *Noëmum*) *principatum deindè accepit, cui* Saturnus *magnam aquarum vim futuram ſignificavit; Quare ſe ſervare cupiens, ad* Armeniam *navigio confugiebat*: Καὶ Σεισιθρ ὃν δὴ Κρόν ϕραινόμ νψ ἔτεσ πλήθ ὄμβρων, Δεσίου πέμπτ ἐπὶ δέκα κελεύσ ὃν πᾶν, ὅτι γραμμάτων ὧν ἐχόμ ν ἐν Ηλίου πόλ τῇ ἐν Συππαρίων ἀπόκρυψε, &c. Siſydrus *in Regno ſucceſſit, cui cum* Saturnus *imbrium vim maximam decimo quinto menſis Deſii fore prædixiſſet, & quicquid literis comprehenſum erat apud* Heliopolim Sypparіorum *occultari, & is* DEI *mandatis obſecutus, continuò navigationem* Armeniam *verſus inſtituit, in qua continuo Divinæ prædictionis eventu occupatur; Tertia autem die, poſtquàm aquæ ceſſaſſent, aves emiſit, ut per eas ſciret, ubi terra eſſet, quæ cum omnia pelagi facie tegerentur, ad* Siſithrum *reverſæ ſunt; poſt aliquot dies ſimiliter factum fuit; Tertiò emiſſæ, reverſæ ad eum venerunt, pedibus limi ſordibus infectis: Tunc* Dii *ab hominibus rapuerunt* Siſythron. *Navis autem adhuc invenitur in* Armenia, *cujus ligna remedium hominibus adverſus multos morbos mirabiliter conferunt.* τὸ ὃ πλοῖον ἐν Αρμ ίῃ ϕέρεται ξύλων ἀλεξιφάρμαϰα τοῖσιν ἐπιχωρίοισι παρέχ ν. Quid hîc per Siſydron aliud, quàm *Noë* intelligitur, quem

Abydenus apud *Euſeb.*

Beroſus.

Melon.

quem à motu navis in aquis, *Phœnicum* linguâ vocitatum fuisse reperio, & etymon nominis haud obscurè ostendit, reliqua Sacræ Historiæ *Mosis* partim congrua, partim incongrua sunt.

Nicolaus Damascenus. Quin etiam Nicolaus Damascenus lib. 96. de Diluvio refert his verbis. *Est*, inquit, *super Regionem Miniarum ingens mons in* Armenia, *nomine* Baris, *in quo multos profugos* Diluvii *tempore servatos ferunt, & quendam* Arcâ *vectum in montis hujus vertice hæsisse, ac reliquias lignorum ejus longo tempore durâsse, qui forsan is fuit, de quo etiam Legislator Judæorum* Moses *scribit.* Hæc *Damascenus.* *Cyrillus Alexandrinus.* Cyrillus Alexandrinus lib. 1. contra Julianum, ad idem probandum, testimonium adfert *Alexandri polyhistoris*, *Ipse* Plato, inquit, *obscuram ejus* Diluvii *significationem dat, cum in* Timæo, *Sacerdotem quendam Ægyptium inducit ex sacris Ægyptiorum libris referentem* Siloni, *ante particularia* Diluvia *Græcis nota & celebrata, fuisse antiquitus maximam quandam aquarum inundationem, terræque vastitatem, quod quidem aliud non fuisse videtur, quàm* Noëmicum Diluvium. *Plutarchus.* Item Plutarchus in libro de solertia animalium, tradit *proditum esse ab iis, qui de* Deucalionis Diluvio *scripserunt Columbam missam ex* Arca *à* Deucalione *cum egressa esset, tempestatis; cum iterum avolans non revertisset, serenitatis fuisse indicium*; quod quidem non nisi ex *Noëtico Diluvio* desumptum fuit. Quæ ut *paulò* clariùs exponantur,

Duplex Diluvium apud Antiquos celebratum. Notandum est, duo à veteribus memorari *Diluvia*, utrumque in *Græcia*; unum in *Attica Ogygium*, alterum in *Thessalia Deucalionis.* De *Ogygio* primo dicam. Contigit hoc *Ogygis* Regis *Atticæ* tempore, regnantibusque apud *Argivos Inacho* & *Phoronæo*, de quibus, si placet, lege *Oedipi primum Tomum*, ubi de hisce fusè disceptatum est; quo universa illa Regio ita aquis submersa, atque adeò vastata fuit, ut eam per 200. annos ferè incultam, inhabitatamque reliquerit; referunt autem *Hellenicus*, & *Phlochorus*, *Annalium Athenienſium Scriptores* apud *Eusebium de præparat: Evangelica*, hoc *Diluvium* contigisse mille & viginti annis ante primam Olympiadem; cui non dissentiunt *Castor* & *Thallus Syriacæ historiæ Scriptores*; & *Diodorus Siculus*, qui Orbis historiam *in Bibliothecas* contulit, nec diversæ sententiæ fuisse putandus est Orosius, qui *Ogygium Diluvium* 1040. annis ante *Romam* conditam contigisse tradit: Roma, inquit, *siquidem condita fuit*, 24 *annis ante primam Olympiadem, qui annus proximè incidit in annum octavum Regis* Judæ, *id est*, 283. *annis post inceptam* Templi Salomonis *ædificationem, uti ex* Libro 3. & 4. Regum *patet. Fuit autem prima Olympias*, 763. *annis post egressum filiorum* Israël *ex* Ægypto; *siquidem ab eo egressu usque ad ædificationem Templi* Salomonis lib. 3. Reg. c. 6. *numerantur anni* 480. *Ex hisce concluditur*, Diluvium *præcessisse egressum* Israëlitarum *ex* Ægypto, *annis* 263, & *incidisse in annum ætatis* Jacob *Patriarchæ circiter nonagesimum*; ex hoc computu Orosiano non exiguus error nascitur, dum dicit *Romam* conditam ante 1. Olympiadem, 24 annis, cum tamen communis sententia teneat 7. Olymp. conditum fuisse; *hunc præcessit* Diluvium Noëticum *annis ferè* 540. Sed hæc de *Ogygio Diluvio* sufficiant.

Ogygium Diluvium quo anno mundi acciderit.

Diluvium Deucalionis. Sequitur modò *Diluvium Deucalionis*, quo nil apud *Veteres Poëtas* & *Historicos* celebrius est, quod & sub *Atticæ* Rege contigisse traditur. *Eusebius* ait, *Cecropem* 400 fermè annis Trojanum bellum antecessisse, & medio illo tempore inter *Cecropem*, & bellum Trojanum contigisse *Diluvium Deucalionis.* *Varro* apud *S. Augustinum de civit*: *Diluvium Deucalionis* sub Rege *Cranao*, qui *Cecropi* proximè successit; *Justinus* autem Historicus hoc *Diluvium* accidisse tradit sub Rege *Amphictyone*, qui tertius à *Cecrope* regnavit; cui consentit Orosius: *Anno*, inquit *octingentesimo decimo ante* Romam *Conditam*, Amphictyon Athenis *tertius à* Cecrope *regnavit*,

gnavit, cujus temporibus aquarum illuvies majorem partem populorum Theſſaliæ *abſumpſit, paucis per refugia montium ſervatis, maximè in* Monte Parnaſſo, *in cujus circuitu tunc* Deucalion *Regno potiebatur, qui ad ſe ratibus confugientes, ſuſceptos per gemina* Parnaſſi *juga fovit aluitque, à quo propterea genus humanum reparatum ferunt.* ſic *Oroſius.* contigit autem *Euſebio,* jam citato teſte, *Deucalionis Diluvium* poſt *Ogygianum,* videlicet 230 annis poſterius circa annum ætatis *Moſis,* quinquageſimum, vel ut alii, ſexageſimum, aut ſeptuageſimum, poſt *Noëticum Diluvium* 770 annis. Plagas verò *Ægypti* contigiſſe ait, ante *Romam* conditam 805 annis; *Deucalionis* verò *Diluvium* 810. Hiſce jam deſcriptis, ad alia arcanioris notitiæ monumenta progrediamur.

Diluvium Deucalionis quo Mundi anno acciderit.

Veterum Scriptorum gentilium teſtimoniis de *Diluvii, Arcæque Noëmicæ* notitiâ, jam adductis, addam quædam veterum Numiſmata, ex quibus quàm luculentiſſimè dictorum veritas & certitudo demonſtrabitur. Tria maximè Numiſmata *paulo infra* allegandus recenſet *Noëmicæ Navis* ectypo ſignata; primum tenet Muſæum Magni Ducis *Hetruriæ*; alterum Cardinalis *Ottobonus*; Tertium, quod inter rariora ſua ſervat Excell^mus Princeps *Auguſtinus Ghiſius*; Quorum omnium luculentiſſimæ interpretationis, in *Opuſculo* reconditioris doctrinæ argumentis confertiſſimo (quod *Diſſertatio de Nummo Apanienſi, Deucalionæi Diluvii typum* exhibente inſcribitur) ſpecimen præbuit, non minus nobilitate quàm ingenio, morumque ſplendore illuſtriſſimus, *Octavius Falconerius*; ubi ſanè, quæ de hujuſmodi Numiſmatum expoſitione attulit, ita ingenio meo, & antehac conceptæ de vera hujuſmodi numiſmatis ſignificatione congruunt, ut unus alteri mentem ſuam ex æquo communicaſſe videatur, ut proindè Numiſmata hoc loco, ad noſtri inſtituti argumentum liquidius confirmandum, apponenda cenſuerim.

Utrum apud veteres notitia ſit de *Arca Noë.*

Hæc Numiſmatum ſchemata, *Arcam Deucalionæam* ſub figurâ *Arcæ Noëmicæ* olim adumbratam fuiſſe, luculenter demonſtrant. Primum Numiſma exhibet *Philippi Cæſaris Auguſti* ectypon ſub hac deſcriptione: AYT. K. IOYA. ΦΙΛΙΠΠΟC. AYΓ. *id eſt,* αὐτοκράτωρ ΚΑΙCΑΡ ΙΟΥΛΙΟC ΦΙΛΙΠΠΟC AYΓ. *Imperator Cæſar Julius Philippus Auguſtus.* In ſecunda facie manifeſtè comparent *Noëticæ navis*, quam, quiſquis tandem hujus ſchematis author fuit, cum *Deucalionis Arca*, quâ *Atticæ Diluvium* effugit, confudit. Vides ibidem intra *Arcam Deucalionem* cum *Pyrrha*, vel quod idem eſt, *Noë* cum uxore ſua, quam alii *Rheam*, quidam *Noriam* dictam fuiſſe autumant; vides & ſupra *Arcam* columbas binas, & unam cum ramo, quem unguibus tenet, tecto *Arcæ* inſidentem, cum inſcri-

inscriptione: ΕΠ Μ. ΑΥΡ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. Β. ΑΡΧΙ. ΑΠΑΜΕΩΝ; id est, *M. Aurel. Alexandro II. Pontifice Apamensium.*

Alterum Numisma est *Julii Sept. Severi Pertinacis*; uti Inscriptio primæ faciei, & cum ejusdem effigie luculenter docet: ΑΥΤ. Κ. Λ. CΕΠΤ. CΕΟΥΕΡΟC ΠΕΡΤΙ. id est, *Imperator Cæsar, Lucius Septimius Severus Pertinax.* Altera facies, paucis exceptis, ferè prorsus cum præcedenti Numismate in omnibus convenit, exceptâ inscriptione, quæ plurimùm differt; ut unum cum altero comparanti patebit. Viden' *Arcæ* figuram, *Deucalionem* cum *Pyrrha* uxore continentem; viden' columbas à *Deucalione Noëmorpho* extra *Arcam* dimissas, quarum prior volando redux cum ramo olivæ unguibus inserto: Inscriptio sic se habet: ΕΠΙΑΓΩΝΟΘΕΤΟΥ. ΑΡΤΕ. ΜΑΓΝΗΤΩΝ ΑΠΑΜΕΩΝ; id est, *sub Agonotheta Artemidos Apamensium.* Putat hîc doctissimus *Falconerius* per vocem ΑΡΤΕ, numerum significari istius anni, quo Nummus iste juxta *Fastos Apamensium* cusus est: Ego verò existimo, per vocem ΑΡΤΕ denotari *Artemidem*, id est *Dianam*, in cujus honorem apud *Apameenses* instituebantur *Agones*, *Pausaniâ* teste, qui in *Eliacis suis Dianæ* mense *Elaphobodeon* θηριέτικα gymnasmata instituta refert, idque multis aliis argumentis comprobare possem, si instituti mei ratio postularet. Quarè jam ad propositum nobis thema continuandum progrediamur.

Meritò quis hoc loco mirari posset, quid *Cæsaribus*, quid *Apamensibus* cum *Arca Deucalionis*, aut *Noë* commercii esse possit. Quod ut pateat, paulò altiùs ordiri visum fuit. Inter complures hujus nominis *Apameas* urbes, duas potissimum celebres fuisse *Mesopotamiæ*, & *Syriæ*, quæ & colonia olim *Romanorum* fuit; quamvis alii *Bithyniæ Apameam Romanorum* coloniam fuisse velint. Prima olim dicta Μεσένη, eò quod inter duo flumina *Tigrim* & *Euphratem* media fuerit; ita Strabo apud Stephanum: Απομαία πόλις, ἡ ἐν τῇ Μεσηνῶν γῇ τῷ Τίγριδι περιεχομένη, Apamea *Urbs est quæ* Misene, Tigride *circumdatur.* Altera *Syriæ*, civitas Απομεία Συρείας πόλις ἀπὸ Απάμης τῆς Σελεύκου μητρός. De cujus conditione, varia apud Authores lis est, quam vide apud suprà laudatum *Falconerium.* Quicquid sit, & *Mesopotamiam*, & *Syriam*, *Bithyniamque*, *Romanorum* Imperio subjectam fuisse, fusè docent *Antiquitatum Rom. Scriptores.* Notandum itaque est, hosce nummos vel in *Syria*, vel *Mesopotamia* à subditis in gratiam Cæsarum cusos fuisse. Quoniam verò dictus in Regionibus nihil erat *Diluvio Noëmico* celebrius, nil in populari sermone frequentius, utpote in quibus *Noë* natus, enutritusque fuerat, *Arcam* construxerat, humanum genus servârat, facilè contingere potuit, ut ob tam admirandos in *Diluvio* rerum eventus, per manus longa seculorum serie posteris traditas, quicquid de *Noëmo* admiratione dignum audierant, id *Deucalioni* in Græco, aut *Ogygio* Cataclysmo fabularum Architecti attribuerint; ut proindè plerique melioris notæ Scriptores *Deucalionem*, non alium quàm *Noëmum* indigitatum fuisse existiment; nec desunt ad id probandum authoritates. *Primò* enim *Deucalionem Japheti* filium fuisse, Apollonius lib. 3. asserit:

ἔνθα Προμηθεὺς
Ιαπετιονίτης ἀγαθὸν τέκε Δευκαλίωνα.

His namque Prometheus *filius* Japeti *clarum edit* Deucalionem.

Secundò. Berosus Noëmum Scytham fuisse ait; Lucianus verò etiam *Deucalionem* l. de Dea Syria refert: οἱ μὲν ὧν πολλοὶ Δευκαλίωνα τὸν Σκυθέα, τὸ ἱερὸν εἴσασθαι λέγουσι, τοῦτον Δευκαλίωνα, ἐπὶ τοῦ, τὸ πολλὸν ὕδωρ ἐγένετο. *Multi*

Multæ urbes sub *Apamea* nomine insignitæ.

Fama celebris apud posteros *Syros* & *Mesopotamiæ* populos de gestis stupendis *Noë*, impulit indigenas ad cudendos hujusmodi nummos.

2. *Noë* cum *Deucaleon* idem refertur.

ti ſanè Scytham Deucalionem, *Sacellum hoc erexiſſe inquiunt, eum ipſummet* Deucalionem, *cujus tempore fuit inundatio*. Quæ additæ ſunt ad vitandas hujus nominis æquivocationes; fuerunt enim multi *Deucaliones*, quorum origines vide apud *Comitem Natalem*.

3. Sub *Noë* & *Deucalione* magna hominum perverſitas.

Tertiò. Fuiſſe, *Noë* tempore, ingentem hominum perverſiſſimorum multitudinem *Sacræ Literæ* teſtantur. *Andro Tejus* pervetus ſcriptor, magnam ſceleratorum hominum frequentiam *Deucalionis* tempore, cum frequentes eſſent ubique homines. Eſt enim iſta conſuetudo, ut cum difficiliùs in magna hominum multitudine vivatur, difficultas victus, & aſtutiores & pejores homines efficiat. Nam fames neque Deorum religionem, neque majeſtatem legum, neque authoritatem Principum veretur; quarè omnia ſcelerum genera per annonæ difficultatem oriuntur. Hinc naſcitur, uti *Tejon* refert, Deorum indignatio & acerbitas bellorum, quam ſequitur *Jovis* ira & furor ad exterminandam hominum perverſitatem, per furias *Jovis* ſolio aſſiſtentes expreſſus. Eſt enim eadem civitatum, quæ corporum etiam ſingulorum hominum natura; ut cum multis malis hominibus tanquam noxiis humoribus repletæ fuerint, ita ſtatuente providentia per ingentes calamitates famis, peſtis, belli expurgantur; cum nihil humanum in ſummo vertice diu conſiſtere poſſit, & proxima ſemper ſit peccatorum eximiæ magnitudini Divina ultio.

4. *Noë* juſtus & perfectus. Idem *Deucalion.*

Quartò. *Noë* vir juſtus & perfectus in ſua generatione fuit. Ovid. l. 1. idem de *Deucalione* canit:

——— *Non illo melior nec amantior æqui*
Vir fuit, aut illâ (Pyrrha uxore ejus*)*
reverentior ulla Deorum.

5. *Noë* primus regnavit. Idem *Deucalion.*

Quintò. Apollonius de *Deucalione*: πρῶτος ὃς ἐξ ἀνθρώπων ἐβασίλευσε, *primus mortalium regnavit*, quod idem tanquam humani generis inſtauratori *Noëmo* poſt *Diluvium* ſcitè adaptari poteſt.

Sexto. *Noë* DEI juſſu inſtructus rerum omnium ad vitam tum hominum, tum animalium ſuſtentandam neceſſariarum copiam, intra *Arcam* comportavit, idem de *Deucalionis Arca* recitat, quam & κίβωτον vocat *Lucianus in Timone*. *Andro Tejus* verò *Arcam* hanc λάρναχα appellat, undè *Parnaſſus mons*, quod illuc ſcapha illa primò appulerit, *Larnaſſus* anteà dictus, deindè mutatâ primâ literâ, *Parnaſſus* ſit appellatus. 6.

Septimo. *Noë*, decreſcente jam aquarum illuvie, columbam primò ad explorandum aquarum decrementum emiſit, quæ cùm non reperiret, ubi requieſceret pes ejus, reverſa eſt ad eum in *Arcam*, & poſteà aliam emiſit, quæ ſub veſperum ad eum reverſa fuit cum viridi olivæ ramo, quem ferebat. Hæc omnia *Deucalioni* adſcribit Plutarchus in Libello de Induſtria animalium ſuprâ citato: οἱ μὲν μυθόλογοι τῷ Δευκαλίωνι φασὶ πεῖσερᾶν ἐκ τῆς λάρνακος ἀφιεμένην δήλωμα χειμῶνος μὲν ἔσω πόλιν ἐνδιομένην, αὖδις δ' ἐπόπτασε. *Sanè qui fabulas narrant, ii columbam ajunt ex* Arca *emiſſam* Deucalioni *certum indicium detuliſſe tempeſtatis, cum rurſus ingrederetur; ſerenitatis verò, cum avolâſſet*. Quis hìc *Deucalionem* cum *Noë* paſſim confundi, non videt? ita ſanè, ut vel ipſum *Noë* nomen in *Philippi* nummo *Arcæ* lateri inſcriptum conſpiciatur, niſi forſan, uti *Falconerius* conjicit, illæ ultimæ tres literæ, inverſo ordine notent NOEMAPA, id eſt, APAMEΩN. Sed cur reliquæ inſcriptionis literæ, non inverſo, ſed recto ordine expreſſæ ſpectentur? Cur prima litera N. non pariter inverſa N. cernitur? nihil igitur dubito, quin per hanc vocem NΩE, cujus nomine in ore hominum nihil in *Syria*, & *Meſopotamia*, quemadmodum in *præcedentibus* docuimus, erat frequentius, ubique à primævis iſtorum locorum hominibus ad poſteros traducto, nativo nomine indigitaverint. 7. Columbæ emiſſio. *Plutarchus.*

Octavo.

8. *Lucianus.* *Octavo.* Lucianus, si quis alius fabulosum *Deucalionis* Cataclysmum ad *Noëmi* exemplum expressit, Syntagmate de Dea Syria:

Δευκαλίων δὲ μοῦνος ἀνθρώπων ἐλίπετο εἰς γενεὴν δευτέρην, εὐβουλίης δὲ, καὶ τοῦ εὐσεβέος εἵνεκα, ἡ δὲ τῇ σωτηρίᾳ ἥδε ἐγένετο. λάρνακα μεγάλην, τὴν αὐτὸς ἔχε, ἐς ταύτην ἐσβιβάσας παῖδάς τε καὶ γυναῖκας ἑαυτοῦ ἐσέβη, ἐσβαίνοντι δέ οἱ ἀπίκοντο σύες καὶ ἵπποι, καὶ λεόντων γένεα, καὶ ὄφιες, καὶ ἄλλα, ὅκοσα ἐν γῇ νέμονται πάντα ἐς ζεύγεα, ὅδε πάντα ἐδέκετο, καί μιν οὐκ ἐσίνοντο ἀλλά σφισι μεγάλη διόθεν φιλίη ἐγένετο, καὶ ἐν μιῇ λάρνακι πάντες ἔπλευσαν, ἔστε τὸ ὕδωρ ἐπεκράτεε. Id est, Deucalion *autem solus hominum relictus est, in secundam generationem, prudentiæ & pietatis causâ, servatus autem est hoc pacto. Magnam quandam* Arcam, *quam ipse habebat, liberis & uxore in eam impositis conscendit; Ingredientem secuti sunt Porci, Equi, Leones varii generis, & alia quæcunque pascuntur in terra, bina cuncta, quæ omnia excepit, nec ipsum lædebant, sed magna inter eos divinitùs erat concordia, unàque in* Arca *omnes navigarunt, quamdiù aqua superfuit.* Quis hîc non videt, hæc omnia ex *Sacris Geneseos libris* de *Arca Noë* deprompta fuisse? *Noë* siquidem ingruente *Diluvio*, atque *Arcæ* à DEO inclusus, solus ex hominibus cum suis relictus fuit, in renascentis Mundi instaurationem, eò quod ipse solus ob fidem, & pietatem invenerit gratiam in conspectu Domini; qui & præcepit ei, ut *Arcam* hanc magnam, in qua ad in ea semen tam hominum, quàm animalium conservandum construeret; liberis & uxoribus illi unà impositis; juxta illud: *Ingredere tu, & filii tui, & uxores filiorum tuorum, & ex omnibus animantibus, quæ vivunt super terram, bina ad te venient, ut serveris tu, & filii, & uxores filiorum tuorum, unà cum animantibus.* Ut proindè nulli ampliùs dubium esse debeat, quæ de *Noëmo SacraScriptura* dicit, ea *Deucalioni* esse afficta: Quin & Plato expressis verbis ait: Τοῦτον ἕλληνες μὲν Δευκαλίωνα, Χαλδαῖοι δὲ Νῶε ἐπονομάζουσι, ἐφ' οὗ τὸν μέγαν κατακλυσμὸν σηνέβη γενέσθαι. *Quem* Græci Deucalionem, *illum* Chaldæi Noë *nominant, cujus ætate ingens illud* Diluvium *accldit*; cui subscribit Theophilus Antiochenus in Libris ad Autolycon, Νωὲ καταγγέλλων τοῖς ἀνθρώποις μέλλειν κατακλυσμὸν ἔσεσθαι; καλεῖ ὑμᾶς ὁ Θεὸς εἰς μετάνοιαν, διότι οἰκείως Δευκαλίων ἐκλήθη. Noë *mortalibus* Diluvium *prædixit, hortans: Venite,* DEUS *nos ad pœnitentiam vocat; indè propriè* ἀπὸ τοῦ καλεῖν, id est, *à vocando* Deucalion *dictus fuit.* Sed hæc jam de Numismatis expositione sufficiant. Restat modò, ut quid binæ illæ figuræ *Arcam* in Numismatis præcedentes significent, pro modulo nostro exponamus. *Falconerius* hanc *Deucalionem*, & *Pyrrham* uxorem ejus coniicit, qui ex *Themidis* Oraculo magni parentis post tergum ossa vectant. Verùm ut hæc fabula penitiùs elucescat, eam hîc ad meliorem Numismatum propositorum comprehensionem, exponamus.

Omnia signa, quibus *Noë* describitur, docti *Deucalioni* adscribunt.

Theophilus Antiochenus.

Deucalion à καλεῖν dictus.

Itaque *Mythologus* fabulam refert hoc pacto: *Deucalion* cum jam post columbam emissam, neque amplius redeuntem comperisset, siccum jam alicubi esse Terræ solum, idque non longè abesse, eò cum scapha trajecit, quò cum *Pyrrha* egressus *Themidis* Oraculum quæ tunc responsa dabat, adiit sciscitaturus, quo pacto, si ita *Diis* placeret, humanum genus reparari possit, hoc verborum tenore apud Ovid. lib. 1. Metamorph.

Fabula.

Dic Themi, *quâ generis damnum reparabile nostri*
Arte sit, & mersis fer opem mitissima rebus.
Mota Dea *est, sortemque dedit; discedite Templo*

Et velate caput, cinctasque resolvite vestes
Ossaque post tergum magnæ jactate parentis.

Propositio fabulæ.

Sors itaque fuit, velato capite jactare post tergum ossa magnæ matris. Quibus diù cogitatis cum partim difficillimum cognitu id esse judicarent, locis omnibus limo obductis, partim etiam impium DEÆ responsum videretur, si etiam mortuorum ossa, quæ ubinam essent locorum, nescirent, effodere & movere juberentur. At venit tandem in mentem *Deucalioni*, communem omnium matrem, & altricem esse Terram, cujus ossa dici non incongruè saxa ob duritiem possint; quæ pulchrè Ovidius citato loco explicat.

Obstupuêre diù, rumpitque silentia voce
Pyrrha *prior, jussisque* Deæ *parere recusat.*
Detque sibi veniam, pavido rogat ore, pavetque
Lædere jactatis maternis ossibus umbras.

Verum *Deucalion* cum resistentem vidisset *Pyrrham*; id mysterio non vacare, quod DEA jussisset, suspicatus, statim subjunxit, nodumque *Pyrrhæ* exposuit, hisce verbis:

Magna parens Terra est, lapides in corpore Terræ
Ossa reor dici; jacere hos post terga jubemur.

Quibus verbis, ex saxis homines instaurandos innuit: Græcis enim λαοὶ *populi*, & λαὸς *Lapis* quoque dicitur, uti ex sequenti patet.

Ἐκ δὲ λίθων ἐγένοντο βροτοὶ λαοὶ δὲ καλοῦνται.

Ex Saxis homines sunt nati, Laique vocantur.

Hanc fabulam *Juvenalis in Satyra* paucis versibus comprehendit; & *Arrianus l. 2. Rerum Bithynicarum*, quamque in suprà propositis Numismatis per duas illas figuras, quæ *Deucalionem* & *Pyrrham* notant, velato capite, brachiisque in cœlum sublatis *Arcæ* prodromas expressas vides. Quæ, ut dixi, Juvenalis paucis complexus, hoc pacto describit.

Ex quo Deucalion *nimbis tollentibus æquor*
Navigio montem adscendit, sortesque poposcit
Paulatimque animæ caluerunt mollia saxa
Et maribus nudas ostendit Pyrrha *puellas.*

Cæterum quæ *Arrianus lib. 2. Rerum Bithynicarum* de *Deucalionis* Ara *Jovi* liberatori in monte erecta, & de voragine quadam juxta Templum *Jovis Olympii*, in quam aquas *Diluvii* exoneratas fuisse, narrat, ac proinde annuâ sollennitate polentam cum melle, & farina triticea proiicere consueverint; vide *Alios* fusius tractantes. Quid verò, ex saxis homines natos intellexerint *Mythologi*, Dico, quod cum *Deucalion* vir esset bonus, justus & pius, qui ob æquitatem, religionemque suam non solum *Promethei*, sive prudentiæ filius sit creditus sed etiam ab aquarum impetu, DEO protegente *Deucalion* & *Pyrrha*, omnibus nefariis in *Diluvio* perditis hominibus servatus fuit: Est enim initium sapientiæ timor Domini; undè & prudentiæ filius appellatus fuit; cum viros bonos, & justos omninò mergi non patiatur DEUS, quos fluctuare quidem patitur, sed dat cum tentatione proventum. Verùm cum homines rudes, & religionis cultusque Divini nascerentur ignari, dicti sunt lapides, qui à *Deucalione* & *Pyrrha* ad meliorem vitam instructi in homines conversi videbantur. Habes hîc Tropologicam fabulæ expositionem.

Quomodo saxa homines dici possint.

Ex quibus jam ordine expositis, luculenter patet, veteres *Mythologos* pleraque de *Deucalionis Diluvio* & *Arca* ejusdem, de γιγαντομαχίᾳ, occasione Turris Babylonicæ, cæterasque fabulosas Poëtarum narrationes ex *Sacra Bibliorum historiâ* deprompsisse. Verùm cùm de hisce in nostro *Oedipo Ægyptiaco, primo & secundo Tomo*, uti & in *Obelisco Pamphilio*, per parallelam quandam comparationem, quàm uberrimè egerimus, eò Lectorem remittimus.

Pleraque fabularum figmenta ex *SS. Literis* extracta.

CA-

CAPUT VII.

HYDROSTATICUM

De pondere Arcæ, *& quantum illa intra aquas, tam hominum, quàm animalium, nec non commeatus onere aggravata ſubſederit.*

CUm omnes *Authores*, & *hujus loci Interpretes*, de ſubſidentia *Arcæ* intra aquas diſsentiant, quibuſdam eam quinque, nonnullis ſex, aut ſeptem, aliis octo, decem, aut etiam quindecim cubitis ſubſediſse exiſtimantibus; verum cum hæc non niſi ex ponderе *Arcæ* cum omnibus in ea contentis deprehendi poſſit, mearum partium eſſe cenſui, rei veritatem hydroſtatica demonſtratione, hoc loco manifeſtare. Supponimus itaque ex *L. Archimed.* περὶ τῶν ὀχουμένων, id eſt, *de iis, quæ vehuntur in aquis.*



Propoſ. 1. *Omne corpus ſolidum materiæ ponderoſioris, quàm aqua, neceſſariò ad fundum uſque demergi uti* A.

Propoſ. 2. *Omne corpus ſolidum æquè grave ac aqua, cujus locum occupat, infra aquas datum locum ſervare ut* B.

Propoſ. 3. *Omne corpus ſolidum levius aquâ, cujus locum occupat, non omnino mergi, ſed aliquouſque extra aquam eminere,* Atque de hoc ultimo impoſterum agendum erit.

Theor. Dico itaque corpus ſolidum materiæ levioris, quàm aqua cui innatat, ponderoſitate æquale eſse tantæ aquæ moli, quanta ſui parte demergitur. Quod ita demonſtro.

Sit corpus ſolidum A B. quod materiam habeat leviorem aquâ B E, in quam immittitur; ſolidi autem ſuperficies A B. pars in aquam immerſa E B. Dico ſolidum A B. pondere æquari aquæ E B. quæ æqualis eſt parti in aquam C D demerſæ.

Demon: In vaſce ſuperficiario A B loco ſolidi corporis A B. ſubſtituitur aquæ copia tanta, quæ ipſum eadem altitudine, quâ prius in aquam immergat. Quibus poſitis aqua E B. contenta vaſe ſuperficiario E B. ſolido corpori neceſsariò æquiponderabit; quia vas idem eadem altitudine immergunt. Ergo ſolidum corpus materiæ leviori, quàm aqua, in quam immittitur, æquiponderat tantæ aquæ moli, quantâ ſui parte demergitur, *id eſt*, corpus ſolidum A B. ponderoſitate ſua æquale eſt aquæ quæ contineretur in immerſa ſolidi parte E B. Sed hoc paulò luculentius applicemus navi marinis aquis immerſæ.

Sit

Sit navis ABCD. aquæ EF. immerſa, cujus aquæ pes cubicus ponderet 70 libras, ſolidi verò coporis, ſive navis pars aquæ immerſa BIC. magnitudo ſit 10000. pedum cubicorum: Quæritur quantum ponderis habeat tota navis ABICD. quæ illo vel continentur, vel innituntur; Sic age: Mul-

tiplica 10000 per 70. prodibunt 700000 libræ. Dico, quod univerſa navis ABICD. æquiponderat, juxta *Theorema* 4. aquæ æquali corpori BIC. *id eſt*, tanta aquea moles BIC. pendet 700000. libras; ergò tota navis ponderabit tantidem, quod erat demonſtrandum.

Sit itaque *Arca* ABCD. 300 cubitorum longa; 30 alta, quæ, ut in præcedentibus oſtendimus, in ſe ducta dabunt 15000 cubitos quadratos totius ſuperficiei quam primum tabulatum *Arcæ* continet; 30. verò *Arcæ* altitudo in ſuperficiem 15000. cubitorum quadratorum ducta, producet cubitos ſolidos ſeu cubos 450000. quibus tota habitabilis *Arcæ* capacitas expletur; reſtat hiſce addenda ſentina, quam quia in *præcendenti libro* 4. cubitorum altam poſuimus, illa in ſuperficiem tabulati 15000 cubitorum quadratorum ducta, id eſt, 4. in 15000 producent 60000 cuborum cubitalium: his adde tecti ſub uno cubito conſummati cubos cubitales, produces 300 cubitos cubicos. Verùm cum tectum *Arcæ* A. F. B. in E B. juſſu DEI in cubito conſummatum di-



ximus, erit capacitas baſis tecti, non 300 cubitorum ſolidorum, ſed 150. uti ex triangulorum dimenſione patet, quæ juncta 60000 cubitorum ſolidorum, faciunt 60150. hæc addita ad 450000 faciunt 510150 totam, & univerſam *Arcæ* capacitatem in cubicis, ſive ſolidis cubitis.

Ut

Ut modò habeatur pondus totius *Arcæ*, in pondere librarum, ita proceſſimus ; Cum itaque Palmus Romanus duodecim unciis conſtet, ſemipalmarem cubum ex ferreis laminis fieri curavimus, invenimuſque eum quatuor unciarum pondus habuiſſe ex ſtatera ſuſpenſum, deindè aqua ad ſummum uſque eum replevimus, & lanci impoſitum 8 librarum pondus, invenimus; ut verò cognoſcas, quot libras contineat cubus cubitalis, ſive cubitus cubicus; ita age, cum cubitus æquivaleat tribus palmis Romanis, duc 3. in ſe, & habebis 9. quæ ſunt quadrati palmi ſuperficies, 9. iterum multiplicentur per 3. & habebis 27. cubos palmares, quibus unus cubitus ſolidus, ſeu cubicus conſtat. Rurſus quia cubus palmaris aquâ repletus octo libras pendet, uti paulò antè dictum fuit, duc 8 in 27. habebiſque 216 libras, tot enim libras vas cubicum cubitale continet, quæ diligenter ſerves.

Hiſce jam clarè propoſitis, jam ad inſtitutum noſtrum revertamur, quod fuit: pondus totius *Arcæ* in libris, pro diverſa *Arcæ* intra aquas ſubmerſione reperiri; & ſicuti de ea ſumma apud *Interpretes* eſt controverſia, aliis eam 5.6.8. cubitis, aliis 10. aut 12. nonnullis quoque 15. cubitis ſubmerſam exiſtimantibus; ita nos ſummerſionem à 5 cubito incipientes, ad 30 totius *Arcæ* altitudinis cubitos computavimus, ex quibus deindè quiſque ex ſummerſione *Arcæ* intra aquas opinioni ſuæ congrua, totius *Arcæ* pondus infallibili conſequentia cognoſcere poſſit. Ponamus autem primò, *Arcam* quinque cubitis intra aquas ſummerſam fuiſſe; ut pondus reperias *Arcæ*, ſic age:

1. Multiplica primò 15000 quæ eſt ſuperficies fundi totius *Arcæ* in cubitis quadratis per 5. cubitos, quibus *Arca* ſummerſa aſſumitur infra aquas, & prodibunt 75000. cubiti cubici, quibus junge 60150 aggregatum cubitorum ex ſentinæ & tecti cubitis conſtitutum, & provenient 135150. cubiti cubici, quibus expleretur ſpacium illud *Arcæ*, quod *Arca* 5. cubitos ſubmerſa occupat, & in figura ſignatur per literas C.D.S.T quod aqueum parallelopipedum tibi imaginaberis. Rurſus hoc ſpacium 135150 cuborum, ſi per 216 (tot enim libras unus cubus cubitalis continet) multiplices, provenient 29192400, tum aqueæ molis S.T.C.D. pondus in libris, & conſequenter, tota *Arca* cum omnibus in ea contentis: juxta 3 & 4 *Theorema* totidem libras ponderabit.

2. Sit jam *Arca* ſummerſa octo cubitos, ut pondus totius *Arcæ* comperias, ſic age: Duc 8 in 15000 parallelogrammam totius *Arcæ* ſuperficiem in cubitis quadratis, & provenient 120000. cubiti cubici, quibus ſi addideris aggregatum cuborum ſentinæ & tecti *Arcæ*, 60150. prodibunt 180150 cubiti cubici, totius illius aquei ſpatii, quod *Arca* 8 cubitis ſubmerſa occupat: hos multiplica per 216 & provenient 38912400. pondus ſpatii P.Q.S.T. in libris; & quoniam tota *Arca* cum omnibus contentis, huic aqueo ſpatio, juxta 364. *Theorema* æquiponderat, erit & *Arcæ* pondus librarum 38912400.

3. Sit porrò *Arca* jam immerſa 10 cubitis; ut ſcias pondus aquæ, cujus ſpacium *Arca* 10 cubitis ſubmerſa occupat, ſic age: Duc, ut in præcedentibus 10 in 15000 ſuperficiem fundi *Arcæ*, & prodibunt 150000; quibus junge aggregatum ſentinæ & tecti 60150 provenient 210150 cuborum cubitalium, quibus conſtat ſpacium aqueum, cui *Arca* immergitur 10 cubitis, & ſignatur per literas V.X.S.T. hoc multiplica per 216 & provenient 45392400 totius *Arcæ* cum omnibus in ea contentis pondus librarum.

Haud aliter in cæteris proceder; ut ſi *Arca* 12. ſi 18. ſi 20. 25. aut 30. immerſa fuiſſet, quantum pondus *Arcam*, cum omnibus in ea con-

tentis habuiſſe comperias; & comperies quod, quantò pluribus cubitis *Arca* immerſa fuerit, tantò pondus cum omnibus in ea contentis ſemper majus futurum; ità quidem ut ſi *Arca* ad 30 cubitos ſubmerſa fuiſſet, dico, *Arcam* quoque totaliter ſubmerſam fuiſſe, juxta *Theorema* 1 & 2. Sed ut hæc omnia propiùs intuearis, hîc totius Calculi Epilogiſmum apponam, ex quo, uno quaſi ictu oculi, videbis, ex cubitis immerſæ *Arcæ*, quantum ipſa cum omnibus in ea contentis ponderarit.

Epilogiſmus Calculi propoſiti.

Si *Arca* ſubmerſa fuit:	Cubitis,	Tum *Arca* pependit libras:
5		29192400.
8		38912400.
10		45392400.
12		49712400.
15		61592400.
18		71312400.
20		77792400.
25		93992400.
30		110192400.

Vides igitur, ex differenti pondere *Arcam* ſemper nonnihil extra aquas eminuiſſe, & tantò minùs, quantò altiùs fuit ſummerſa, ita quidem, ut ſi ad 30 cubitos ſubmerſam ponamus, certum eſt ut illa ex æqualitate ponderis, cum aqua, cujus locum occupabat, totam ſummerſam fuiſſe ex demonſtratione pateat juxta *propoſ.* 1 & 2.

CAPUT VIII.

De Miniſterio & Adminiſtratione Animalium quâ Noë *cum filiis ſuis & uxoribus eorundem diſtinebatur in* Arca.

Exacta *Noëmi* in adminiſtratione *Arcæ* cura & diligentia.

IN tanto rerum adminiſtrandarum à DEO *Noëmo* impoſito munere fidelem DEI ſervum minimè otioſum fuiſſe cum filiis, nemo, qui tanti negotii monumentum rectè perpenderit facilè crediderit. Erat *Noëmo*, quemadmodum in 1 *libro* fusè oſtendimus, à DEO totius animæ viventis œconomia commiſſa; erat poſteri & renaſcentis mundi inſtaurator à DEO conſtitutus; erat jam à DEO in totius hujus machinæ miniſterio rectè piéque obeundo, Divini Numinis inſpiratione illuminatus, & perpetua DEI aſſiſtentia fultus; undè proculdubio ex ſumma in DEUM fiducia, ex ardenti, quo DEUM proſequebatur, amore, ex obligatione, qua in negotio omnium maximo ritè perficiendo tenebatur, minime perfunctoriè, ſed incredibili curâ, diligentiâ, & ſollicitudine, nec non exquiſiti ordinis ratione ſervata, munus ſibi concreditum adminiſtrâſſe, cenſere debemus. Sed jam, quomodò *Noë* cum ſuis in *Arca* ſe geſſerit, quomodò omnes boni & fidelis œconomi partes exſolverit, & non tam quid reipsâ egerit, hoc enim ſcire non poſſumus, ſed quid noſtro, id eſt humano more virum prudentiſſimum agere potuiſſe, & debuiſſe conjicimus exponamus.

Primò itaque indubiè, inter filios uxoreſque filiorum, tum animalium, tum commeatus adminiſtrationem

eo

eo ſtudio diſtribuiſſe, credere fas eſt, ut in tanta rerum cura nullus defectus committeretur. Erat ſiquidem de quotidiano victu cunctorum tam quadrupedum, quàm volatilium, reptiliumque neceſſitati providendum de modo & ratione, quibus alimenta, ad ea congruè ſuſtentanda diſtribuerentur, cogitandum; quibus ad ſingula ſingulorum ſtabula, & caveas comportandis ſummus & ordo, & temporis ratio requirebatur: Summo itaque diluculo, vero haud abſimile eſt, eum coactâ ſua familiâ, primò eam ad Divini Numinis juſſa omni ſtudio & diligentia perficienda, ad patientiam in tot tantiſque laboribus DEI cauſa ſubeundis, ad fiduciam & ſpem in Divina aſſiſtentia concipiendam, exhortatum fuiſſe.

Adhortatio *Noë* ad filios qua ad fiduciam in DEO ponendam & patientiam in laboribus animabat.

Secundò; eum tanquam ſupremum rerum benè gerendarum præſidem, victum ſingulis tam quadrupedibus, quàm volatilibus appropriatum ex majoris Penuarii reconditoriis, ſuos depromi juſſiſſe; & ne in tanta ſtabulorum multitudine, ex convenienti ciborum diſtributione error committeretur, ſingula ſtabula, illum nominibus ipſorum animalium propriis, uti & reconditoria *Magazini* correſpondentibus ſignis, ad confuſionem vitandam, prænotâſſe; hoc enim pacto adminiſtratores filii conſtitutum ſingulis animalibus cibum meridiano tempore ſine errore diſtribuere poterant. Laboribus hiſce finitis, eos pariter ad reſtauranda corpora, ſic dictante Naturâ, prandium à fœminis interim præparatum, in communi cænaculo ſumpſiſſe, arbitramur: Poſt prandium verò, quotidiana conſilia, de *Arcæ* cura, de difficultatibus occurrentibus, ſimilibuſque inter ſe agitaſſe putamus: quibus omnibus ſolutis, novos adoriebantur labores. Primò enim obeuntes *Arcam*, ad explorandum, quomodò animalia quadrupedia, quomodò volatilia ſe gererent; quibus opus haberent; num aquæ ſufficienti potu indigerent; num inter ſe quietè viverent; obſervabant; cuncta verò animalia etiam ferociſſima, *Noëmo* prætereunti, eo, quo poterant, modo, ſubmiſſis cervicibus reverentiam obedientiamque, tanquam unico eorum conſervatori præſtitiſſe, quibus & ipſum quà voce, quà geſtibus abblanditum fuiſſe, piè credere poſſumus. Quoniam verò animalia indies bis reſtaurari ſolent, credibile eſt, ſub veſperum de victu novo, omnibus & ſingulis animalibus proviſum fuiſſe, aquas ad potum comportatas fuiſſe, cura vero de volatilibus, fœminis relicta, in victu ſingulis ſpeciebus proportionato, diſtribuendo, occupatis, & diſtentis: *Noëmo* interim, quantum carnivora animalia, carne, non carnivora verò, quanto fœno, paleis, avenâ, cæteriſque cibariis frumentaceis indigerent, pro quotidiano alimento ſub certa menſura præſcribente, & ad ſtateræ leges determinante: quam menſuram deinde ex Penuario majori in Zootrophium inferius, partim per ſcalas in fine *Arcæ* poſitas deferebant, partim per clathratas cataractas in Zootrophium inferius dimittebant; partim denique per deſtinatas cataractas in ſuperius Ornithotrophium pro volucribus, per trochleas in hunc finem adaptatas per funes trahebant. Duo hîc conſideratione digniſſima occurrunt. Primo animalium gubernandorum multitudo, & labor ingens, quo octo ſolummodo homines perpetuo occupabantur; qui ſane tàm arduus, & exceſſivus fuit, ut niſi illi divinitus confortarentur, tot tantiſque laboribus ſuccumbere, neceſſe fuiſſet. Non finiebantur hîc labores, dum ſingulis hebdomadis ſtabula ab excrementorum colluvie, ne tot animalia, tum fœtore, tum propriis ſordium cumulis putrefacta exanimarentur, ingenti labore, expurganda eſſent. Magnam itaque in emundanda *Arca* curam impenſam fuiſſe, quis non videt? Quia verò undique & undique *Arca* clauſa, exitus non dabatur, illæ in ſentinam, infimum

Commeatus, inter animalia diſtributio.

Erga *Noëmum* animalium reverentia & obedientia.

Mundatio *Arcæ* à ſordibus & excrementis animalium.

Arcæ locum, qui, uti paulò antè oſtendimus 60000 cuborum cubitalium capax erat, per cataractas in *Arca* expreſſas devolvebantur; & nè apertæ halitu ſuo *Arcæ* aërem inficerent, denuò poſt evolutionem ſordium arctè claudebantur. Quia verò perpetuus animalium halitus, ſtercorumque abundantia, tum lucernarum, queis diu noctuque continuò in caliginoſo carcere utebantur, effumatio *Arcæ* aërem mirum in modum condenſabant, ſpiraculis ratione dictante, opus erat, ut per ea, infecta halitibus aura nonnihil eventilaretur, & novus aër per eadem ad animantia, ne palpabili auræ corpulentiâ ſuffocarentur, recreanda, attraheretur. Non ignoro, de hiſce jam propoſitis *Sacrum Textum* prorſùs ſilere, novi tamen etiam, DEUM præter ſubſtantialem *Arcæ* fabricam ipſi præſcriptam, multa in ea ad omnem uſum accommodanda, ingenio & induſtriæ *Noëmi* reliquiſſe, ſiquidem uti puro miraculo Divina providentia *Arcam* regi nolebat, ita quoque, quæ ad animalium conſervationem neceſſaria videbantur, *Noëmo* humanâ induſtriâ exequenda commiſit. Neceſſaria itaque erant ſpiracula, quæ uti in *Præcedentibus* eo artificio adaptata fuerunt, ut *Arcam* ab omni aquarum inſinuatione liberam & immunem rederent: Cum nemo concipere poſſit, quomodò aliter unius anni decurſu, intra *Arcam* undique clauſam, in tanta aëris infecti depravatione & homines & animantia vitam tolerare potuerint; quam artificioſam ſpiraculorum hujuſmodi conſtitutionem ſine aquæ introëuntis metu, in *Præcedentibus* expoſitam reperies. Ne verò omne lumen tantoperè neceſſarium, ab *Arca* prorſùs excluſum videretur, feneſtra opus erat; quæ non ex opaca quadam materia, ſed uti plerique ferè *Interpretes* ſentiunt, ex diaphana materia conſtabat, quin vel ipſe *Symmachi Textus*, loco feneſtræ expreſſè διαφανὲς habet, quaſi diceres, feneſtram diaphanam & pellucidam quæ lumen nonnullum præberet; quia verò unica feneſtra ad *Arcam* univerſam nonnihil illuminandam non ſufficiebat, veriſimile eſt, *Noëmum* ex eadem materia quaſdam laminas diaphanas in ultimis *Arcæ* lateribus, contabulationi ita inſeruiſſe, ut infimum animalium hoſpitium per eas aliquantulum illuminatum, animantia in illa horrenda tenebrarum caligine perpetuo commorantia, nonnulla lucis fruitione recrearet. Qui verò rejecto noſtro ratiocinio, animalia à DEO ſupernaturali modo, ſine lumine, ſine novæ auræ attractione, ſine cibo & potu, perperam, ne dicam inſipienter, conſervata fuiſſe cenſet, illum *Sacro Textui* apertè contradicere, luculenter patet; Si enim ſolo miraculo *Arcam*, atque in ea cuncta animalia conſervare voluiſſet, non opus erat, DEUM *Opt. Max.* tam exactâ menſurâ *Arcæ* fabricam, cum omnibus manſionibus, & nidis in ea contentis *Noëmo* præſcripſiſſe; poterat enim is in aliquo loco ab omni *Diluvio* immuni, ſine *Arca*, totum viventis animæ genus, ſolo voluntatis ſuæ nutu, conſervare: Non erat opus, *Noëmum* juſſu DEI intra *Arcam* omnia alimentorum genera, tum pro ſe, tum pro animantibus, ut vivere poſſent, congerere: poterat enim is ſine cibo, & potu id abſolutâ ſuâ potentiâ, præſtare. Cum itaque DEUS, humanâ induſtriâ *Arcam* conſervare ſibi complacuerit, certum eſt, *Noëmum* ex directione Divini Numinis eâ induſtriâ *Arcam* adminiſtràſſe, eo ingenio diſpoſuiſſe omnia, ut neque lumen ei, neque aëris recentioris affluxus deeſſet; quod niſi factum fuiſſet, animalia, non niſi miraculo, in tanta carceris obſcuritate, in tanta tamque inexhauſta fimi ſordiumque coacervatione vitam tolerare potuiſſe. Verùm ne omne miraculum ab *Arca* excludamus, hanc Regulam ponimus, & dicimus: Quandocunque aliquid à *Noë* conficiendum à DEO præcipiebatur, quod

Aëris novi per ſpiracula attractio.

Induſtriæ *Noë* DEUS multa conſtituenda reliquit.

Luminis intra *Arcam* ratio.

Feneſtræ *Arcæ.*

DEUS non miraculo puro ſed more humano, conſtrui & gubernari voluit *Arcam.*

Quando DEUS in *Arcæ* adminiſtratione, miraculo, quando non concurrit.

quod vires Naturæ, humanumque ingenium longe excederet, tum DEUM quoque ſuâ omnipotentiâ humanæ potentiæ defectum ſuppleviſſe, uti in animalium in *Arcam* introducendorum congregatione patet; quod negotium uti viribus humanis longe erat ſuperius, ita quoque DEUM cooperari neceſſe erat; ſi verò opus humanam potentiam non excederet, id quoque propriis ingenii viribus *Noæ* conficiendum reliquiſſe, ut ex jam dictis patet, qui & *Arcam* ita accommodârat, ut & ſufficiens lumen reciperet, & aurâ recentiori eventilatâ, ſine ullo aquarum ſubintroëuntium metu, ad animæ viventis refocillationem, & ſalutem continuò perflaretur: poterat enim & in tecto, & in *Arcæ* extra aquam eminentis lateribus ſpiracula is eo artificio diſponere, ut & aërem reciperet recentem, & aquam non admitterent, præſertim cum ab aqua ſuis librata ponderibus, nullum ab aquæ inſinuatione periculum eſset; ſed hiſce jam propoſitis, ad actiones *Noëmi* filiorumque revertamur.

Sub veſperum itaque animantibus jam de ſufficienti pabulo proviſo defeſſi in conſtitutam iis habitationem cœnaturi contendebant; ubi refecti poſt nonnullam confabulationem peractam, quieti ſe committebant; quod antequam fieret, *Noëmus* tanquam vigil *Arcæ* miniſter unà cum filiis ſuis lucernis inſtructi denuò *Arcæ* ambulacra ad cognoſcendum, utrum omnia rectè cum animalibus gererentur, utrum portarum clauſura ſibi conſtaret, nec non præſentiâ ſuâ clamores tumultuſque animalium coërceret, perambulabat. Atque hoc pacto, & juxta præſcriptum laborum cenſum, & ordinem ſingulis totius anni diebus eum proceſſiſſe, à veritate minimè abludit.

CAPUT IX.

De Myſtico-allegorico-tropologica Arcæ *Expoſitione.*

QUemadmodum DEUS *Optimus Maximus*, quæcunque in *Sacris Literis* nobis per *Moſen*, *Prophetas*, & cætera *Hagiographa*, ſub ſacræ hiſtoriæ forma ad literam propoſuit, ita quoque humanum intellectum, iis ſolummodò, veluti nudo cortici inhærere noluit, ſed per ea veluti ἐν τῷ τύπῳ, & altioris contemplationis argumento, variis ænigmatis & allegoriis involuto, homines ad altiora Divinæ providentiæ Sacramenta perſcrutanda, erigere conſtituit; quod vel maximè in hujus *Noëmicæ Arcæ* conſtructione luculenter apparet, quæ videlicet inter omnia Divinæ potentiæ monumenta & miracula præcipuam commendationem admirationemque habet. Quid enim opus erat, *Noëmum* tot annorum tempus in *Arca* conſtruenda inſumere? quid intererat, totum viventis naturæ genus, & ſpeciem intra *Arcam* cogere? iis de nutrimento providere? nec non toto unius integri anni decurſu, unà cum octo animabus perditi Mundi reliquiis duriſſimam incarcerationem ſuſtinere? cum abſque hac apparatûs magnitudine ſolo verbo ſuo FIAT, & Mundum perdere, & unà *Noëmum* cum ſua familia, & univerſis animantibus ubi Divinæ providentiæ viſum fuiſſet, conſervare potuerit. Alia itaque ſub admiranda hac *Arcæ* fabrica latent Myſteria, ut videlicet per viſibilia hæc, quæ facta ſunt, in inviſibilium contemplationem raperemur; quod ut paulò luculentiùs exponatur, ſit

Omnia in *Sacris Literis* myſtica ſunt.

Ἐπιχήρημα I. *Physiologicum.*

Quemadmodum itaque ob solum hominem Divina sapientia universi Mundi compagem, & quæcunque ejus ambitu continentur, condidit, ita quoque hominem quoddam veluti Mundi majoris compendium, quem *Græci μικρόκοσμον* vocant, *κατὰ τὴν ἀναλογίαν*, ita condidit, ut nil in illo, quod non in hoc quoque sub constituta quadam proportionis adumbratione contineretur; per utrumque verò altioris dispositionis finem ultimum, qui est intellectualis, & invisibilis *Mundi Archetypi*, cum æternæ felicitatis gloria fruitio, homo tandem unicè ad hoc destinatus bearetur; Quomodò verò id per *Arcam* expresserit, videamus.

Proportio *Arcæ* partium ad invicem.

Diximus in *primo lib. Arcæ*, fabricam humani corporis exacta quadam proportionis lege correspondere; siquidem ad longitudinem *Arcæ* trecentorum cubitorum sextupla fuit latitudo ejus, 50. cubitorum; consimili ratione humani corporis longitudo, à vertice usque ad plantam sexies tantùm habet, quantum latitudo à latere ad alterum latus, & decies tantum, quantum altitudo cujus altitudinis mensura est in latere à dorso ad ventrem; ita ut mensura hominis jacentis & supini, quoad longitudinem se habeat, ad latitudinem, ut 50. ad 300, sub proportione sextupla, & crassities corporis à dorso ad ventrem sit in decupla proportione, ut 10 ad 30. Quæ omnia non minùs congruè, quàm pereleganter exponit S. Ambros. de Arca: Arcam, inquit, *si quis impensiùs considerat, inveniet in ejus descriptione humani corporis figuram exactè descriptam.* Fac, *inquit* DEUS, tibi *Arcam* de lignis levigatis, *in Græco est, ἐκ τῶν ξύλων τετραγώνων; quadratum appellamus, quod suis omnibus partibus consistat, & conveniat sibi. Porrò sicuti lignea* Arca *trinam dimensionem habet, siquidem,* DEUS *300 cubitorum longitudinem, latitudinem 50. & 30 altitudinem servandam esse præscripsit, ita & in nostro corpore summa, media & minima distantia est, secundum longitudinem summa, media secundum latitudinem, minima secundum altitudinem, totum tamen corpus contentum ex singulis membris, quadratum videtur.* Nidos facias in Arca. *Quæ quid significent, exponam. Est corpus nostrum ad instar nidi constructum, ut spiritus vitalis omnes partes viscerum penetret, atque sese diffundat per artus singulos. Nidi quidam sunt oculi, quibus sese visibilium rerum species insinuant: Nidi sunt nostrarum sinus aurium, per quos acusticæ sonorum species ingeruntur: Nidus est narium, quibus odoriferarum rerum halitus se infundunt; Nidus est hiatus oris, in quem nutritiva ciborum condimenta suscipiuntur; Nidus est cerebrum, cogitationis & sapientiæ receptaculum; Nidus est pulmo aëris, quo vivimus alimurque: Nidus spiritus & sanguis est; ossium nidus medulla est, & cætera*, quæ quam fusissime deducit Divus *Ambrosius*. Sed quoniam hanc analogiam corporis humani in *primo Libro* fusè deduximus, ad eum, Lectorem remitto.

Nidorum in *Arca* ad membra comparatio.

Ἐπιχήρημα II. *Mystico-allegoricum.*

Primo itaque *κατὰ τὴν ἀλληγορίαν*, per *Noë*, virum justum & perfectum, expressus fuit *Christus θεάνθρωπος*: Nomen enim *Noê* נוח, *Requiem* significat, juxta illud 70 Interpretum: *Ipse requiescere nos faciet ab operibus, & laboribus manuum nostrarum in terra, cui maledixit Dominus.* An non hæc aptè *Christo* conveniunt, juxta illud Isaiæ: *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ & intellectus, Spiritus consilii & fortitudinis, Spiritus scientiæ, & pietatis &c. Christus* itaque requies nostra est, juxta quod ipse dicit. *Tollite jugum meum supra vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris.* Non itaque *Lamech* sine Divino quodam instinctu filium suum *Noë*, id est, *Requiem* vocavit, cum de *Noëmo*

Comparatio *Christi* cum *Noë*.

non

non nisi laboribus doloribusque ob Divinam iram & indignationem, quâ mundum perdere constituit, tantum non oppresso, hæc minime congruere videbantur. Totâ igitur hâc nominis etymologiâ *Christus* exprimitur, vera *Requies* & consolatio nostra, qui unica extitit peccatorum nostrorum remissio, quam nobis per Baptismatis gratiam contulit, & cujus veluti typus quidam illud *Noëmicum Diluvium* erat. Nam uti in illo immanibus peccatorum sceleribus contaminata terræ facies periit, ita in hoc misericordiâ *Christi*, peccatis delictisque remissis, ab æternæ mortis pœna liberati sumus. Duplicem itaque *Noë* noster *requiem* nobis præstitit; una ab operibus manuum nostrarum, *id est*, à peccatis, ne conscientiam nostram perturbarent, inquietarent atque divexarent: Alteram, ab ærumnis & miseriis, quibus ob peccata juste subjecti sumus in terra, cui maledixit Dominus, juxta illud Job: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, multis repletur miseriis, &c.* à quibus ne quidem Sancti DEI homines exempti sunt; verùm cum hujusmodi miseriarum afflictionibus, quibus omnes DEI permissione subduntur, animo non dejiciantur, sed spe firmâ ad æternæ felicitatis gloriam consequendam erigantur juxta illud Divi Pauli: *Leve tribulationis nostræ opus supra modum magnum gloriæ pondus operatur in nobis*; quin vel ipsis malis plurimam ad incrementa virtutum, ampliſſimamque meritorum præmiorumque materiam conducentibus.

Lignum *Arcæ* comparatur cum ligno crucis.

Quemadmodum rursus per unum *Noë* totius humani generis reliquiæ per lignum conservatæ fuerunt, sic *Christus* per salutiferum crucis signum, & sacratissimam passionem suam à morte perpetua, humani generis massam peccatis perditam redemit. Quis nescit *Diluvium* peccatorum ante *Christum*? quo totus Terrarum Orbis infidelitatis labe, horrendisque sceleribus contaminatus; quod tamen adventu Servatoris ità diminutum fuit, ut plures tamen peccatores sacrosancta *Christi* doctrina ad DEUM conversi horrendo in hoc infidelitatis Oceano immersi salutem consecuti fuerint, quam in *Noëmico*, quo, præter octo animarum exemptionem omnes perirent ad ipsorum destructionem & interitum.

Comparatio *Ecclesiæ Christi* cum *Arca*.

Porrò dixit DEUS ad *Noë*: *Fac tibi Arcam*, quamnam aliam putaveris hanc *Arcam* fuisse, nisi *Ecclesiam* DEI? quæ uti ex lignis firmissimis, id est, ex omnibus gentium nationibus in æternum victuris compaginata fuit, ita quoque ei mensuras, unicuique congruas addidit, cælestibus Sacramentis consertas; unde Paulus dicit; DEUM *dedisse quidem quosdam Apostolos, Prophetas & Euangelistas, Pastores Doctoresque ad consummationem Sanctorum, in ædificationem corporis* Christi. Quæ *Ecclesia*, non ut *Arca Noëmica* centum annis sed à primis Mundi incunabulis cœpta est usque ad ultimam Mundi consummationem duratura. Præterea *Arca* ingentibus fluctuum turbinibus, in vasto illo aquarum Oceano agitabatur; *Ecclesia* verò DEI quantis nullo non tempore persecutionum fluctibus sit agitata, plena sunt *Ecclesiasticæ Historiæ monumenta*; sicuti tamen *Arca* illa singulari DEI præsidio, ab omnibus ventorum pluviarumque turbinibus immunis semper, libera & invicta perstitit; ita sacrosancta *Ecclesia* juxta *Christi* dictum, & *portæ inferi non prævalebunt adversus eam*. Rursus *Arca* non ex una, sed ex multis lignorum generibus bitumine conjunctis exstructa fuit; sic *Ecclesia* ex multis hominibus cujuscunque tandem conditionis, vinculo charitatis in unione fidei conglutinatis constituta fuit.

Erant autem ligna, ex quibus *Arca* constructa fuit, secundùm quosdam, cedrina, ab omni corruptionis labe immunia, secundum *Vulgatam Editionem*; levigata, secundum 70 *Interpretum Editio-*

Lignorum varietas in *Arca* comparatur cum diversis statibus hominum in *Ecclesia*.

tionem; quadrata, quæ, quam aptè *Ecclesiæ* DEI congruant, exponamus. Inveniuntur in *Ecclesia* homines incorrupti à peccatis, & DEO semper viventes; reperiuntur & fortes ad ferendas injurias, & ad omnia quæcunque adversa ingruerint, toleranda, animositate & constantia invicti; sunt & in ea homines levigati, *id est*, non asperi, non acerbi, non intractabiles, sed mansuetudine, affabilitate, & humilitate illustres, quibus insunt viscera charitatis. Quadrata in *Ecclesia* ligna sunt Sancti Doctores & Magistri *Ecclesiæ*, qui totius *Arcæ* pondus, ut nulla vacillet ex parte, sed quocunque se verterit, fida & solida stabilitate consistat, sustentant; dum hi fideles tam intra eam documentis salutis, verbo commonitionis, & doctrinæ vigore, & gratiâ instruunt, & consolantur, quàm extra eam, infidelibus eam impugnantibus, & quæstionum fluctus, ac disputationum procellas commoventibus, virtute verborum, sapientia, & rationum efficaciâ obsistunt, errores elidunt, & navim *Christi* protegentes in tranquillum securitatis statum conducunt. Erat *Arca* tripertita in infimam, mediam, & supremam contignationem, nec non in varias contignationes, & nidos divisa; ita *Ecclesia* DEI utriusque sexus homines, uti in *Arca*, sub triplici, seculari, Ecclesiastico & Monastico statu, per unionem fidei colligati, & baptismo abluti perfectè *Arcæ* tristega exprimunt, in qua varii diversorum ordinum status sunt: alii siquidem juxta rectum rationis dictamen viventes, non duntaxat ad semetipsos regendos apti, sed & ad alios gubernandos, ac salutiferâ *Christi* doctrinâ instruendos perquàm idonei sunt; atque hi in suprema *Arcæ* regione cum *Noëmo* habitare censentur, ab omni terrenarum rerum curâ sejuncti *Deo* unicè vacantes; verùm cum in *Ecclesia* boni malis permixti contineantur, illi, uti dixi, in sublimitate *Arcæ*, hi in Zootrophio, seu in infimo *Arcæ* fundo cum brutis, & feris consociari videntur, eò quod mundanarum rerum concupiscentiis, & carnis illecebris involuti, Divinorum sacramentorum pabulo neglecto, more brutorum vivant; quæ omnis generis animalibus, tam mundis, quàm immundis exprimuntur. Sunt in *Ecclesia* homines, qui ferocitate Leones, Lupos rapacitate, calliditate Vulpes, luxuriâ Porcos, irâ Canes, exhibent; Sunt quoque, qui mansuetudine Oves, Elephantes religione, castitate Turtures, Gallos vigilantiâ, Aquilas contemplationis sublimitate, exprimunt, qui tamen omnes per Sacramentorum participationem, gratiâ Divinâ cooperante, ad *Christum* verum *Noë Ecclesiæ* mysticæ *Arcæ* navarchum pertingunt, ab eo foventur & nutriuntur in spem vitæ æternæ. In *Arcam* introducta legimus bina ex immundis, ex mundis septena; per hæc septiformis *Spiritus Sancti* gratia, quam DEUS *Ecclesiæ* præstat, signatur; per illa binario numero notata intelliguntur ii, qui recedunt ab unitate pacis, & ad schismata faciles, &, ad discordias dissidiaque movenda proclives sunt. Erat in *Arcæ* penuario ingens omnium ciborum commeatus, ad nutrimentum tum hominum, tum animalium, quibus ali possent; non secus *Ecclesia* maximam continet spiritualium bonorum abundantiam, quibus nutriri possunt, præbetque cibaria tam bonis, quàm malis; bonis quidem cœlestium bonorum promissiones, malis verò æternorum suppliciorum comminationes. Nec verò *Noë* tantum *Arcam* extruxit, sed in eam ipse ingressus, in ea cum suis permansit; ita *Christus* non tantum uti DEUS *Ecclesiam* condidit, sed etiam ut homo in ea conversatus est, & in ea manebit omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Unum denique in *Arca* ostium fuit, per quod, quicunque non ingrediebantur, *Diluvio* periere: *Ecclesia*

Arcæ tres contignationes quibus comparentur.

Ciborum in *Arca* comparatio cum *Ecclesiæ* commeatu.

Ostium *Arcæ* quid indicet.

ſia unum pariter oſtium, qui *Chriſtus* eſt, habet, quicunque per id non ingrediuntur, egrediuntur, illos æternæ felicitatis naufragium pati neceſſe eſt. Innumera hoc loco circa analogiam *Arcæ* cum *Eccleſia* dici potuerunt, ſed hic multis pauca ſufficiant.

Ἐπιχείρημα III. *Tropologicum.*

Documenta ſalutis. Quicunque creſcentibus Mundi malis, & inundantibus peccatorum ſcelerumque tempeſtatibus, à rerum caducarum fluxarumque cura, averterit animum, verbum DEI corde ſuo arctiſſimè concluſum habuerit, præcepta cœleſtia cuſtodierit; is intra cor ſuum verè *Arcam* ſalutis æternæ ædificaverit, ab omni ventorum *Diluviorumque* turbine liberam & immunem: is dico longitudinem, latitudinem, altitudinemque in eo, videlicet, fidem, Spem, Charitatem in ſe diſpoſuerit. Fide quidem S. S. Triadis, ad longitudinem vitæ, immortalitatemque deſcendit, altitudine ſpei vivæ ad cœleſtium bonorum felicitatem aſpirat, & in terris ambulans, in cœleſtibus manſionibus ſuam habet converſationem, ſummam verò actuum ſuorum refert ad unum, qui eſt DEUS *Opt. Max.* ſummum, æternum, infinitum, & incommutabile bonum, ſpes omnium finium terræ. Novit enim omnes quidem currere, ſed unum ſolummodò accipere bravium, is nempè, qui cogitationum turbulentarum, & mentis inconſtantiâ, & inſtabilitate non fuerit impeditus: Ideò *Arcam* ſuam non ex agreſtibus & impolitis, ſed ex quadratis, & ad omnem juſtitiæ normam, & amuſſim directis conſtruit lignis, id eſt, ex Propheticis, Euangeliciſque voluminibus, ex quibus ſolis nobis ſpes patet ad vitam æternam; & tales ſunt, qui diverſis tentationum machinis dolati, reciſis omnium vitiorum ramis, vitam tranſigunt quadratam, & ex omni parte libratam; atque hoc pacto diverſos virtutum, profectuſque ſpiritualis nidos in *Arca* cordis ſui collocant; intus & foris per bonorum operum executionem, dum fidem corde gerunt, ore confeſſionem proferunt, bitumine illinunt. Quæ quidem pulchrè confirmat Hugo Victorinus in Geneſin: *Anima noſtra,* inquit, *eſt veluti* Arca Noë, *in qua ſalvari debemus, & in ipſam intrantes, & in ipſa manentes, ſicuti ſcriptum eſt, Redite prævaricatores ad cor; hujus* Arcæ *longitudo fides eſt, quæ credit omnia, quæ fecit* DEUS *ab initio ſeculi, vel facturus eſt uſque ad finem ejus per ſe, vel per Angelos, vel per homines; Altitudo ſpes eſt, quâ erigitur ad ea bona, quæ in Cœlis ſunt ſperanda, præparataque diligentibus* DEUM: *Latitudo Charitas eſt, quæ extenditur ad Septentrionalem plagam, per dilectionem inimicorum, & ad plagam Auſtralem, per dilectionem amicorum. In hac* Arca *eſt* Noë, *id eſt, intellectus rationalis, & ſenſus ſpiritualis, & quæ ex hiſce naſcuntur, recta conſilia, juſta deſideria, piaque vota tanquam filii, & cognati* Noë: *Animalia opera ſunt, quæ circa res terrenas efficiuntur; Volucres ſunt cogitationes in rebus excelſis & cæleſtibus verſantes; Inundatio aquarum, impetus eſt tentationum: Montes* Armeniæ, *in quibus* Arca *requievit, Quies eſt in Divinarum rerum contemplatione; Corvus emiſſus & non reverſus, ſignificat falſos Chriſtianos, qui, dum aliquandò ad exteriora neceſſitatis cauſâ mittuntur, rerum ſenſibilium illiciis ita detineantur, ut reditûs immemores, corruptibilium rerum voluptatibus ſubmerſi, ſalutis æternæ naufragium tandem patiantur. Columba verò extra* Arcam *miſſa, ſed ad eam mox redux, bonos* Chriſti *ſervos ſignificat, qui dum pro utilitate proximorum ad exteriora procedunt, nullamque foris requiem reperiunt, revertuntur; qui vero foris operibus miſericordiæ ſeſe totos impenderunt, cum ramo olivæ reduces, veluti bonorum operum fructu intra* Arcam *cordis recepto, gaudiis deliciantur æternis: ſiquidem anima noſtra,* Arca *quædam eſt,* Arcæ *divinitatis quàm ſimillima, utique*

Corvus quid?

Columbæ emiſſio quid?

ad imaginem & ſimilitudinem ejus condita, eo quod, ſicuti in mente DEI *rerum omnium conditarum cauſæ æternùm omniſque mutabilitatis, temporumque diſtinctionis expertes, veluti in Archetypo & Exemplari ſubſtantialiter ſubſiſtunt; ſic & in mente noſtra, præterita, præſentia & futura per cogitationem ſimul exiſtunt. Quicunque igitur per aſſiduæ meditationis ſtudium cœperit inhabitare* Arcam *cordis ſui, is quodammodò extra tempus conſtitutus, mundoque mortuus ſoli* DEO *vixerit; hoc enim ſtatu, quicquid adverſante nobis fortuna extra* Arcam *contrarium experimur, id nulla difficultate contemnimus, cum ibi ſit fixum cor noſtrum, ubi id mutabilitati non ſubiicitur; ubi nec præterita curamus, neque occupamur præſentibus, neque terremur futuris, neque in hac vita cupimus proſpera, neque formidamus adverſa. Hæc ſi egerimus,* Arcam *nobis in corde noſtro ædificabimus, iis ex lignis, quæ in aquam intromiſſa, ſine ſummerſionis periculo natant, in igne poſita ardent, quia hujuſmodi affectus cogitationum, uti carnalium voluptatum fluxus deorſùm non premit, ita Charitatis flamma incendit. Porrò bituminabis* Arcam *tuam interiùs, & exterius; Exteriùs, ſi humilitatis, & manſuetudinis linimentum in omni occurenti occaſione animæ exhibeas; Interiùs, ut charitatem non omittas; nemo enim in conſcientiæ ſuæ* Arca *ſuaviter, & quietè vixerit, ſi is malos extra per manſuetudinem non ſtuduerit tolerare, & intus didicerit per Charitatem non odiſſe.*

Longitudo *Arcæ* 300 cubitorum quid?

Rurſus 300. *cubitorum longitudo* Arcæ *præſens ſeculum ab initio uſque ad finem per tres temporis differentias, præteriti, præſentis, & futuri variatum ſignificat; quicunque igitur mente ſua ab exordio Mundi, uſque ad finem ejus reflexerit, quot & quanta* DEUS *operatus operaturuſque ſit propter electos ſuos, is utique* 300 *cubitorum longitudinem in corde ſuo metietur; ſi vitam ſanctam, & glorioſa Sanctorum acta in exemplum propoſuerit, is haud dubiè in* 50 *cubitorum latitudinem cor ſuum extendet; ſi præterea ſacræ ſcripturæ ſcientiam* 30 *Libris contentam, piè, & devotè evolverit, is in altitudinem* 30 *cubitorum* Arcam *cordis ſui, erigere cenſebitur. Hæc eſt* Arca, *quam quiſque, qui hujus mundi* Diluvium *evitare voluerit, ædificare, eamque, ut ſalvetur, ingredi debet; ingreſſus verò, clauſo poſt ſe oſtio, ab omni mundanorum turbinum ſtrepitu, tranquillam ſecuramque vitam in ſpem vitæ æternæ tranſiget.* Atque hæc de *Arcæ* myſtica ſignificatione ſufficiant.

CAPUT X.

De diminutione aquarum Diluvii, *& de tempore, quo decrevit.*

REcordatus autem DEUS Noë *cunctorumque animalium, & omnium jumentorum, quæ erant cum eo in* Arca, *adduxit ſpiritum ſuper terram, & imminutæ ſunt aquæ; Et clauſi ſunt fontes abyſſi, & Cataractæ cœli, & prohibitæ ſunt pluviæ de cœlo, reverſæque ſunt aquæ euntes & redeuntes, & cœperunt diminui poſt centum quinquaginta dies.* Ex hoc capite quàm luculentiſſimè ineffabilis DEI bonitas, & miſericordia refulget. Steterat *Noë* in *Arca* cum ſuis, immenſis pænè laboribus conſumptus; ſollicitudine magna premebatur, ne fortaſſis *Diluvio*, longiori tempore, quàm par eſſet, durante, commeatus deficeret; lamentabantur filii, & uxores filiorum, deplorantes temporis in tam diuturno carcere moram, ſummo tædio afficiebantur, & fœtore ſordium coacervatarum pænè exanimati, ad lucis frigidioriſque auræ fruitionem unicè adſpirabant; *Noë* verò ſummâ in DEUM fiduciâ, illos conſolari non deſiſtebat, precibuſque ad DEUM fuſis, pollicitationis ſibi à DEO factæ memor, Divinæ miſericordiæ viſcera inceſſanter ſollicitabat, atque unà cum lacrymarum profuſione

Quanto deſiderio *Noë* cum filiis, liberationem ex *Arca* exſpectabant.




DILUVII ante diem.
mationem Aquarum.
Status in DILUVIO universali.



fusione DEI *Opt. Max.* opem implorabat; donec apertis Divinæ misericordiæ auribus, recordatus tandem *Noë* cunctorumque animantium DEUS *Opt. Max. Diluvii* calamitatum finem statuere cœpit; quæ quidem facta intelliguntur, ut indè colligeremus, DEUM justorum hominum vitam tum ex prosperis, tum ex adversis rerum eventibus admirabili quadam vicissitudine, & alternatione ita miscere & temperare, ut illos ea ratione nec viribus suis fidentes, DEIque protectione, ac præsidio confisos, spem inter & metum fluctuantes, electos, inquam, suos vitam transigere velit; nam ut rectè habetur Tobiæ 3. *Hic pro certo habet omnis, qui te colit, quod vita ejus si in probatione fuerit, coronabitur; si autem in tribulatione fuerit, liberabitur; & si in corruptione fuerit, ad tuam misericordiam venire licebit; non enim delectaberis in perditionibus nostris; quia post tempestatem tranquillum facis, & post lachrymas, & fletum exultationem infundis; sit nomen tuum* DEUS Israël *benedictum in secula.*

Considerationе dignum, quod sequitur: dicitur, DEUS non antè recordatus *Noë*, quàm peccatores *Diluvio* periissent; quod non vacat Mysterio; tunc enim verè nostri memor est, nobisque benefacit, cum vetus *Adam* cum vitiis suis in nobis per contritionis pœnitentiæque *Diluvium* summersis interiit. Multi deinde mirantur, quod DEUS non *Noë* solummodò, sed & animantium recordatus dicatur; ii mirari desinent, si hoc ob ineffabilem DEI erga hominem amorem, animaliumque factum viderit; recte enim & animantium recordatus est, ut videlicet ea, quæ hominis causâ condiderat, unà cum homine servarentur. Quis nescit, DEUM in *Scriptura* à liberalitate & beneficentia, quam erga animalia exercet, haud infrequenter laudari? *Novit justus*, dicitur in Proverbiis, *jumentorum suorum animas, viscera autem impiorum crudelia*; quasi apertè dicatur, execrandos esse eos, qui non in hominem solùm, sed & in animalia, crudelitatem suam exercent. Novimus quosdam sanctos DEI servos, qui mirum in modum in animalia, utpote in quibus Divinum erga genus humanum, amorem & benignitatem intuerentur, benignos & misericordes se exhibuerint; ut proindè ex innumerabili multitudine & varietate animalium homines sublatis in cœlum oculis obstupescerent admirabilem Superni Datoris benignitatem, sapientiam, providentiamque, quâ solius hominis causâ, tot modis, tot vivendi mediis hominum necessitati consulere constituerit. Sunt enim hæc veluti quædam Divinæ liberalitatis specula, ex quibus ineffabilis elucet Divini numinis bonitas; dum hæc hominem carnibus suis nutriunt, lanâ pellibusque vestiunt, afflictos amœnâ vocum harmoniâ ad Conditoris laudem constitutâ recreant, lassos portant, onera convehunt, innumerisque aliis ad vitam humanam sustentandam necessariis usibus, serviunt, nonnullis ad custodiam hominum, quibusdam ad ea, quæ homini noxia forent, devoranda, aliis corio, ossibus, pilis, dentibus, tibiis, pennarum pulchritudine & varietate, tum ad medicas facultates, tum ad decorem, & ornamentum hominis, conducentibus, ut proindè non incongruè conditor sapientissimus, qui uti tantoperè dilexit hominem, ita & animalia, quæ propter hominem produxerat, amâsse, & curam eorum habuisse, & etiamnum habere censeatur; Et quoniam non stitit se hic Divina bonitatis altitudo. Cum enim animalibus miras quasdam, & admirandas facultates, ac naturæ dotes indiderit, illas non tam naturæ propriæ necessitate id exigente, quàm instituendi hominis gratiâ animalibus dedisse videatur; ut videlicet in Leone animi magnitudinem, prudentiam in Elephante, in Equo animositatem, fidelitatem in Cane, in Ovibus mansuetudinem, in Columba simplicitatem, castitatem in Turture, in Aquila animi volatum supra omnia, perpetuò laudandi

Quid significet recordatus DEUS hominum animaliumque.

Animalibus afficiuntur Justi, quæ crudeles & impii sive causa occidunt.

Animalia quanta hominibus bona & commoda inferant.

Animalia virtutibus suis hominem instruunt.

DEUM studium in Alauda, in Ciconia φιλοστοργίαν & misericordiam discerent; & hoc pacto sibi ex animalibus comparandarum virtutum veluti exemplar quoddam ob oculos proponerent, Divinorum beneficiorum memores, eidem debitas gratiarum actiones indesinenter persolverent: Peccatores verò in Porcis Hircisque abominandam luxuriæ fœditatem & spurcitiam, in Lupis, Corvis, atque Accipitribus rapacitatem, pauperumque oppressionem intuiti, à vitiis hujusmodi abstinere satagerent. Sed jam ad filum instituti nostri.

Diluvium quanto tempore duraverit.

De duratione *Diluvii*, quanto videlicet tempore ad diminutionem ejus duraverit, variæ sententiæ circumferuntur; & tametsi *Sacræ Literæ* illud expressis verbis innuant in *citato* paulò ante *Textu*; post 150. dies aquarum incepisse decrementum, quia tamen à quo principio illi 150. dies computandi sint, uti difficile est cognoscere, ita quoque mirum in modum *Interpretes* dubios perplexosque reddit. Nonnulli siquidem volunt, initium horum 150 dierum incepisse numerari ab ingressu *Noë* in *Arcam*, undè asserunt, quinque post mensibus aquarum diminutionem cœpisse; tot enim dies continent quinque menses solares, quod patet ex divisione 150 per 30 dies unius mensis, id est, primo die sexti mensis.

Quidam hos 150 dies numerant ab anno sexcentesimo vitæ *Noë*, & hi initium dierum 150 ducunt à fine pluviæ, 40 diebus continuatæ; si itaque junxeris ad 150 dies 96, quod est aggregatum ex 150 & 40, & 10 diebus, habebis summam 246 dierum, qui divisi per 30 dies unius mensis, dant 8 menses solares, quibus 10 diebus evolutis, aquarum cœpit decrementum; quod accidit die 27 mensis octavi illius anni. Atque hanc ego sententiam, quantum quidem ex *Sacris Literis* capere licuit, præ cœteris magis consentaneam censeo.

CAPUT XI.

Quid intelligatur per Spiritum, quem adduxit Dominus super Terram ad exsiccandas aquas, & quomodo intelligenda sit clausura fontium Abyssi, & Cataractarum Cœli, pluviarumque prohibitio.

SPiritus iste, uti sub varia significatione accipi potest, ita quoque variam *Interpretibus* suggessit opinionum varietatem. Nonnulli volunt, per hunc Spiritum aliud non intelligi, nisi Spiritum Sanctum, atque illud putant probari posse, tum ex hoc præsenti, tum ex cæteris *Sacræ Scripturæ* locis. Dicunt enim Hebraicum textum id expressè declarare hisce verbis:

ויעבר אלהים רוח על הארץ

id est, *transire fecit* DEUM *Spiritum super terram*. Cui facilè subscriberem, si in textu poneretur pro רוח *Ruah*, Spiritum רוחו *Rucho*, Spiritum suum; Verùm cum Spiritus hic indeterminatè ponatur, ex eo quoq; ostendi non potest, Spiritum Sanctum immediatâ suâ virtute exsiccasse aquas. Quidam ex *Syriaco textu* aut *Chaldæo* probari posse putant Spiritum Sanctum:

Spiritus Sancti non fuit immediatus concursus siccationis aquæ.

ܘܪܘܚܗ ܕܐܠܗܐ ܡܪܚܦܐ ܥܠ
ܐܦܢ ܡܝܐ:

& transire fecit spiritum super terram; Verùm cum hic textus cum Hebraico consentiat, nil hinc evincitur; neque ex primo capite *Genesis* v. 2. id probari potest:

ורוח אלהים מרחפת על פני המים/

Genes. 1. vers. 2.

& Spiritus DEI *expandebatur supra faciem Abyssi*; vel ut *Græcus* habet, *insufflabat aquam*; hoc loco omnes *Interpretes* per vocem, Spiritum DEI, Spiritum Sanctum intelligunt.

Sunt

Spiritus DEI non fuit ventus.

Sunt proindè alii, qui hunc Spiritum, ventum intelligunt, omnia exsiccantem; at cum nemo concipere possit, quomodò ventus tantam aquarum molem tam brevi tempore pervadere & siccare potuerit; non igitur ventus purè naturalis intelligitur, ergò per Spiritum illum Divinum, cujus imperio omnia subsunt, diminutæ sunt aquæ; juxta illud: *emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ; verbo Domini Cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*; flatu enim ventorum aquæ non exsiccari, sed turbari & fluctuari solent. Sunt nonnulli, qui putant, Solem, cum efficacissimus sit, hujus exsiccationis aquarum causam fuisse, præsertim cum *Diluvium* in æstate, quâ Solem ardentissimum experimur, finitum suprà dixerimus. Verùm nec hoc commodè dici potest. Si enim Sol hanc incredibilem exsiccandi *Diluvii* facultatem habuisset, non esset ratio, cur non totum Oceanum, maria, lacus, flumina, cum tempore, eâdem vi, & efficacia consumeret, quod tamen experientiæ repugnat, & aquarum cumulus cataclysmi Oceanum si non superârit, saltem ei aquarum copiâ inferior non fuerit, uti *paulò antè* demonstravimus. Nos itaque dicimus, DEUM non omnia, absolutâ & immediatâ sua virtute in Mundo peragere, sed ministerio creaturarum uti solere, quamvis non nisi potentiâ obedientiali, ut *Scholæ* loquuntur, elevatâ, quemadmodum in mari rubro, supernaturali virtute fecit. *Cum enim extendisset* Moses *manum suam super mare, abstulit illud Dominus flante vento vehementi & urente tota nocte, & vertit in siccum*, &c. Potuit itaque Divina potentia, cujus imperio omnia subsant, in *Diluvii* aquis exsiccandis præparare ventum immodicè æstuantem, qui aquarum molem intime penetrando intra constitutum tempus, totam in vapores resolveret, eique regioni aëreæ restituerentur, ex qua tantam aquarum molem condensâsset; Unde hujusmodi ventus minimè naturalis dici potest: Cùm enim *Diluvium* altius fuerit, ultra eam videlicet aëris regionem, in qua venti generari non possunt, neque etiam ex terra cæterisque humidis, vapores calidi & sicci, intermediâ aquarum mole impediti, eousque conscendere, neque ibidem resolvi poterant. Restat itaque dicendum, aquas *Diluvii* non vi naturæ, sed Omnipotentis DEI virtute, ministerio ventorum exsiccantium, quos præter ordinem naturæ in hunc finem assumpserat, prodigiosum hunc effectum exsiccationis præstitisse, ac proindè totus iste spiritus siccans miraculi loco habendus, sive generationem ejus spectes, sive vim & efficaciam; addo tamen, exacto *Diluvio* cum terræ constitutio adhuc lubrica, madida, & humida esset, tunc enimverò DEUM illam ventorum Solisque virtuti naturali, exsiccandam reliquisse.

Sol num fuerit causa siccationis aquarum.

Ventus siccans aquas non fuit naturalis sed Divina Potentia sublevatus.

De occlusione fontium Abyssi, & Cataractis Cœli.

Hæc difficultas, uti Physiologiæ objectum longè excedit, ita quoque supernaturalibus veriùs, quam naturalibus effectibus adscribendum censuerim. Quid sint Abyssi terræ, quid Cataractæ Cœli, superiùs fusè expositum fuit. Quemadmodum igitur rupturam fontium Abyssi, Cataractarumque Cœli apertionem ibidem, effectum causis naturalibus superiorem docuimus, ita quoque clausuram eorundem Abyssi fontium, Cataractarumque Cœli conclusionem, supernaturali virtute DEI accidisse existimamus. Nam quis non videt, iis de causis imminutum esse *Diluvium*, quibus crevit? Nam ut rectè Divus Chrysostomus: *Quæ ratio*, inquit, *poterit hoc unquam comprehendere, aqua tanta quomodo defiit? omnia abyssus erant: Quomodo igitur tantus aquarum impetus subito minor factus est? quis hoc humana ratione invenire poterit unquam? Quid igitur est? DEI præceptum est, quod facit omnia.*

Clausura fontium Abyssi supernaturali vi contigit.

Ne igitur nos curiosius exploremus Quomodò : sed tantum credamus, quod jussit, & exaltata fuit abyssus, & præcepit, & iterum suum continuit impetum, & ad proprium concessit locum, quem solus ipse Dominus scit, qui condidit. ita D. Chrysost.

APPENDIX EROTEMATICA

Quâ omnes difficultates, quæ in Sacris *diversarum linguarum* Textibus *occurrunt, solvuntur.*

Quæsitum 1.

QUæritur primò: *Quando resederit, & quieverit* Arca *supra Montes* Armeniæ.

Tota hæc difficultas de anno, quo resedit *Arca* supra montes *Armeniæ*, videtur inter *Interpretes* nata, ex vario principio, ut suprà ostendimus, undè annos computare solebant; Nos ne tempus in iis recitandis perdamus, sic rem determinamus ex iis, quæ superiùs adduximus, argumentis.

Initium *Diluvii* quando cœperit.

Dicimus itaque, quod ab initio anni sexcentesimi vitæ *Noë*, usque ad *Diluvii* exordium, videlicet decimo septimo die mensis secundi præterierunt 46 dies; si enim uni mensi 30 dierum, addas 16 initium diei decima septima fuit, quâ incepit *Diluvium*, provenient 46 dies, quibus si junxeris 150 dies, quibus duravit incrementum *Diluvii*, habebis 196, qui sunt dies ex utroque numero, 150 & 46 compositi; restant igitur 8 dies usque ad quatuor & ducentos dies, qui faciunt sex menses Lunares, & insuper 27 dies, quo die dicitur requieviſſe *Arca* supra montes *Armeniæ*. Ad diversitatem verò *Hebraicæ*, & *Vulgatæ editionis*, id est, *Latinæ* quod attinet, hanc differentiam esse scias; quod *Hebræa* dicat, *Arcam* requiviſſe septimo mense, & decimo septimo die mensis.

Vulgata verò habet, septimo mense, & 27 die mensis, differunt igitur decem diebus hæ duæ lectiones *Hebrææ*, consentit *Chaldæa lectio*, & *Vulgatæ Græca* 70 *Interpretum*, quæ tamen concordari possunt, si à diversis principiis initii *Diluvii*, aut sexcentesimo anno *Noë*, aut aliis; de quibus videant *Chronologiæ sacræ Interpretes*, nos ad nostra.

Quæsitum 2.

Quæritur secundò : *Utrum* Arca, *quando, & quomodo quieverit supra dorsum montis* Ararat.

Duo hoc loco consideranda sunt: prius, utrum mons *Ararat* fuerit altissimus montium in universa Terra, quod *supra* negavimus, cum multò altiores isthoc monte, in Telluris superficie observatos fuisse, ostendimus in *Mundo Subterraneo*. Dato igitur, non concesso, montem *Ararat*, juxta quosdam, fuisse montem omnium altissimum; Dico *Arcam* semper supra aquas *Diluvii* totis illis 150 diebus, quibus totale aquarum incrementum, sine ulla sui diminutione consistebat, fluctuasse; ponamus quoque, juxta nonnullorum sententiam, *Arcam* 15 cubitorum profunditate, aquis fuisse summersam, ita ut 15 aliis cubitis extra aquas eminuerit. Hoc posito, Dico, non obstante summo aquarum incremento, supra dorsum montis *Ararat Arcam* conquiescere potuisse, cum tot cubitis summersa ponatur *Arca*, quot cubitis aqua supra altissimos montium vertices sese exaltaverat, id est, 15 cubitis; uti ex figura patet. Sit mons *Ararat*, A.B.C.D. altissimus montium; sit vertex montis, *b.c.* Sit *f.e.a.d.* aqua *Diluvii* super verticem elevata 15 cubitis : *Arca f. e.* verò summersa ad medietatem, id est, 15 cubitis infra aquam; Quis ex hoc non videt, *Arcam* fundo suo dorsum montis tetigisse, dum nulla adhuc aquæ diminutio facta fuisset. Atque hæc quidem assertionem nostram ad oculum exponunt; posito, quod altissimus in Orbe fuerit Mons *Ararat*.

Verun-

Typus
Arcæ quiescentis supra montem altiorum montium.
Ararat respectu
Atho mons
Olympus mons
Caucasus mons
Taurus mons
Quies
Arcæ
Ararat mons
C. Decker pinx. f.


Typus maximi aquarum in Diluvio incremen
Ultimus Diluvii terminus aquis 15 Cubitis super altissimos orbis Montes exaltatis.
Olympus mons
Taurus mons
Ararat mons
C. Decker pinx. f.



Ararat non eſt altiſſimus montium.

Veruntamen cum nos altiores in Orbe montes illo oſtenderimus ; ratio ſanè dictat, *Arcam* nondum in monte *Ararat* requieſcere potuiſſe, utpote, quæ ab ejus vertice, reſpectu aliorum montium adhuc quàm longiſſime diſtaret. Unde conſequenter, & indubitanter colligitur, complures in Orbe montes, *Ararat* monte multò altiores tum temporis aquis jam denudatos fuiſſe, quando *Arca* in montibus *Armeniæ* requievit, jamque aquarum diminutionem cœptam fuiſſe, uti *figura* docet. Verùm cum hæc *Sacro Textui* repugnare videantur, jam, quomodo concordanda ſint illa, exponamus ; Sic enim habet hoc loco Textus : *Et clauſi ſunt fontes abyſſi, &c. reverſæque ſunt aquæ de Terra, euntes & redeuntes, & cœperunt minui poſt* 150. *dies, requievitque* Arca *menſe ſeptimo, & vigeſimo ſeptimo die menſis ſuper montes* Armeniæ; *at vero aquæ ibant, & decreſcebant uſque ad decimum menſem ; decimo autem menſe, prima die menſis apparuerunt cacumina montium.* Cum itaque *Arca* requieverit in montibus *Armeniæ*, menſe ſeptimo, & vigeſimo ſeptimo die menſis, reſtabant itaque ad decem menſes, & unum diem, quo primum cacumina montium videbantur, duo menſes, & novem dies. Cum itaque *Sacra Scriptura* expreſſè dicat, poſt 150 dies, aquas diminui cœpiſſe, & ſeptimo menſe, & 27mo. die menſis *Arcam* requieviſſe ; Alterutrum dicendum eſt, aut Montem *Ararat* fuiſſe omnium altiſſimum, vel ſi altiores in Orbe montes aſſignemus, eos eodem tempore, quo requievit *Arca* in monte *Ararat*, eodem, inquam, tempore, altiores eo montes ab aquis denudatos fuiſſe. Verùm cum illa montium denudatio, non niſi poſt duos menſes, teſte *Sacro Textu*, contigerit, videlicet decimo menſe ; Ad difficultatem mitigandam, dicendum erit, tunc temporis quidem altiſſimorum montium vertices denudatos fuiſſe, ſed cum in incognitis Terræ locis conſtituerentur, *Moſen* de iis montibus vicinis, quos ipſe in *Arca* per vitream feneſtram obſervabat, præcipuè locutum fuiſſe. Atque hoc pacto facilè verba *Sacræ Scripturæ* concordari poterunt. Utrum verò *Arca* poſteris temporibus viſa, & examinata fuerit, in Monte *Ararat*, dicetur in *tertio Libro*, loco opportuno.

Dubii reſolutio de denudatis montibus.

Quæritur tertio. *An, quando, & quomodo ſupra verticem Montis* Ararat, Arca *requieſcere potuerit* : על הרי אררט Quæſtum 3.

Reſpondeo, cum plerique *textus*, non ſupra montem, ſed ſupra montes *Ararat*, aut ut Chaldaica Lectio habet, *ſupra Montes* Kordu :

ותנח תיבותא על טורי קרדו :

Et requievit Arca *ſupra montes* Kordu, aut, ut *Beroſus* Chaldæus ait, in *Montibus Gordiæis.* Septuaginta verò. καὶ ἐκάθισεν ἡ κιβωτὸς ἐπὶ ὄρη τὰ Αραράτ. Gen. c. 8. v. 4.

Et ſedit Arca *ſupra montes* Ararat. Arabica ſic habet.

وعدت التابوت في الشهر السابع في سابع عشر يوم من الشهر علي جبال القرود ۞

Et quievit Arca *in menſe ſeptimo, & decimo ſeptimo die menſis, ſupra montes* Karud. Ubi nota, quoad menſes, & dies, hanc verſionem non *Latinæ*, ſed *Hebraicæ* editioni reſpondere. Ex hiſce itaque *Lectionibus* apertè oſtenditur, *Arcam* non ſupra altioris montis verticem requieviſſe, ſed ſupra montes *Ararat*, ſive *Armeniæ*, quos *Kardu* Chaldæi, Arabes *Karud* vocant. Quomodò enim *Arca* tantæ longitudinis latitudiniſque ſupra montis acumen quieſcere potuerit, nemo, niſi ſtaticæ artis imperitus, ſine rupturæ, aut totali everſionis periculo concipere poterit ; niſi forſan apex montis tantam habuerit planitiem, ut *Arca* commode in eo ſiſti potuerit.

Dicimus itaque, nullum adeò eminentis verticis in Orbe montem reperiri, qui non in ſummitate inſignem aliquam planitiem inter juga montium extenſum habeat ; quemadmodum *Pyrenæi*,

Pyrenæi, & *Alpium*, atque *Appennini* montes habere, experientia quotidiana itinerantium nos docet; ita quoque Montem *Ararat*, præter acuminum juga, ſimilem planitiem, nutu DEI, ad quietem *Arcæ* conſtitutam fuiſſe, teſtantur *Itineraria Perſidis*, & *Armeniæ*, quin imò & Patres Societatis noſtræ ex *China* & *Indiis* per *Perſidem* & *Armeniam* ſuſcepto in *Europam* itinere, ad integrum octiduum montem *Ararat*, tum ob exitum *Noë* in eo ex *Arca*, tum ob rerum in eo geſtarum magnitudinem, non ſine admiratione animique conſolatione contemplatos fuiſſe; ajuntque montis dorſum ingenti aliorum montium catenis innexum, in immenſam longitudinem extenſum *Tibeticis montibus*, quos *Paranamiſidos Ptolomæus* vocat, conjungi; ut proinde in dicto monte ſufficiens fuerit ad *Arcam* veluti dorſo quodam excipiendam, planities & latitudo. Sed hæc in *ſequenti Libro* veluti opportuniori loco fuſiùs proſequemur.

Quæſitum 4. Quæritur quartò: *Utrum Corvus, quem* Noë *ad tentandum aquarum decrementum emiſit, reverſus ſit in* Arcam, *nec-ne?*

Inſignis inter *Authores* de corvi ex *Arca* dimiſſione, controverſia eſt; quibuſdam illum egreſſum, reverſumque fuiſſe; aliis eam veluti contrà, opinionem *Sacro Textui* repugnantem, reprobantibus. Hiſtoria Sacra ſic dicit: *Cumque tranſiſſent* 40 *dies, aperuit* Noë *feneſtram, quam fecerat, dimiſit corvum, qui egrediebatur, & revertebatur, donec aquæ ſiccarentur ſupra terram.* Contra hanc Lectionem dicunt 70 Interpret. καὶ ἐξελθὼν, οὐκ ἀνέστρεψεν ἕως τῆς ξηρανθείσης τὸ ὕδωρ ἀπὸ τῆς προσώπου τῆς γῆς. *Egrediebatur corvus, non revertebatur, donec ſiccarentur aquæ ſuper faciem Terræ.* Vides hîc in *Textu Latino*, & *Græco* apertam contradictionem: *Latina* dicit, corvum egreſſum, & reverſum; *Græca* dicit, egreſſum & non reverſum. Unde multi ex *Interpretibus* ajunt, non reverſum fuiſſe corvum, eò quod cadavera in fluctuanti *Diluvii* Oceano ſectatus, quàm longiſſimè ab *Arca* divagatus, eandem reperire amplius non valuerit, unde vel fame, vel fluctibus enectum periiſſe, ſibi perſuadent: Sed nec hoc admitti ulla ratione poteſt. Si enim periit corvus maſculus, inidonea otioſaque ad concipiendum conjux ejus in *Arca* remanſit; ſpecies itaque corvina hoc pacto contra DEI nutum, haud dubiè periiſſet. Dico itaque, hanc contradictionem facile concordari poſſe hoc pacto: Cum enim *Hebraica Lectio* dicit; corvum egreſſum & reverſum eſſe, donec ſiccarentur aquæ; *Sacræ literæ* apertè docent, corvum in *Diluvii* aquis minime periiſſe; ſed poſtquam egreſſus fuiſſet, & poſt longum volatum non reperiſſet, quò requieſceret pes ejus, ad *Arcæ* tectum advolaſſe, atque ex eo pabuli cauſa nonnunquam divagatus, poſtquàm fluctuantibus cadaverum carnibus nonnihil refectus eſſet, ad *Arcæ* tectum rediiſſe, uſque dum ſiccarentur aquæ, atque tunc ad egreſſum animalium conjugi ſuæ reſtitutum fuiſſe. *Græca* verò *Lectio*, quæ dicit corvum egreſſum, & non reverſum fuiſſe, donec ſiccarentur aquæ ſuper faciem terræ; ſic intelligi debet, non quod fluctibus, vel fame perierit, ſed quod non ſit reverſus receptuſque à *Noë* intra *Arcam*, ſed extra eam vel in tecto *Arcæ*, vel lateribus *Arcæ* ſe conſervàrit, donec ſiccarentur aquæ, & tunc apertâ *Arca* ad egreſſum animalium ſuæ conjugi ad ſemen naturæ reſtitutum. Patet itaque ex hiſce propoſita difficultas. Porrò eodem prorſùs tempore columba emiſſa, quæ cum non reperiret, ubi pes ejus requieſceret, ad *Arcam* rediit. Poſt ſeptem itaque dies aliam emiſit columbam, quæ ad veſperum ad eum reverſa, & jam dudum deſideratum pacis, tranquillitatiſque omen auguriumque viridem olivæ

Dubii de corvo egreſſo & reverſo reſolutio.

olivæ ramum roſtro ſuo attulit, & altera tertiò emiſsa, amplius reverſa non fuit.

Olivæ ramus unde?

Quæri hoc loco non immeritò poterit; *ubinam ſurculum olivæ, terrâ aquarum illuvie adhuc coopertâ repererit?* Reſpondemus, vel ex reciſa & fluctuante in æquore arbore olivæ, vel ex colle aliquo *Arcæ* vicino; cum enim mons *Ararat* jam quaſi totus ab aquis diſcoopertus eſset, in radice verò montis multa fuerint oliveta, uti & etiamnum à viatoribus juxta *Monaſterium Nachſevan* ſpectentur, facilè fuit ex iis ſurculum ablatum, & ad *Noëmum* comportatum fuiſse, utique DEO Columbam ad ſervi ſui conſolationem dirigente. Quarè verò non alterius arboris ſurculum? Dico, id ad myſticam pacis tranquillitatiſque ſignificationem, nutu DEI factum; vel etiam, quod Columba forſan olivis adhuc refertas arbores cum reperiſset, eum unà cum fructibus in poſteræ diei pabulum ſecum tranſportaſse. Sed hæ meæ conjecturæ ſunt.

Quæſitum 5.

Quæritur quintò. *Quanto tempore duraverit* Diluvium, *& quamdiù* Noë *manſerit in* Arca?

Cum *Moſes* hiſce verbis, menſe ſecundo, & vigeſimo die menſis, arefactam eſse terram referat; *Noëmum* verò ex *Arca* egreſsum anno ſexcenteſimo primo, menſe ſecundo, & die vigeſima ſeptima, ex ipſis verbis *Sacri Textus*, facilè innoteſcit tempus *Diluvii* uſque ad diem deſitionis ejus, egreſsumque *Noë* ex *Arca*; & quamvis mora *Noëmi* intra *Arcam* variè ab *Interpretibus* controvertatur, nos tamen juxta melioris notæ *Authorum* ſententiam à pleriſque ceu veram acceptatam, noſtris deindè fundamentis *ſuprà* expoſitis innixi; ex ipſa *Sacra Hiſtoria* remita determinamus.

Suppono, annum & menſes, de quibus toties hoc loco à *Moſe* fit mentio, eſſe annos Lunares, non Solares; eſt autem hæc differentia inter menſem Lunarem, & Solarem, quòd hic illum undecim diebus excedat; eſt enim menſis Lunaris 354. dierum, Solaris 365. quæ ab invicem ſubtracta produnt undecim dierum, uti diximus differentiam; atque hi anni, & menſes, maximè uti olim ita etiamnum uſitatos eſſe *Hebræos*, ex eorum computu patet.

His itaque ſuppoſitis, cùm ita, uti in *præcedentibus* oſtendimus, *Diluvium* inceperit anno ſexcenteſimo vitæ *Noë*, menſe ſecundo, & decimo ſeptimo die; deſierit autem ſexageſimo primo, menſe ſecundo, die 27, luculenter patet ex ſubtractione unius numeri ab altero, tempus quo *Noë* in *Arca* fuerit.

Annus deſitionis *Diluvii* 601 an. 47 dies.
Annus inception. *Diluvii* 600 an. 57 dies.

Qui numeri ſubtracti relinquunt 1 annum Lunarem & 10 dies, qui conſtituunt unum Solarem, quo *Noë* toto *Diluvii* tempore in *Arca* manſit. Ut proindè non parùm mirer, tam varios eſſe hujus loci *Interpretes* in determinanda *Diluvii* diuturnitate, cum vel ex ipſis verbis *Sacræ Scripturæ*, uti jam innuimus, involutum, ut ipſi putant, negotium decidere potuerint; quæ quidem in *Authores* variatio aliundè non provenit, niſi à diverſo principio, quo initium *Diluvii* ſumunt.

Epilogiſmus Calculi.

Ab anno ſexcenteſimo vitæ *Noë*, menſe 2, die 7, incepit *Diluvium*	37 die.
Ante ingreſſum *Noë* in *Arcam*	7
A die pluviæ	40
Uſque ad totale incrementum	150
A fine totalis incrementi, requievit *Arca* ſupra montes *Armeniæ*	77 dies.
Ab hoc uſque ad Cacuminum montium viſionem	40
Uſque dum *Noë* aperuit feneſtram, & dimiſit Corvum	14
Et poſt dimiſſionem Terra arefacta eſt.	
Omnes hi numeri juncti faciunt	365 dies.

Qui eſt integer annus Solaris, ſive Lunaris, plus 11 diebus.

Quæsitum 6.

Quæritur sextò. *Ubi* Henoch & Elias *destructo*, *per* Diluvium *aut ab initio etiam*, Paradiso *manserint?*

Restat nunc exponendum, cum omnes homines in *Diluvio* perierint, exceptis solis 8. qui cum *Noe Arcam* intrârant; ubinam *Enoch*, qui tunc temporis adhuc in vivis erat, degisse putandus sit; dicunt nonnulli, eum in *Paradiso* ab omni *Diluvii* inundatione immuni vixisse. Verum cum plerique *Interpretes Paradisum* ipsum aquis obrutum, unà cum terrestri Orbe deletum fuisse, existiment, quem ei locum ab aquis liberum assignabimus? dicimus itaque; cum præter 8. homines nullum præter eos *Diluvium* evasisse, *Sacro Textu* testante, certum sit; *Enochum* tamen exceptum fuisse, censere debemus, eò quod *Scriptura* solum loquatur de hominibus, quorum habitatio & conversatio in terris nota erat, & qui vitam agebant more humano & usitato; non verò de eo, quem divina providentia inusitato quodam modo à communi hominum consuetudine abreptum, in ultimum consummationis Mundi finem unà cum *Elia* destinârat. Quidquid sit, ubinam fuerit *Enoch* tempore *Diluvii*, quis hominum aut consilium DEI novit; aut ei locum assignare ausit? cum ubicunque DEO libitum fuerit; illi conservari potuerint, vel intra ipsas aquas *Diluvii*, vel in aëre, vel supra aquas *Diluvii*, & quocunque tandem in loco à DEO ipsis præparato; ut proinde de abditis DEI consiliis, melius sit silere, quam inanibus verborum conjecturis & ea temerario ausu determinare.

Quæritur septimò. *Utrum homines animaliaque intra* Arcam *jam concluſa consuetum generationis negotium exercuerint?*

Et quantum quidem ad *Noë* filiosque attinet, dico cum tempus illud tale fuerit, ut homines ob tantam humani generis orbisque terrarum cladem potius lugentes pœnitentiam agerent, quàm expetendæ fruendæque voluptatis etjam licitæ & concessæ gratiâ genio importunè indulgere. Verisimile videri juxta communem *Interpretum* opinionem, eos DEI gratia cooperante ab omni congressu abstinuisse; quoad animalia verò bruta aliud sentiendum esse judico; quis enim naturalem libidinis impetum in iis animalibus, quæ ex se & sua natura ad generandum proniores sunt, uti inter Quadrupedia sunt Capri, Arietes, Cervi & similia, inter volatilia verò Columbæ, Galli, Turtures & cætera, sine manifesto miraculo cohibebit? ita *Buteo*, præsertim cum illa carnibus, hæc & Ovis & carnibus magno tàm hominibus quàm animalibus emolumento esse poterant; & uti ratione & judicio carebant, ita luctus & pœnitentia in eos non cadebat; unde naturales inclinationes secuta, generationi intendisse, nemini dubium esse debet, nec alicui dubium occurrat, *Arcam* ex generatione tot animalium nimis arctam fuisse. Illi utique dubitare cessabunt; ubi consideraverint multa ex recenter natis animalibus quotidie in nutrimentum Carnivororum cessisse. Et non obstantibus istis dico *Arcam* adeò adhuc amplam fuisse, ut plures adhuc mansionum nidorumque habitacula & receptacula inhabitata permanserint; quas Atheis cæterisque incredulis, qui ex incapacitate tot tantorumque animalium perperam concepta, *Arcam Noë* veluti fabulosam, explodunt, bestiis associatis, inhabitandas, relinquimus.

Bruta in *Arca* non cessarunt à generatione prolifica.

Quæsitum 7.

ATHA-

Adeſt modò primus reparati Mundi annus, reviviſcit Orbis, dudum emortuus, & aquarum ſqualoribus ſepultus, id eſt, finis taciturni ſilentii omnium animantium, quæ cœli ambitu continentur. Adeſt finis annui carceris & mœroris, perpetuæ deinceps libertatis exordium. Adeſt facies ſecundæ ætatis Mundi, & præteritâ jam infantiâ adoleſcentiam ingreditur, quam ad decimam quoque generationem perducet. Volucres repetunt ſylvarum receſſus, & feræ innatam poſitamque ad tempus recuperant feritatem. Tempus adeſt renovatæ ſolitudinis, qualem Adamus Paradiſo *extorris expertus eſt.* Noë *ex carcere ligneo lætus exit, & in patriam redux, undarum omniumque reproborum victor: jam de pace columbæ viridi olivæ ramo geſtientis miniſterio, indicatâ ſecurus. Facent improbi* Kainitæ *; jacet efferata Gigantum immanitas, proſtrati ſunt potentes illi à ſeculo viri famoſi. Tempus tandem aperitur, quo Dominus mœrentem hucuſque, jacentemque in luctu amicum ſuum excitat juſtum ſuum* Noë, *dicens; Surge, propera, dilecte mi, & veni ex foraminibus* Arcæ, *& ex ligneis carceris gurguſtiis; Jam enim hyems tranſiit, imber abiit, & receſſit, flores apparuerunt in Terra noſtra. Oſtende Mundo faciem tuam; Sonet vox tua in auribus meis, ſacrifica mihi ſacrificium laudis, & redde Altiſſimo vota tua.*

PARS I.

De iis, quæ in *Arcæ* egreſſu contigerunt.

CAPUT I.

De Noëmi *mora extra* Arcam *antequam egrederetur.*

VEnit tandem exoptatiſſimi temporis plenitudo, quâ poſt diuturnum *Arcæ* Carcerem, quo *Noë* cum familia ſua atque totius animatæ naturæ œconomia includebatur, DEO miſerante egredi juſſus fuit; venit hora tantopere deſiderata, quâ poſt tot curas, poſt tot in *Arca* exantlatos labores, poſt tot putidi aëris injurias, poſt tot anguſtias, mœrores & pericula eluctatus, libertatique reſtitutus, felix poſteri Mundi auſpicium orditus eſt. Manſerat tum temporis poſt abolitam Mundi prioris faciem, poſt perditam jam omnem animæ viventis ſubſtantiam, poſt everſam oppreſſamque ſceleratiſſimorum hominum impietatem, cum ſuis in Mundo *Noë* ſolus ſuperſtes, Orbis Terrarum legitimus Rex, Imperator, & Dominus, cui tanquam univerſi humani generis inſtauratori DEUS omnia ſubjecerat: Et quanquam ipſum cœlum ſerenitate ſuâ ipſi jam arrideret, nova Mundi facies in propatulo eſſet; Terra ab omni humiditatis illuvie jam libera, & immunis eſſet, *Arcam* tamen egredi, niſi Divino imperio, non eſt auſus; ut, qui *Arcam* cœleſti fuerat ingreſſus oraculo, egreſſum ejus ſine manifeſta Divinæ voluntatis ſignificatione, tentare non auderet; quemadmodum ante *Diluvium* ipſe juſſu DEI animalia introduceret, ſic idem poſt *Diluvium* animalia cuncta educeret; tam enim introductio, quàm animalium eductio, non ſine luculento Divinæ providentiæ miraculo contigit, cunctis animantibus *Noëmo* veluti eorum conſervatori, tam ad ingreſſum, quàm egreſſum obedientibus. Locutus itaque DEUS ad *Noë*, dicens: *Egredere de* Arca *Tu, & uxor tua, filii tui, & uxores filiorum tuorum tecum, & cuncta animantia, quæ apud te ſunt*; hoc Divinæ vocis oraculo *Noë* perculſus, eâ quâ debuit & potuit, gratiarum actione, poſt tot & tanta beneficia in ſe, uſque ad iſtud temporis punctum collata DEO unà cum tota familia ſua reddens, ingenti omnium gaudio juſſa Domini exſoluturus, ſeſe ad exitum parandum accinxit, ac primò quidem *Arcæ* tectum aperuit. O quantum ex hoc tam exoptatæ lucis affuſione tum homines, tum animalia, recreata fuiſſe putabimus? quantum ex purioris limpidioriſque aëris affluxu afflatuque qui hucuſq; per unius anni decurſum, in obſcura tetri, olidique carceris clauſura ſuſtinuerant, voluptate perfuſos credemus? Certè tanta, quanta nunquam aliàs in ſimili eventu acciderat. Undè vero haud abſimile eſt, & homines præ latitudine cordis, veluti quodam lætitiæ tripudio, ingenti mentium jubilo exilientes, quà Hymnis, quà cantibus Domini Liberatoris benigniſſimi bonitatem & miſericordiam collaudâſſe; imò vel ipſæ animantes, tandem tempus liberationis ſuæ adveniſſe præſentientes, non ferocioris tantùm, ſed & manſuetioris naturæ, tum congruis eorum conditioni, vocum congratulationibus, tum inſolitis corporum geſtibus veluti exultantes, Hymnos DEO eo modo quo poterant præſtitiſſe, credere licet. Volucrum

Exitus *Noë* ex *Arca*.

Hominum animaliumque tripudium.

verò genus, in ſuaviſſimos harmoniæ modulos effuſum; Luſciniæ cantillabant, frittillabant Fringillæ, pittitabant Paſſeres, & Rubeculæ, cæteræque canorâ voce præditæ, reliquas quantumvis abſonarum vocum volucres pariter ad Hymnos DEO conditori earum perſolvendos certatim animabant. Poſt hæc prævià benedictione à *Noëmo* omnibus & ſingulis volucribus impertitâ, abeundique poteſtate data; ſolutis quoque nidis caveiſque, eccè, juxta præceptum Domini, uti ingreſſa erant, ita & egreſſa juxta ſpecies ſuas, bina & ſeptena, ad uberrimum naturæ ſemen, ſpecierumque propagationem avolare cœperunt, ſolis illis, ſuis adhuc nidis, caveiſque, quæ vel in ſacrificium, vel uſum *Noë*, alimentumque cedere debebant, conſervatis. Exoluto itaque volucrum genere, & libertati reſtituto, vidiſſes alias volucres ipſi *Arcæ* inſiſtentes, alias ſcopuloſis montis diſtrictibus, quaſdam arboribus fruticibuſque copioſo limo adhuc obductis, nonnullas ipſis campis jam in gramina repullulaſcentibus ſe committentes, moxque nidis exſtructis, juxta Divinæ vocis imperium: *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram*, confeſtim prolificæ generationis opus ſine intermiſſione, nec non ſummo ardore ſpecierum propagationi intentas occepiſſe.

Volucrum poſt egreſſum, lætitia.

Quomodo Quadrupedia ex *Arcæ* egreſſa?

Reſtabat modò Quadrupedum ex *Arca* egreſſus. Quæri non immeritò poteſt, quomodò illa egredi potuerint, cùm oſtium *Arcæ*, per quod ingreſſa fuerant, octo ferè cubitis à terræ ſuperficie diſtaret. Dico itaque, veriſimile eſſe, pontem illum ligneum, per quem ingreſſa fuerunt, *Arcæ* lateribus alligatum unà cum ea toto *Diluvii* tempore fluctuaſſe, eo fere modo, quo ſcyphi, ſeu lintres navibus ſemper alligari ſolent, ac deinde *Arca* ſupra montis dorſum ſedente, & hunc unà pontem reſtitiſſe, quem & oſtio ità applicuiſſe cenſemus, ut haud difficilis animantibus per illum egreſſus concederetur: vel ſi quis forſan hoc inveriſimile dixerit, nil aliud reſtat dicendum, niſi quod *Noë*, ſive ex aſſeribus, tabulis, trabibuſque tecti jam aperti, vel ex arborum *Diluvio* everſarum truncis, novum pontem, ad facilem animalium egreſſum conſtruxerit; quod æquo Lectoris judicio ponderandum ſubjicio; cum alio modo id fieri non potuerit, niſi ad miraculum confugiamus, quo hoc in negotio induſtriæ *Noëmi* relicto, opus non erat.

Animalium Quadrupedum egreſſus.

Ponte itaque admoto, & oſtio jam aperto, recluſiſque Quadrupedum ſtabulis & manſionibus, ex inſolita luminis, aëriſque limpidioris affuſione, cunctæ animantes inſolito tripudio exultantes, vix conſiſtere ampliùs neſcia, *Noëmo* pro liberationis conceſſo beneficio, veluti abblandientia, inſolitis vociferationibus gratitudinem ſuam, eum ad oſtium uſque ſecuta, conteſtabantur; ubi juxta prædictum ordinem, quo intraverant *Arcam* bina & bina, ſeptena & ſeptena per pontem in amplam illam montis planitiem egreſſa, ſine mora prolificum propagationis negotium, tanto cum ardore, quanto animalia longo tempore ſtabulis detenta, & amœnioris cœli aëriſque beneficio fruitura tandem libertati ſuæ reſtituta ſolent; juxta præceptum Domini: *Creſcite & multiplicamini*; inceperunt. Quod ſanè quàm expreſſiſſimis verbis *Sacer Textus* indicat. Quid enim ſibi vult illud, quod *Moſes* in ingreſſu *Noë* filiorumque intra *Arcam*, viros & uxores ſeparatim nominet. *Ingredieris tu, & filii tui, uxor tua, & uxores filiorum tuorum tecum*; modo verò de egreſſu dicat: *Egredere tu, & uxor tua, filii tui, & uxores filiorum tuorum tecum.* Nihil ſanè aliud hiſce intelligendum cenſent *Interpretes*, quàm quod ſicuti in *Arca*, durante *Diluvio*, tempus erat mœroris, & luctus, tempus pœnitentiæ, non voluptatis & lætitiæ, ita quoque *Noë* ab uſu conjugii abſtinendum cenſuit, non tempus tunc eſſe judicans, concu-

concubitûs, deliciarumque, quandò omnium immineret interitus; indecorum enim videbatur, ut quo tempore viventes morerentur, tunc perituri generarentur homines. In egreſſu verò, uti propter neceſſariam humani generis multiplicationem, animaliumque propagationem, confeſtim generationi operam dare debebant, ita quoque virum cum uxore, & animantium maſculos cum ſuis fœminis conjunctim unitimque nominare voluit, ut videlicet in ingreſſu generationis abſtinentia, in egreſſu generationis uſus intelligeretur, neque in ingreſſu ſexus commiſceretur, miſceretur verò in exitu. Ita *Divus Ambroſius.*

CAPUT II.

De Altari & Sacrificio, quod Noë *fecit* Deo, *deque Divina ejuſdem Sacrificii approbatione.*

Laus *Noë.*

NOË vir juſtus & perfectus, ſummâ in DEUM fide, & Religionis zelo eximius, tantum apud DEUM meruit, ut dignus ſit habitus, magni Conſilii in *Arcæ* ſtructura angelus, dignus qui conſortio ſermonis Domini frueretur, ad oſculum Domini admiſſus, tot divinis probatus oraculis, poſt tot ac tanta à DEO in ſe collata beneficia, poſt tot revelationes à DEO acceptas, poſt *Arcæ* ipſi traditam adminiſtrationis curam, poſt humani generis inſtaurationem ipſi tanquam Vicario DEI commiſſam; poſt totius humani generis excidium, à *Diluvii* periculis, ſe Divini Numinis protectione immunem ſolum ſe, qui perditum Mundum inſtauraret, agnoſcens, ingenti Divini amoris zelo exæſtuans, quid tandem *Deo Opt. Max.* munificentiſſimo benefactori ſuo acceptum offerre poſſet, ſecum cogitans; cùm nil tantæ bonitati dignum reperiret; primò ſeipſum ſuoſque pleno intimæ devotionis ſenſu in perfectum holocauſti thymiama obtulit; atque ut interna mentis, externæ in DEUM fidei & Religioni devotio undequaque conſonaret, *Ædificavit* Noë *altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis, obtulit holocauſtum ſuper altare, odoratuſque eſt Dominus odorem ſuavitatis.* Eccè tibi clariſſimum grati, & pii erga DEUM animi ſpecimen; Vix enim ex *Arca* egreſſus erat; cum eccè ante omnia, plenâ mentis diffuſione, quæ ad Divinum cultum, religionemque ſuam erga DEUM conteſtandam pertinerent, exequi ſtuduit; dignum ſanè *Noëmo*, & juſtiſſimum opus. DEO enim, qui *Arcam*, in qua ſervaretur homo, *Noëmo* extruere præceperat, dignum profectò erat, ut illi Altare erigeret homo, in quo ſervator hominis, adoraretur ab homine; hoc enim non ſcripta duntaxat, ſed & naturalis lex æquum eſſe docet; ipſa ratio naturalis dictat, ut de ſuis donis imprimis honoraretur ipſe, à quo cuncta in mortales dona, & beneficia procedunt; quale verò iſtiuſmodi Altare fuerit, uti *Sacra Scriptura* ſilet, ita quoque incertum eſt; quantum tamen concipere poſſumus, dicerem, ex immenſa limi, qui montem cooperuerat, primò pegma quoddam ex trabibus *Arcæ*, vel quas limo ſaxiſque è rupibus exciſis, obduxerat, extruxiſſe, ibique ex obviis arborum proſtratarum truncis in Cataſtæ morem diſpoſitis, ex ſingulis Animalibus Mundis, in eo accenſo igne in holocauſtum perfectum, ſumma in DEUM fide, nec non profunda mentis internæ adoratione, obtuliſſe: quàm verò gratus, quàm acceptus hic Religionis actus fuerit DEO, *Sacra hiſtoria* hiſce verbis atteſtatur: *Odoratus autem Dominus odorem ſuavitatis;* non quod ſacrificium iſtud materiale animalium,

Noë Sacrificium.

Extructio altaris qualis.

lium, DEUM odore ſuo exhilarare poſſet, ſed quod devoto internæ mentis obſequio, quo *Noë* extrinſeco hoc fidei ſuæ in DEUM ſigno, gratitudinem ſuam proteſtabatur, ſummopere afficeretur; unde & in Hebraico textu legitur:

וירח יהוה את ריח הניחח :

Odoratuſque eſt Dominus odorem quietis. Dicebatur enim fumus ad ipſum, ſeu odor, qui cum fumo aſcendebat, *odor quietis*, quod videlicet, faceret DEUM quietum ab indignatione, & placatum offerenti; ut nimirum intelligeretur, indignationem divinam, per quam deſtructus fuerat Orbis Terrarum, hujusmodi *Noëmi* ſacrificio mitigatam, placatam, quietamque fuiſſe; eò quod benigniſſimus DEUS nunquam offerentium devotionem faſtidire ſoleat, ſed in ea ſibi complaceat, & ut ἀνθρωποπαθῶς loquar, ſolo hoc in DEUM affectu, *non verò animalia, quæ offeruntur, quæ nullam ad* DEUM *delectandum proportionem habent*; unicè gaudet & delectatur, juxta illud Pſalmiſtæ: *Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium, dediſſem utique, holocauſtis non delectaberis. Sacrificium* DEO *Spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum* DEUS *non deſpicies.*

Quantum DEO placuerit ſacrificium *Noë.*

Porrò, quantopere DEUS hujuſmodi ſacrificio delectatus fuerit, ipſe hiſce verbis teſtatur: ubi enim Vulgata dicit: *Odoratuſque eſt Dominus odorem ſuavitatis*, pulchre ſanè, & ſcitè exponit Paraphraſis Chaldaica Onkelos:

Geneſ. 8. *verſ.* 20.

וקביל יי ברעוא ית קורבניה :

Et accepit ſacrificium ejus cum beneplacito; & dixit: *nequaquam ultra maledicam Terræ propter homines, ſenſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua. Non igitur ultra percutiam omnem animam viventem, ſicuti feci, cunctis diebus terræ, ſementis & meſſis; frigus, & æſtus; Æſtas & Hyems, noctes & dies non requieſcent.*

Promiſſiones DEI.

Duplex ſub hiſce verbis homini à DEO promiſſio fit: *primò* ſe nequaquam Terræ ampliùs maledicturum pollicetur, *deinde* totius naturæ œconomiam ſemper ſalvam & incolumem reſtituram, quoad temporum viciſſitudines, tam anniverſarias Hyemis, & Æſtatis, quàm quotidianis diei & noctis, nec non alternantes primarum qualitatum, frigoris & caloris leges, atque tandem humanarum actionum, quæ ad ſuſtentandam vitam pertinent, veluti ſementis & meſſis; harum enim rerum omnium tempeſtiva alternatio & viciſſitudo ad decorem facit univerſi; confert ad pulchritudinem, & Terræ fœcunditatem, denique ad hominum animaliumque incolumitatem, atque ſalutem maximoperè utilis eſt, & neceſſaria. Magnum itaque fuit DEI promiſſum, cùm dixit: cunctis diebus Terræ viciſſitudinem temporum, & opportunitatem ſerendi, & metendi, ſimiliaque agendi perpetuò manſuram: cum verò hæc eadem, & ante *Diluvium* perſtiterint; meritò quis dubitare poſſet, cur hæc poſt *Diluvium* eventura dixerit, quaſi ante *Diluvium* nil horum accidiſſet. Sed qui attentè verba hæc expenderit, ea à DEO cum reſpectu quodam & comparatione ad annum *Diluvii*, prolata fuiſſe intelliget, quaſi diceret; non erit ampliùs futuris ſeculis ullus annus *Diluvii* anno ſimilis: hic enim annus, uti ad Mundum propter hominum impietatem perdendum deſtinatus erat, ita quoque nulla in eo temporum viciſſitudo, nulla Æſtatis, Hyemiſque diſtinctio, nulla primarum qualitatum temperies, nulla ſementis meſſiſque perficiendæ occaſio fuit, Mundo quippè terreſtri horrendo Cataclyſmi ſqualore penitùs oppreſſo, ſubmerſoque; hujusmodi igitur annus amplius non exſtiturus eſt; ſed uti priùs, ante *Diluvium*, ita & poſt, tempeſtivæ, & conſentaneæ temporum vices, nunc æſtus, nunc frigoris viciſſitudines, agrorum ſata coquentes: nequaquam itaque terram univerſali *Diluvio* perdam, ſicuti hoc

Solutio dubii.

anno



Sacrificium Noë post Diluvium

Sem

Uxor Noë

Japheth

Cham



anno feci; ſed juxta naturæ exquiſitas leges, & Orbem adminiſtrabo, & de cunctis in eo ad hominum neceſſitatem fulciendam providebo; nequaquam ampliùs maledicturus Terræ, & homini; ex quibus verbis luculenter patet pœnæ mitigandæ ratio, deſumpta ex pronitate hominis ad malum, quaſi inſita ad malum propenſio, & ab adoleſcentia ad peccandum inclinatio, homo ob imbecillitatem ſuam, nonnullam veniam mereatur; cum enim homo ex diverſis, & invicem repugnantibus appetitibus, ſenſitivo, volitivo, & rationali conſtitutus ſit; ille verò ad bonum ſenſui utile, & delectabile, hic verò, per ſe tendat ad bonum ſecundum rectam rationem, honeſtum, utile, & delectabile; pauciſſimi verò ſint, qui totis viribus tendant ad bonum rationabile, plerique ad ſenſibilium voluptatum illecebras trahantur; hinc fit, ut plerumque ſenſitivus appetitus rationalem in ſuas partes adſciſcat, penituſque ſui juris faciat; quod quidem malum aliunde non provenit, niſi ex peccato *Adami*, quo Natura primò recta, integra, & perfecta à DEO condita, vitiata verò & depravata in omnes ejus poſteros transfuſa & propagata fuit. Sed quidnam illud ſit: *Terror veſter, ac timor ſit ſupra omnia animalia Terræ*, expono. Reddidit DEUS inter alia ſua promiſſa *Noë*, filios, eorumque poſteritatem ſecuram à furore, & rabie animalium, & unà impoſuit cunctis animantibus timorem & tremorem, quo neſcio, quali divinitatis ſignaculo, quod præſeferunt, impulſa debitam obedientiam, tanquam ſuperioris ordinis naturæ præſtant, ei ſubſunt, ei ſerviunt. Quis non miretur vel vaſtiſſimum Elephantem à puero regi, & quò vult, deduci, & nutibus ejus obſequi? quod & de ferociſſimis Leonibus, Tigridibus, Urſis, Lupis dictum velim, cum & hæc ab hominibus facilè cicurentur, & pro nutu Directorum actiones ſuas exerceant; certè nil aliud, niſi character quidam Divinitatis homini impreſſus juxta illud: *Signatum eſt ſupra nos Lumen vultus tui, Domine*; hunc, veluti ſigillum à conditore ipſi impreſſum, bruta venerantur animalia; hoc illis terrorem & tremorem ad ei in omnibus parendum incutit; neque enim ullum in rerum natura animal eſt, quod homini noxam inferat, niſi vel primò laceſſitum, vel fame compulſum, vel metu ſui, aut alia quapiam perturbatione incitatum.

Homo ad peccandum proclivis.

Terror hominis ſuper omnia animalia quid notet.

Cur cuncta animalia hominem timeant.

Quod verò *Sacer Textus* dicat, Terrorem tremoremque hominum, non ſupra homines, ſed ſupra ſola animantia terræ ſe extendere debere, utique myſterio non caret, quod ut exponatur: Sciendum eſt, Naturam omnes homines æquales genuiſſe, ita ut nil, hunc inter, illumque intercedat, niſi quod variante meritorum ordine, alios aliis occulta poſtpoſuerit diſtinctio; ipſa autem diverſitas, quæ acceſſit ex vitio, rectè eſt divinis judiciis ordinata, ut quia omnis homo hujus vitæ iter æquo paſſu non graditur, alter ab altero regatur; Homo quippè animantibus, non autem hominibus naturâ prælatus eſt; & ideo dicitur ei, ut ab animalibus, non autem ab hominibus timeatur; contra naturam enim ſuperbire, ab æqualibus velle timeri, quanquam à non ſubditis etiam viri ſancti timeri cupiunt, cùm ab eis DEUM minimè timeri deprehendunt, ut humanâ ſaltem formidine peccare metuant, qui Divina judicia non formidant; in eo enim, quod metum ſibi à perversè viventibus exigunt, quaſi non hominibus, ſed brutis animantibus dominantur; cum verò deeſt vitium quod corrigatur, non de excellentia poteſtatis, ſed de æqualitatis conditione gaudent, & non ſolùm ab eis metui, ſed etiam plusquàm neceſſe eſt, honorari refugiunt; ita S. *Gregorius*.

Cur Terror hic ſupra animalia ſola, non ſupra homines promittatur.

CAPUT III.

Utrum carnium eſus ante Diluvium *in uſu fuerit, an poſt* Diluvium *primò inceperit?*

DUas reperio ſententias apud *Interpretes* de hoc Argumento controverſas. Primam aſſertivam; Alteram negativam. Priorem plerique *Interpretes* amplexantur; videlicet, ante *Diluvium* eſum carnium non fuiſſe in uſu. Poſteriorem verò defendunt haud incelebres Doctores, id eſt, eſum carnium ante *Diluvium* non tantùm fuiſſe in uſu, ſed & prorſus neceſſarium. Nos ad concordandas hujuſmodi opiniones, mediâ quâdam viâ procedimus, & dicimus: non omninò univerſalem fuiſſe uſum carnium, ante *Diluvium*, ſed forſan à ſtirpe *Sethiana*, DEO devota Domo, Religionis cauſa fuiſſe intermiſſum; non ſic ab improba *Kainitarum* familia actum fuiſſe, hi enim pro libitu, quo eos inſatiabilis παμφαγία trahebat, & plantas, herbas, fructus, olera, & denique carnes omnis generis, ad gigantæos ſtomachos implendos indiſcretâ edacitate devoraſſe, ſentiunt; quibus commixtam poſteà Sethianam progeniem (ex qua promiſcuo congreſſu Gigantes nati) conſuetudinem à *Kainitis* receptam ad *Diluvium* uſque conſervâſſe veriſimile eſſe putant. Sed jam, utriuſque Sententiæ rationes exponamus. Prioris Sententiæ *Aſſertores* aliam rationem non adducunt, niſi quod, cùm omnes herbæ, fructus, olera, fruges, in primitivo illo Mundi ſeculo, ſummo vigore ad enutriendum conſtarent, opus non fuiſſe carnibus; Poſteriores verò contrà, ſequentes rationes opponunt, quibus & nos ex parte ſubſcribimus.

I. Carnium eſus ante *Diluvium* probatur.

Prima eſt: Cum enim innumerabilis hominum multitudo à conditi Orbis exordio uſque ad *Diluvium*, univerſam pœnè Terræ faciem ingenti humani generis multiplicatione oppleverit; homines præterea μακρόβιοι, id eſt, longævæ vitæ fuerint; deinde robuſtis gigantæiſque corporibus præditi; in propatulo eſt, nec frumentum, neque olerum, neque leguminum, neque quarumcunque tandem arborum fructus, ad tot tantoſque homines tam longævos, tanto virium robore præditos, atque quàm copioſiſſimo alimento indigos ſuſtentandos, ſine carnium eſu ſuffeciſſe; niſi quiſpiam concedere malit, tunc temporis homines non ſecus ac Boves, Aſinos, Equos, Oves, Caprasque, præter olera, legumina, fructus, ſylvarum pratorumque virentes quoque herbas, folia arborum, ac tandem paleas, fœnum, & ſimilia beſtiis congrua nutrimenta comediſſe; quod uti à ratione abhorret, ita quoque minimè veritati conſonum eſſe cenſere debemus, quod panis ex frumenti farinâ coctus, variæ olerum fructuumque comeſtibilium ſpecies, non dicam, infinitam prope hominum multitudinem, & ſtomacho valentium robuſtiſſimo, ſuffecerint, ſed ne quidem innumerabili, & prodigioſæ animantium multiplicationi ſuffecerint; ergo præter dicta carnium eſus neceſſarius fuit.

Ratio Secunda. Si carnium eſus non fuit in uſu, neceſſariò ſequitur, animalia dum in nutrimentum non cederent mortalibus, libertati ſuæ commiſſa, in tantam creviſſe multitudinem, ut dum herbæ iis non ſufficerent, unum alterum confeciſſe, neque hominibus peperciſſe certum ſit: & quemadmodum Ovidius canit: II.

At vetus illa ætas, non polluit ora cruore,
Tunc & aves tutè tranabant aëra pennis,
Et Lepus impavidus mediis erravit in agris,
Nec ſua credulitas piſcem ſuſpenderat hamo,
Cuncta ſine inſidiis, nullamq; timentia fraudem,
Plenaque pacis erant.

Si

Multitudo infinita hominum requisivit esum carnium.

Si itaque animalium carnes in cibum non cederent, certè illa in tantam brevi tempore multitudinem, in fœcundo illo primævi Mundi tempore, multiplicata fuisse censemus, ut & montes, sylvas, valles, campos agrosque multitudine sua facilè opplêrint; volucrum quoque non fuerit numerus; pisces ob multitudinem, & mare, lacus, flumina exuberare facerent; quæ omnia otiosa fuissent, & omni emolumento carentia, si in alimentum, tunc infinitæ pœnè hominum multitudini non cessissent. Quis non videt, fieri non potuisse, ut & homines, & animalia solo herbarum frugumque alimento sine usu carnium victitârint? Ad quid *Abel* pastor Ovium greges suos nisi ad victum vestitumque pascebat, utpote quæ homini lanam ad operimentum, Lac verò Caseum, Butyrum & Carnes earundem veluti ad vitam sustentandam necessarias præbebant, nisi forsan aliquis frustrà hæc à natura instituta fuisse insipientiùs asserat. Hinc enim sequeretur, DEUM *Opt. Max.* qui tantâ providentiâ Mundum disposuit, illum non in emolumentum aut commodum hominum, sed solummodò ob decorem universi condidisse; quod quàm *Sacræ Geneseos paginæ* repugnet, quis non videt? Frustrà DEUS dixisset: *Crescite & multiplicamini, & replete Terram; Dominamini volucribus cœli, & bestiis terræ*, cum dominium illud non in oblectamentum oculorum solummodò, sed & in usum, & esum, id est, in victum vestitumque, ad vitam sustentandam necessarium, hominibus dederit. Carnium itaque usus necessarius fuit, præsertim comestibilium, ut sunt mundorum animalium; reliqua verò animalia immunda tam alitilia, quàm quadrupedia, etsi in cibum non cederent, homini tamen innumera commoda & emolumenta præstabant, tum ad varium usum pellium, cornuum, aliarumque rerum, tum ad medicas facultates, quibus pollebant, aliasque occultas naturæ vires, quas etsi non cognoscamus, in nostrum tamen usum ea nobis continuò prodesse, solus ille novit, qui ea tam sapienter condidit.

III.

Longævæ vitæ, & robustissimi homines carnis esum requirebant.

Ratio Tertia est: quod infinitam hominum, hominum, inquam, longævæ vitæ, validissimorum, & magno nutrimento indigentium multitudinem intra 16. secula solo herbarum, frugum, fructuumque alimento victitasse, minime rationi convenire videatur, præsertim cum infinitam pœnè multitudinem animalium herbivororum greges comestores habuerint, ut proindè nesciam, utrùm illa majores agris, arborumque fructibus strages ediderint? Itaque in tanta voracitate animalium, vel unico die eam depascebantur herbarum frugumque copiam, quæ vel integro anno repullulare non poterant; depastis autem agris, quid, nisi fames restabat? quâ stimulante, ad quid non edendum homines adigebantur? Profectò veritati haud incongruum assero, si vera esse credimus, quæ in *Primo Libro* hujus Operis, ex *Libro Enoch*, & *Berosо* authore Chaldæo pervetusto adduximus: Gigantæam illorum temporum progeniem, non dicam ab omnibus tam mundorum, quàm immundorum animalium carnibus, sed & ne quidem ab anthropophagia, sive ab humana carne abstinuisse. Quæ pulchrè sanè & scitè Dominicus de Soto *lib.* 5. *de Jure & Just.* confirmat. Sicigitur argumentatur: *Si esus carnium non erat in usu, id accidisse, necesse est, aut quia prohibitus, aut quia esus carnium id temporis non erat utilis homini, aut quia vis carnium nutritiva hominis non fuit eo tempore cognita, aut quia propter abundantiam & præstantiam alimenti, quod plantæ suppeditabant homini, esus carnium supervacaneus esset, & non necessarius; sed nihil horum ad fidem adstruendam opinioni eorum, qui carnium esum in usu non fuisse ante* Diluvium *asserunt, conducit*: Ergò, *siquidem nulla lege* prohibitum usum carnium, non quidem

Multis rationibus probatur carnium Esum in usu fuisse ante *Diluvium*.

dem naturali, ut patet, neque positivâ; talis enim nuspiam in *Sacris Literis* reperitur; nec quidem probabilis causa esse potuit, cur eo tempore esus carnium non esset conveniens, & utilis homini, cum *Philosophorum* omnium, *Medicorumque* concessu, & quod caput est, experientiæ documento meliorem esse constet, ad alendum & roborandum hominem, carnium esum, quàm plantarum; cum ex illis alamur, ex quibus sumus, utique ab Orbis conditu semper cibus carnium magis proportionatus fuit homini, ob similitudinem, quâ faciliùs istiusmodi nutrimentum in substantiam aliti convertitur, quemadmodum vini potus in sanguinem. Illud porrò minimè fit credibile, toto eo tempore quod præcessit *Diluvium*, id est, per annos 1656. vim carnium ad alendum hominem accommodatissimam, nec speculando fuisse homini cognitam, nec experiendo compertam. Posito autem, non concesso, id temporis plantæ sufficiens homini alimentum præbuerint, nec opus fuerit esu carnium, id tamen non probat, apud homines carnium esum in usu non fuisse. Quàm multis etiamnum vescimur non necessariis, sed quia melius, delicatius, & jucundius alimentum habeant? neque enim homines contenti sunt necessariis vel ad victum, vel ad vestitum, sed & alia multa curiosè avidéque sectantur, si meliora & suaviora ea esse putant. His accedit, omnia animalia à DEO producta ob usum hominum; sunt autem multa quæ præter escam cibumque vestitumque ignores, cui usui esse possint hominibus; ut sunt ovillum genus & pisces, volucrumque variæ, uti Perdicum, Turdorum, similiumque species, quarum carnes in nullum alium usum præterquam in palati irritamentum cedunt siquidem igne tostæ, vel odore suo grato statim appetitum ad eas comedendum sollicitant: imò quantum odore suo ad gulam sollicitent, experientia quotidiana sat superque docet. Quis rogo sibi persuadeat, homines istos primævos, nulli legi subjectos, incredibili corporum robore, & fortitudine præditos, qui veluti pondere quodam ferebantur eò, quò eos naturæ impetus impellebat, id detrectasse, quo & vires suas augeri experiebantur, & ad quod eos gula prorsus effrænis, deliciosusque carnium victus trahebat. Accedit, quod credi non possit, eos olera solummodò sine ullo condimento devorasse, sed pinguedine, quam iis copiosissimam natura præbebat, id est, ex Lacte, Butyro, Oleo, similibusque quamoptimè unà carnibus mista præparasse; fuit enim semper eadem hominum, est, eritque conditio, sive victum, sive vestitum spectes, qui uno & eodem cibo minimè contenti, nova semper, & nova gulæ irritamenta investigant; & experientia docet, in ultimo hoc gratiæ seculo, quo homines ne quidem rigido Ecclesiæ præcepto à prohibitis hujusmodi, potissimum Quadragesimæ tempore carnium victu contineri queant; quantò magis primævi isti homines, qui nullæ legi adstricti, suis confisi viribus, nil non ciborum ad vegetosissimos stomachos replendos, detrectabant. Quis denique neget, illos præter carnes, piscium, quibus flumina, lacus, mare exuberabant, frequentissimum usum habuisse, nisi, ut *suprà* diximus, eos quis dicat, præter decorem universi, nullum alium usum habuisse; quod & naturæ, & *Sacris Literis* expressè repugnat *cap.* 1. *Genes.* ubi, *dominamini Piscibus maris*, pisces expressè subjicit potestati & dominio hominis; quodnam verò dominium homines in pisces habere possunt, nisi, ut iis retibus, aut quocunque alio modo captis, homini in cibum cederent? cum alius usus in piscibus concipi non queat; non enim hominem vestiunt, non defendunt, neque jumentorum more in laboribus conficiendis subsidiò esse possunt, ergò ad solum cibum producti sunt.

CA-

CAPUT IV.

Cur Esum Carnium post Diluvium *expressè, non item suffocatorum, aut sanguinis eorum* Deus *concesserit.*

SIc igitur dicit *Moses* cap. 6. vers. 3. *Omne quod movetur & vivit, erit vobis in cibum, quasi olera, viventia tradidi vobis omnia.* Hoc loco DEUS videtur primùm carnium usum præscripsisse posteris *Noë*; Sed qui exactiori trutina rem ponderârit, videbit, non indè concludi, esum carnium ante *Diluvium* non in usu fuisse, sed quod multa scelera in esu carnium committerentur, quæ ne iterum committerentur à posteris, esum carnium quidem permisit, sed cum ea exceptione, quam *paulò post* exponemus; minimè enim ex carnium esu modò à DEO permisso, sequitur, eum ante *Diluvium* non fuisse in usu, & luculenter patet, ex Iride, quam DEUS ad propitiandum Orbi assumpsit in symbolum gratiæ & favoris, non quod tum primùm Iris nata sit, sed quod tunc temporis primùm DEUS illam, tanquam signum suæ in genus humanum fidei propitiationisque assumpserit: cum itaque Iris nihil aliud sit, quàm roscida nubes, quæ radiis solaribus in eam incidentibus multiplici colorum varietate in visum nostrum reflectitur; quis eam ante *Diluvium* non fuisse inscitiùs asseverabit? Certè nullus alius, nisi insensatæ mentis homo: cum enim illa originem suam ex nube jam in guttas resoluta ducat, certè is consequenter ante *Diluvium* non pluisse, asserere cogetur; quod quàm absurdum sit, quis non videt? Sicuti igitur Iris ante *Diluvium* fuit, etsi primò post *Diluvium* in signum propitiationis cesserit, ita & carnium esus, etsi post *Diluvium* immediatè primùm à DEO concessus sit, non tamen indè sequitur, ante *Diluvium* in usu non fuisse. Jam verò causas & rationes exponamus, cur DEUS post *Diluvium*, usum carnium singulari præcepto concesserit? & cur suffocata, & sanguinem animalium prohibuerit.

Cur DEUS sanguinis esum prohibuerit.

Notandum itaque, quemadmodùm in *Primo Libro* de vita & moribus primævorum hominum ostendimus, sceleratissimam eorum fuisse vitam, & immanem peccandi licentiam. Humani generis hostis Satanas nihil non attentabat, quàm ut humanam progeniem omni vitiorum peccatorumque vix credibilium genere, omni lege Divina proscriptâ contaminaret, quod tribus præcipuè laqueis executus est.

Satanæ retia ad illaqueandos homines.

Qualis primævorum hominum vita fuerit ante *Diluvium*, quàm scelerata, quàm immanis, quàm omni lege naturæ proscriptâ, ad effrænem quandam peccandi licentiam effusâ, suprà in *Primo Libro* hujus Operis ostendimus; non enim animalium quorumcunque tandem esu contenti, sed & ne ab humanorum quidem corporum comestione abstinebant, sanguinem calidum ebibebant ad vitam animamque bestiarum in se transfundendam; undè cædis hominum animaliumque nullus modus; ex quibus ob horrendas, quibus Satanas animas eorum excæcare non cessabat; superstitionis primùm porta ad omnem spurcissimæ libidinis execrandæ Idololatriam aperta fuit; Nam ut rectè in fragmento *Henoch* legitur: Ὁ δὲ Φάρμαρος κακοδαίμων ἐδίδαξε φαρμακείας, ἐπαοιδίας, σοφίας καὶ ἐπαοιδῶν λυτήρια. ὁ, θ, ἐδίδαξεν ἀστροκοπίαν. ὁ δὲ, η. ἐδίδαξε ἀεροσκοπίαν· ὁ δὲ, γ. ἐδίδαξε τὰ σημεῖα τῆς γῆς. ὁ δὲ, ζ. ἐδίδαξε τὰ σημεῖα τῆς σελήνης. Πάντες οὗτοι ἤρξαντο ἀνακαλύπτειν τὰ μυστήρια ταῖς γυναιξιν

αὐταῖς, καὶ τοῖς τέκνοις αὐτῶν. μετὰ δὲ ταῦτα ἤρξαντο οἱ γίγαντες κατεσθίειν τὰς σαρκὰς τῶν ἀνθρώπων, καὶ ἤρξαντο οἱ ἄνθρωποι ἐλαττοῦσθαι ἐπὶ τῆς γῆς· οἱ δὲ λοιποὶ ἐβόησαν εἰς τὸν οὐρανὸν περὶ τῆς κακώσεως αὐτῶν· καὶ ἐποίησαν ἑαυτοῖς οἱ υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων, καὶ ταῖς γυναιξὶν καὶ θυγατρᾶσιν αὐτῶν καὶ παρέβησαν· καὶ ἐπλάνησαν ἔτι τὸς ἁγίους, καὶ ἐγένετο ἀσέβεια πολλὴ ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ ἠφάνησαν τὰς ὁδὸς αὐτῶν.

tem ceciderat, primævum omnium superstitiosarum artium seminarium fuisse, sat docet: Nam, ut Berosus scribit: *Illis*, inquit, *temporibus circa* Libanum *fuisse* Enos *urbem maximam* Gigantum; *hi vastitate corporis, ac robore confisi, inventis armis omnes opprimebant, libidinique inservientes, invenerunt papiliones, & instrumenta Musica, & delitias. Manducabant homines, & procurabant, aborsusque in edulium præparabant veluti ova, & commiscebantur matribus, filiabus, sororibus, masculis & brutis.* Quæ omnia *fragmentum Arabicum*, quod in *Chronico Abulhassen* reperitur confirmat:

وكانوا لجبا برهرف الارض مشتغلين
باللهو قالالعب والمزمار والعسق وغيره
وكانوايجتمعون علي لامراه ويزنون بها
وكانت الشيا طين يزنون لهم اعما لهم
وهم يزنون بالامهات وكانوا قد اتخذوا
خمسه اصنام يتمثل لهم الشيطان علي
صور اولاد قبيل وهمود وسواع ويغوث
ويعوق ونسر يـــــــــــــــــــــــــــــــه ۞

Abenhassen in Chronico Arabum.

Erant autem in diebus illis Gigantes *in Terra, homines pessimæ vitæ; indulgentes ludis, jocis, Musicæ, aliisque incitamentis luxuriæ, & coïbant cum mulieribus fornicatione pessima, miscentibusque se operibus eorum pessimis dæmonibus, nunc incubos, nunc succubos sese illi præstabant, miscebanturque etiam, sine ullo pudore ipsis matribus, & sororibus. Idololatriæ impensè operam dantes, conficiebant opera fascinationis ex instructione dæmonum; quinque idola ad similitudinem filiorum* Cain. *Tunc* Dumasbal *Rex errare fecit universam terram, impius suis machinis corrumpendo non solùm suæ sibi ditionis subjectos, sed & impietatem divulgando cæteras quoque Regiones horrendis abominationum monstris*, id est, *abusu humani sanguinis, coïtuque animalium contaminavit.* Atque hisce tametsi apocryphis, valdè tamen Sacræ Historiæ, Sanctorumque Patrum traditionibus consenta-

Quænam docuerint dæmones homines, ad perditionem.

Pharmarus *itaque ex viginti* Egregoræis, *id est, malignis spiritibus undecimus docuit Magiam, & Artem incantatricem; (id est, varia pharmaca philtrica ex herbis, & sanguine hominum animaliumque mistis) præstigiatorumque expiatoria sacra; Nonus autem docuit artem deducendi stellas, id est, artem, quâ stellarum virtutes in statuas & simulacra se infundere posse credebant. Quartus Astrologiam divinatricem (quâ ei sortes, de fortuna status vitæ consultabant.) Octavus docuit artem divinandi per aërem. Tertius docuit Geometriam, id est, per signa Terræ. Omnes hi inceperunt uxoribus suis, & filiis eorum dicta revelare mysteria. Post hæc inceperunt* Gigantes *vesci carnibus humanis, repereruntque impio hoc exterminio homines decrescere super terram, & eò usque progressi sunt, ut vel ipsos sanctos prævaricari, & errare facerent, atque adeò magna extitit impietas super terram, & corruptæ sunt universæ viæ mortalium.*

Magicæ artes ante *Diluvium.*

Certum est, Magicas artes ante *Diluvium* valdè in usu fuisse, utique Satanâ magistro, qui omnes suas machinas in eum potissimum finem scopumque dirigebat, ut Mundum universum impietate, actionum perversissimarum enormitate, & veri, & unius DEI neglecto cultu, Mundum Idololatriâ perderet; quæ & *Josephus* scitè ostendit; quibus ait & *Chamum* imbutum unà secum in *Arcam* tabulas, quibus dictæ artes continebantur, attulisse, ut post *Diluvium* illa postero Mundo propalaret; *Ægyptusque* ea, quæ ipsi post *Diluvium* in sor-

ſentaneis, luculenter patet, cur poſt *Diluvium* DEUS cibum carnium partim permiſerit, partim vetuerit; hoc enim factum veriſimile cenſeo, non quod ante *Diluvium* carnium uſus non fuerit, ſed quod propter abominandos abuſus ſanguinis, tùm hominum, tum animalium, homines non in eadem vitia corruerent poſt *Diluvium*: quaſi DEUS ad *Noë* filioſque diceret: Noſtis, quanta ante *Diluvium* carnis perverſitas fuerit? Vidiſtis, quàm horrenda luxuriæ confuſio genus humanum contaminaverit; quàm temerario auſu ſanguinem humanum ſine cauſa effuderint; quantus in potu ſanguinis humani animaliumque in omni ſuperſtitionum genere abuſus; quomodò ſanguinis potu animas hominum animaliumque in ſe trahere poſſe credebant, per execrandas faſcini philtrorumque magicas operationes; Ne itaque idem in poſtero mundo contingat, dico vobis: *Omne quod vivit & movetur ſuper terram, erit vobis in cibum, veruntamen carnem cum ſanguine non comedetis, uti ante* Diluvium *faciebant, ſanguinem enim animarum veſtrarum requiram de manu cunctarum beſtiarum, & de manu hominis, & de manu viri, & de manu fratris ejus requiram animam hominis: quicunque effuderit humanum ſanguinem, fundatur ſanguis ejus.* Quis enim neſcit, uſum quoque apud veteres, uti *Porphyrius lib. de Abſtinentia* teſtatur, prohibitum fuiſſe, eò quod putarent, animas tam hominum, quàm animalium in ſanguine ſitas eſſe? malignos quoque ſpiritus ſanguine illo delectari? & ſub ſanguine latentes homines miris modis in omne vitiorum genus præcipitare? Alii per ſanguinis humani potum, occiſi animam per metempſychoſin in ſe attrahere ſtolidè putârunt; ita *Pythagorici*, & plerique *Rabbini* in hunc locum. Atque hæc opinio adeò altè ab origine Mundi, in hunc uſque præſentis temporis ſtatum, animis hominum inſedit, ut exſtirpari hucuſque non potuerit; unde & *Brachmanes Indiæ* animalium carnes non comedere, nec ſanguinem attingere audent. Quæ omnia ex dicta prohibitione poſt *Diluvium* à DEO facta, & deinde à *Moſe* lege præſcripta confirmata, originem ſuam acceperunt, & quàm expreſsiſſimis verbis *cap.* 17. *Levitici* proponitur his verbis: *Hinc quilibet de domo* Iſraël, *& advenæ, qui peregrinantur inter vos, ſi comederit ſanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius, & diſperdam eum de populo ſuo, quia anima carnis in ſanguine eſt, & ego eum dedi vobis, ut ſuper altare meum expietis pro animabus veſtris, & ſanguis pro animæ piaculo ſit; ſi quis itaque venatione, aut aucupio ceperit feram, vel avem, quibus veſci licitum eſt, fundat ſanguinem ejus & operiat illum terra.* Cùm enim vita conſiſtat in calido, & humido, talis autem proprie ſanguis ſit, neque vita ſine alimento conſtare poſſit, ultimum verò alimentum ſanguis ſit, vel ſpiritus vitalis, purioris ſanguinis portio, idem foret, comedere ſanguinem, comedere vitam ipſam animalis, vel animal vivum comedere, quod naturæ repugnat: hinc ſanguis immolatorum ponebatur in vaſe ſupra altare, aut ad baſin ejus fundebatur; eò quod propter admiſſa crimina debuiſſet ſanguis & vita hominum profundi, perdique, benigniſſimus DEUS, & juſtus pro vita & anima hominis juſſit vitam, & ſanguinem animalium ſibi offerri. *Divus Thomas* verò addit alias cauſas, quarum prima eſt, quod fugiendæ Idololatriæ, ad quam *Hebræi* quàm proniſſimi erant, cauſâ prohibuiſſet DEUS eſum ſanguinis: Nam Idolorum cultores libabant de ſanguine victimarum; altera verò in odium & deteſtationem homicidii, ut tantò magis horrerent humani ſanguinis effuſionem, quibus eſus ſanguinis animalium ſevere interdictus fuiſſet. Certe ob rationes ſupradictas, eſus ſanguinis etiam tempore Legis Euangelicæ, in primo Eccleſiæ Concilio, & *Apoſtolorum* Decreto, non tantùm apud *Hebræos* firmatus

Cur ſanguinis potus prohibitus fuerit.

Quomodo *Apostolocum Decretum* de abstinentia à sanguine & immolatis suffocatisque intelligendum sit.

tus fuit, verùm etiam omnibus ex gentilismo ad *Christum* conversis indictus; sic enim dicitur cap. 15. Actor. *Visum est Spiritui Sancto, & nobis nil ultra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione, à quibus custodientes vos, benè agetis, valete.* Hujus prohibitionis alia ratio dari non potest, nisi quod cum istarum rerum abstinentia apud plerosque *Latinos*, & in Ecclesia Occidentali jam cessasset; multi tamen præsertim ex *Græcis* in Ecclesia Orientali hujus observantiæ, vel propter inveteratam ejus consuetudinem, vel propter Apostolicæ authoritatis & sententiæ reverentiam, tenaciores fuerint; Abstinentiam harum rerum haudquaquam ad Legis Mosaicæ observantiam confirmandam; sed ad *Judæorum, Gentiliumque* animos facilitùs in unionem fidei conglutinandos ab *Apostolis* decretum fuisse existimamus. Cùm enim *Judæi* ex antiquissima consuetudine, sanguinis esum incredibili aversione horrentes, summo odio testarentur; esus autem eorum, quæ simulacris immolata erant, magnum eis scandalum afferebat, suspicantibus id esse argumentum reditus *Gentilium* ad Idololatriam; cessante autem tali causâ, cessant & effectus; prohibitionem itaque illam solummodò in principio nascentis Ecclesiæ ad *Judæos* cum *Gentibus* faciliùs in unum corpus uniendos, *Apostolos* vim suam obtinere, non posterioribus seculis voluisse, ex eo patet, quod Mosaicæ legis cerimoniæ posteris temporibus in Ecclesia Catholica penitùs abolitæ sint. Sed hæc de carnium esu dicta sufficiant.

CAPUT V.

Utrum ante Diluvium *fuerit Pluvia, & Iris, & quid sit signum illud, quod* Deus *assumpsit post* Diluvium, *placationis suæ erga genus humanum.*

Genes. 9. vers. 13.

AD faciliorem rerum captum, adducam verba *Sacri Textus*; uti sequitur: Arcum *meum ponam in nubibus, & erit signum inter me & inter Terram, cumque obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus cœli, & recordabor fœderis, quod pepigi vobiscum, & non erunt amplius aquæ* Diluvii *ad delendam universam terram.* Ex hisce verbis nonnulli *Interpretes*, audaciâ plusquam temerariâ, neque pluvias, neque iridem ante *Diluvium* fuisse, quàm absurdissimè opinati sunt, & pluvias quidem non fuisse, ex illo 2. Geneseos: *Nondum enim pluerat* Dominus DEUS *super terram, neque homo erat, qui operaretur eam*; Id se probare posse putant. Quis rogo ex hoc versiculo tale quid colligat? cum tantum abest, ut indè quidpiam περὶ τῆς ἀνωμβρίας, ante *Diluvium* inferri, ut potius pluvias ante *Diluvium* fuisse, ex iisdem verbis quàm luculentissimè demonstrari possit. Nondum enim in Mundi primordio ante hominis productionem Dominus pluerat super terram, ergo nunquam pluet? O lepidam & ridiculam illationem! necdum ortus est sol, ergò nunquam orietur? Dixerat *Christus* ante suam passionem, *Nondum venit hora mea*: Ergò passio & mors Servatoris, sine quo Mundus redimi non poterat, suo tempore non consequetur? Sic loquuntur homines omni judicii mica destituti: Quis nescit Adverbium, *Nondum*, eum qui fieri debet, eventum minimè tollere, in rebus naturæ necessitati subjectis? Est itaque hæc opinio non minus absurda, quàm præsumptuosa & temeraria. Natura rerum, à quo tempore sapientissimus Opifex

Perperam sentiunt qui pluvias ante *Diluvium* negant.

Opifex eam rebus omnibus inſevit, tota, integra, & invariabilis manſit, & ad conſummationem ſeculi ſemper manebit.

Mala quæ pluviarum defectum ſequuntur.

Quis rogo, tam ſtupidæ, & inſenſatæ mentis eſt, qui 1656. annis ab Orbe condito uſque ad *Diluvium* nunquam pluiſſe ſibi perſuadere poterit? præſertim cum ad inferioris mundi œconomiam conſervandam pluviâ nil magis neceſſarium concipi poſſit. An non univerſa Terreni Mundi machina, tanto annorum decurſu, nimio ſolis æſtu in pulverem abiiſſet? An non univerſa plantarum, herbarum, arborumque genera, calore ſolis ſiccata exaruiſſent? imò omnia flumina, lacus, foſſæ, fontes, infallibili hominum animantiumque interitu, omni humore exhauſta ceſſaſſe dici poſſent? cum quotidiana experientia doceat, quantò vel ex ſemeſtri pluviæ defectu mortalium animi, metu annonæ caritatis fecuturæ conſternantur? Certè Divina juſtitia ob peccata mortalium; non aliis pœnis, quàm fame, bello, peſte, quæ tamen ſemper pluviæ ſuſpenſionem conſequuntur, admonere ſolet, & ex *Hiſtoria Regum* Septennis pluviarum apud *Samaritanos* ſuſpenſio clarè docet. Sed hæc de abſurda ἀνωμβρίας ante *Diluvium* ſententia ſufficiant.

Cum itaque nemo tam inſenſatæ, & inſulſæ mentis, & naturalium effectuum adeò ignarus ſit, qui pluvias ante *Diluvium* non fuiſſe, aſſeverare audeat, imò à *Diluvio* uſque ad præſentis temporis ſtatum, & hinc uſque ad conſummationem ſeculi, & pluviam ſemper & effectus ejus perſtitiſſe, neceſſe eſt; Effectus autem præ innumeris aliis admiratione ſanè digniſſimis apud omnes ſemper fuit *Arcus Cœleſtis*, ſive *Iris*; quam DEUS poſt *Diluvium* in ſignum placati Numinis, *Noë* poſteris dedit. Si ergò pluviam ante *Diluvium* fuiſſe verum eſt, & ſalvâ naturæ integritate, nemo negare poteſt? *Iris* autem nil aliud ſit, quàm roſcidæ nubis à ſole illuminatæ & ad nos dum in guttas reſolvitur, reflexæ

Iris ſignum fœderis inter DEUM & homines.

effectus, fieri non poteſt, ut ante *Diluvium* non comparuerit. Quæ omnia fuſiùs hic ex *Iridis* geneſi demonſtrari poſſent, ſi argumenti inſtitutum permitteret, qui verò *Iridis* generationem, colorum varietatem, & alia accidentia & proprietates verè admirandas noſſe deſiderat, is *Librum noſtrum*, cui titulus eſt, *Ars Magna Lucis & Umbræ* conſulat, ubi quàm ampliſſimè cuncta ad *Iridem* ſpectantia expoſuimus. Nihil igitur modò reſtat, niſi ut modò exponamus, cur DEUS poſt *Diluvium* placati Numinis erga genus humanum, veluti ſignum *Iridem* aſſumpſerit.

Naturale eſt Soli, ex aquis & Terra vapores extrahere, & in mediam aëris regionem extollere; naturale eſt, ex denſis nubibus imbres gigni, & in terras delabi; denique naturæ effectus eſt, in nubibus modicè denſis atque humidis, & diverſo ſolis fulgore percuſſis *Iridem* generari, hunc igitur naturalem & perpetuum naturæ proceſſum atque ordinem toto eo tempore, quod præceſſit *Diluvium*, non fuiſſe, amens eſt, qui credit. Cur enim DEUS hunc Naturæ ordinem toto eo tempore impediviſſet? quorſum tam magno atque diuturno miraculo naturalem pluviæ generationem prohibuiſſet? Deindè ſi tanto tempore nulli fuiſſent imbres, omnia profectò, uti *paulò antè* diximus, in Terris nimiâ ſiccitate in ariditatem redacta interiiſſent. Quis neſcit, hoc noſtro ſeculo, & in ſuperiorum temporum *Sacra Regum Hiſtoria*, ex trienni imbrium penuriâ tum homines, animalia, ſtirpeſque, tum fame magnam orbis partem interiiſſe. Sed dicent fotaſſis, Terras, uti in *Nilo* obſervatur, ſtatis temporibus inundatas, fœcundataſque fuiſſe. Quæro ego ab iis hujus inundationis Niloticæ cauſam, quam ſi invenerint, unà quoque, eos fateri neceſſe eſt, hujus inundationis cauſam aliam non eſſe, niſi pluvias, quæ in interioris *Æthiopiæ*, Lunæ montibus,

Inſipienter *philoſophantur* qui *Iridem* ante *Diluvium* non fuiſſe dicunt.

dum ſtatuto tempore, immodico imbrium delapſu, niviumque reſolutione omnes campos, fluminumque alveos replent, *Nilum* immenſâ aquarum mole aggravatum, & in humilem *Ægypti* regionem per catadupa devolutum, in ea inundationem efficere neceſſe eſt. Sine pluvia itaque nulla in Orbe Terrarum inundatio contingit. Etſi enim in *Ægypto* non pluat; pluit tamen immodicè in *Æthiopia*, uti dixi, ſtatis temporibus, unde magno ſuo emolumento ſuam ſortitur inundationem *Ægyptus*. Frivolam igitur, & nullius momenti objectionem hanc eſſe, quis non videt? cum itaque & pluviæ, & *Iris* non ſecus ac hodiè ſemper acciderit, quæri ſolummodò hoc loco poteſt, cur DEUS *Iridem* pro Symbolo propitiationis ſuæ poſt *Diluvium* aſſumpſerit? Ad hoc itaque reſpondemus, *Iridem* à DEO non fuiſſe aſſumptam, tanquam ſignum naturale *Diluvii* non venturi; ſed tantùm ex pura DEI voluntate. Cum enim poſt *Diluvium*, cum promiſſi ſui de non futuro *Diluvio* ſignum aliquod dare vellet hominibus, poſſetque quodlibet aliud aſſumere, præ cæteris tamen ad id elegit *Iridem*. *Iris* igitur non eſt ex natura, ſed ex DEI voluntate ac decreto, vim habet ſignificandi nunquam futurum *Diluvium* univerſale; Et hoc pacto probatur: Si *Iris* eſt naturale ſignum *Diluvii*, aut eſſet ſignum futuri *Diluvii*, aut non futuri, aut futuri & non futuri, aut neque futuri, neque non futuri; Non poteſt eſſe ſignum naturale futuri *Diluvii*, tum quia generatio *Diluvii* non poteſt fieri ex cauſis naturalibus, quemadmodùm *ſuprà* demonſtravimus, ſed tantùm Omnipotentis DEI virtute; *Iris* ergò non poteſt eſſe naturale ſignum ejus: tum quia DEUS promiſit nunquam deinceps futurum *Diluvium*, ejuſque promiſſi ſui *Iridem* voluit eſſe ſignum. Secundò, neque *Iris* eſt naturale ſignum non futuri *Diluvii*, tum quod ea ſæpiſſimè fuerit ante *Diluvium*, non obſtante, quòd poſteà venit *Diluvium*; tum etiam, quod ſi ſecundum ſuam naturam ſignum eſſet non futuri *Diluvii*, ſupervacaneum & incongruum fuiſſet eam à DEO conſtitui tanquam novum quoddam ſignum non futuri *Diluvii*. His accedit, quod *Diluvium* generale effectus naturalis, uti *paulò antè* diximus, minimè dici poſſit, ſed purè ſupernaturalis, ut proindè fieri, aut non fieri *Diluvium*, ſolummodò ex DEI voluntate pendeat; Non igitur ejus rei naturale ſignum *Iris* eſſe poteſt. Dicere autem *Iridem* eſſe ſignum *Diluvii* & futuri, & non futuri, non modò falſum, ſed & prorſùs abſurdum & impoſſibile eſt; *Idem enim manens idem*, uti Scholæ loquuntur, *non poteſt aut facere, aut ſignificare contraria*. Reſtat itaque *Iridem* nec futuri *Diluvii*, neque non futuri *Diluvii* eſſe ſignum naturale, ſed merè voluntarium & ad placitum. Quamvis enim *Iris* ante *Diluvium* extiterit; non tamen tunc ſignum fuit, ſed poſt; ſiquidem DEI promiſsum, & pactum de non futuro *Diluvio*, cujus ipſe voluit eſſe *Iridem*, non ante, ſed poſt *Diluvium* factum eſt; neque quiſpiam mirari debet, *Iridem*, qui eſt effectus naturalis ab origine Mundi à natura productus, ſignum fieri rei novæ, & voluntariæ, quale eſt promiſsum & pactum DEI, id enim frequenter uſu venit in rebus humanis: Verbi gratia, ſaxum, quod alicubi longo tempore immobile jacuit, ab hominibus tanquam ſignum aſsumitur diviſionis agrorum & poſſeſſionum; ſic aqua naturalis in Baptiſmo aſsumitur à DEO ad conferendam gratiam ei, qui juxta conſuetam ſacramenti adminiſtrationem aqua tingitur. Pari pacto *Iridem* DEUS præ cæteris elegit in ſignum non futuri *Diluvii*, eò quod nullus eſset in natura rerum pulchrior ſublimiorque effectus *Iride*, utpote in quam exortam mox oculi omnium convertantur, & promiſſi à DEO, de non futuro ampliùs *Diluvio* memores, ad Divini Numinis benignitatem & miſericordiam concelebrandam fiducialiter animentur.

Iris non eſt ſignum naturale non venturi amplius *Diluvii*, ſed ex voluntate DEI aſsumptum.

PARS

PARS II.

De geſtis *Noë* poſt *Diluvium*.

CAPUT I.

An Noë *aliquanto tempore in montanis* Ararat *regionibus commoratus ſit.*

NOëmo cum filiis ſuis *Sem*, *Cham*, *Japhet*, ex *Arca* unà cum animantibus egreſſo, non eſt veriſimile, eum ſtatim in planitiem adhuc aquis madidam, & immenſi limi copiâ undiquaque oppletam, in qua neque herbæ adhuc eruperant, neque arbores diſcoopertæ adhuc germinârant, neque fontes in ſinuoſa fluminum diverticula, ſe diffuderant, deſcendiſſe; ſed in vaſtiſſimis montis *Ararat* campis, vallibuſque conſtitiſſe, donec univerſi planitiei campi, jam ad agriculturam apti redderentur. Itaque, uti dixi, *Noëmum* ad nonnullos annos in medio montanæ habitationis diſtrictu, jam à defluxu limi libero, fontiumque ſcatebris ſaluberrimo commoratum, prima agriculturæ exordia inſtituiſſe, rationi conſonum eſſe quis non videt? In vaſtiſſimis itaque montis *Ararat* receſſibus, & agriculturam exercuiſſe & per filios, propagationi humani generis inſtitiſſe, dubium nulli eſſe debet, qui quæ *ſuprà* de planitiebus, *Diluvio* oppletis adduximus, ritè conceperit. Nam cum *ſuprà* in *primo libro* oſtenderimus, *Noëmum* cum filiis in *Arcam* ingreſsum fuiſſe, menſe *Niſan*, qui partim *Aprili*, partim *Maio* correſpondet, uti ex *Hebræorum* computu conſtat, *Diluvium* verò unà integro anno duraverit, certum eſt, illum egreſsum extra *Arcam* fuiſſe eo ipſo tempore, quo ingreſsus fuerat, quandò jam in montana habitatione arbores, paſcua, plantæ, verno temporis calore, in copioſiſſimos germinum fœtus erumperent, Agrorum campi fœcundo feminum jactu imprægnarentur; Animalium ergò univerſa multitudo, fœcundis congreſſibus, præceptum Domini complerent; Non eſt, inquam, dubium, quin *Noë* prudenti conſilio, & providentiâ, tuguria caſaſque ad commodiùs habitandum, exſtruxerit; filios ſuos agrorum colendorum artem docuerit, & quæcunque tandem ad vitam humanam, neceſſariarum rerum copiâ ſuſtentandam, modos, rationes dictando, inſtruxerit, quin & ad immenſæ bonitatis & miſericordiæ Divinæ beneficium, quo à perditi Mundi interitu eruti fuerant, recognoſcendum, DEI cultum per Sacrificia, aliaſque cerimonias ſacras præſcripſerit; verbo, nihil eorum, quæ ad politicæ moraliſque vitæ tranſactionem, neceſsaria videbantur, eum intermiſiſſe, credibile eſt. Montes enim primævos poſt *Diluvium* homines amaſse, jam in *præcedentibus* dictum fuit, eas ob cauſas; primò quod tum inferiorem terræ planitiem necdum in fluminum alveos diviſum, ſed alta limi congerie, oppreſsa cuncta ſqualerent, tum quòd vaporum noxiorum ex tot hominum, animalium, ſerpentumque cadaveribus, exhalationum miſcellam, quâ terreſtres quisquiliæ inficiebantur, oppidò hominum animaliumque ſaluti noxiam cognoſcerent; ſatiùs itaque judicabant, in altioribus montium locis, ob defæcatum jam aërem, ventorum ſalu-

britate purgatorum, unà cum ſalubrium aquarum ſcatebris, conſiſtere uſque dum multiplicato genere humano, novas ſemper & novas habitationes ad planitiem uſque conſtruerent, donec jam nonnullorum annorum decurſu, vi ſolis ſiderumque influxu habitationi hominum idonea aptaque reddetur, quæ apud *Commentatores in libro Micra haggadol* appellato confirmantur. Beroſus quoque, ſi tamen ei fides habenda, plurima noſtris conformia de iis rebus, à *Noë* poſt *Diluvium* geſtis, narrat. *Finito* Diluvio, *cum Arca in* Gordiæo *monte* Armeniæ *conſediſſet*, Noë *paulatim in loca plana & brevi multiplicata progenie (perpetuo enim gemellos edebant, maſculum & fœminam) adeò completa eſſe hominibus ea loca, ut neceſſe fuerit, multos indè recedere, ſed* Noë *diù ibi manſit, ſuoſque filios primùm docuit agriculturam, arteſque colendi vites, & conficiendi vinum, tum ſacros ritus, & cerimonias colendi* DEUM, *multa quoque naturalium arcana mandavit literis, quæ apud* Scythas, Armenos, *ſolos Sacerdotes legere, docere, & diſcere fas eſt; docuit quoque curſus cœlorum, & menſes duodecim ad motum Lunæ accommodatos, multaque impoſterùm ventura Aſtronomiæ ſcientiâ prædicebat; quamobrem quaſi* DEUM *quendam venerabantur, eumque* Solem & Cœlum *cognominabant; adhortabatur autem homines Familiarum principes, ut novas ſedes quærerent.*

CAPUT II.

De Plantatione Vineæ à Noë *facta, & utrum ante* Diluvium *uſus plantationis vitium, & vini fuerit?*

SAcer Textus cap. 9. de *Noë* ſic habet: *Cœpit* Noë *vir agricola exercere terram & plantavit vineam, bibenſque vinum inebriatus eſt.* Cui Hebræa Lectio conſonat:

Geneſ. 9. verſ. 20. ויחל נח איש האדמה ויטע כרם וישת מן היין וישכר:

Et cœpit Noë *vir terræ, & plantavit vineam, & cum bibiſſet vinum, inebriatus eſt.* Chaldæa ſic habet:

ושרי נח גבר פלח בארעא ונצב כרמא ושתי מן חמרא ורוי:

Et cœpit Noë *vir operans terram, & plantavit vineam, & bibit ex vino, & inebriatus eſt;* Hiſce, conformibus verbis reſpondet *Græca* & *Arabica.*

His præmiſſis, jam videndum reſtat, undenam *Noë* ad agriculturam, & plantationem vineæ, triticum ſimiliaque frumentacea ſemina, undenam racemos vitium acceperit; certum enim eſt, neque ſemina immediatè poſt *Diluvium*, neque vites, neque fructiferarum arborum radices illum obtinere potuiſſe, cum omnia profundi & limoſi ſedimenti aggregatione, jam ſepulta ſqualerent, neque, etiamſi ſemina jam in gramen aſſurgerent, ad multos tamen menſes matureſcere non poterant; & conſequenter fame enecari eos neceſſe erat, ſi aliundè copioſam frumenti, aut racemorum proviſionem paratam non habuiſſent. Ego itaque ex hujuſmodi actionibus concludo; *Noëmum* non uti nonnulli *Interpretes* hujus loci imperitè exponunt, ex emergentibus derepente poſt *Diluvium* germinibus ſegetum, & recentibus uvarum racemis, & agros conſitos coluiſſe, & vineas plantare cœpiſſe; Hoc enim falſum eſſe, ex dictis *paulò ante* rationibus luculenter patuit: ſequeretur enim, ſegetes ſtatim poſt *Diluvium* non tantum ex ſeminio frumentaceo, aut vitibus infra fæces limoſas relictis ſtatim refloruiſſe; ſed & jam ad meſſem quoque colligendam, vindemiamque inſtituendam, opportunas aptaſque fuiſſe, quod & climati montis *Ararat*, præſertim verno tempore prorſus

sùs contrarium esse, quis non videt? imò idipsum vel ipsi naturæ repugnare indè patet, quod frumentaceæ species terrestrium quisquiliarum immensa congerie & miscellâ corrupta & oppressa, non nisi multorum annorum decursu instaurari potuerit, & ex hodierni temporis, quibus campi oblimantur, inundationibus, experientiâ magistrâ constat; Non igitur *Noë* ex seminibus post *Diluvium* immediatè productis, aut ex vitibus jam uvis gravidis; sed quemadmodùm in *præcedenti Libro*, ubi *de Commeatu Arcæ* ageremus, ante *Diluvium* secum quicquid ad agrorum culturam, & fructiferarum arborum plantationem necessarium erat, ne post *Diluvium* in tanta terreni globi confusione, & transformatione, deficientibus & seminibus, & fructibus, fame & ærumnis enecarentur, secum, uti prudentem & sagacem œconomum decet, in *Arcam* detulisse. Qui verò hoc loco mihi objiciunt, ante *Diluvium* neque frumentum, neque vites in usu fuisse, illi uti naturalium rerum peritiâ destituuntur, ita quoque turpissimè hallucinantur, idque sequentibus rationibus demonstro: neque enim hìc ullam necessitatem video, cur, ut suæ assertioni nonnullam authoritatem concilient, destructo totius Naturæ statu, statim ad miracula confugere non vereantur.

Natura rerum ab exordio Mundi à rerum omnium conditore constituta, semper eadem, & immutabilis perstitit, & usque ad ultimam rerum consummationem perstitura est; sine causa itaque asseverare Naturæ operationes, alias ante *Diluvium*, alias post *Diluvium* fuisse, temerarium, ne dicam stolidum censeo; Et frumenti quidem panisque usum fuisse ante *Diluvium* nemo negat; imò *Sacer Textus* id apertè docet cap. 3. Gen. *In sudore vultus tui vescéris pane*, frustrà autem hæc à DEO dicta fuissent, si *Adam* panis usum nescisset, imò solis herbis, & fructibus, & homines & animalia victitasse diceretur; Verùm eorum opinionem jam *suprà* confutavimus. Si ergò panis in usu fuit ante *Diluvium*, certe vini quoque usum viguisse, illum fateri necesse est, qui primævorum hominum in omnem ingluviem ebrietatemque effusorum intemperantiam non novit; neque ii audiendi sunt, qui uvas quidem illos comedisse, ajunt, sed minime vinum bibisse: quasi verò adeò stolidi fuerint, ut nobili uvarum liquore allecti, illas non in vini liquorem facillimo negotio per expressionem resolverent; quasi difficilius illis fuerit, ex uvarum expressione vinum, quàm ex melle hydromely, aut ex succis pomorum, pyrorumque expressione, mulsum parare; neque enim verisimile est, solius aquæ potu illos vixisse, sed & succis ex variis fructibus expressis potum sibi confeciisse; Est tempus, & vivendi necessitas adeò ingeniosa, dum ad corporis sustentationem non solùm res necessarias, sed & delicias gulæ congruas, reperire non desistat, quod uti hodierna die accidit, ita quoque non video, illud naturæ beneficium cur primævis hominibus denegatum videatur.

Neque ullam vim habet illorum objectio, dum dicunt nil de eo in *Sacra Genesis Scriptura* comperiri, ac proinde ex omnibus mortalibus primum fuisse vineæ plantatorem *Noëmum*, primumque qui vinum gustando inebriatus sit: quod si intelligatur post *Diluvium*, verum est, ante verò *Diluvium* apud primævos homines intra 1656. annos, quis non videt, id admitti non posse? Erant illo tempore homines à posteris *Diluvii*, non disparis conditionis; certe uti robusto corpore, & longævâ vitâ præditi erant, ita quoque in tanta atque tam multiplici rerum ad vitam sustentandam necessariarum apparatu, vini usum nescisse, quis credat? cum ex se, & suâ naturâ inclinarent, non uti bruta animantia ad solum herbarum fructuumque usum, sed & successu temporis, ex carnibus,

herbis, fructibusque, delicatissima edulia adinvenisse, quibus non dicam ad necessitatem, sed & ad delicias in conviviis, quibus ipso *Christo* Servatore nostro attestante, indulgere solebant, uterentur: siquidem apud *Matth. cap.* 24. *vers.* 37. & apud Lucam cap. 17. *Christus* sic loquitur: *Sicut enim erant in diebus ante* Diluvium *comedentes & bibentes, & nuptui tradentes usque dum* Noë *intravit in* Arcam *& non cognoverunt, donec venit* Diluvium *& tulit omnes: sic erit adventus Filii hominis;* Si itaque comedebant, & bibebant istis diebus, quis sibi persuadeat in conviviis adeò solennibus, eos solo herbarum fructuumque esu, aut solo aquæ potu consueta symposiorum festa peregisse; quin potiùs magno eduliorum ciborumque apparatu, genio indulsisse certum est, cum ante *Diluvium* hominibus ingenium esset promptius, & ad ea quæ ad gulam pertinent proclivius, quàm post *Diluvium;* Qui pronitatem hominum ad ciborum lautitias, & gulæ irritamenta, quæ nullo unquam tempore, ad ea quovis modo procuranda, norit, quod dixi, verum inveniet; nisi quis forsan primævos Mundi homines à posteris specie distuliisse, amentiùs sibi persuadeat.

Primævi homines ad gulam proniſſimi.

Quemadmodùm itaque isto tempore frumentum in farinam primò moleretur, & deinde in panem, quo cibarentur, coqueretur; ita etiam uvæ primò in liquorem expressæ vinum ad bibendum suppeditabant, quæ humanæ vitæ sustentandæ communis & substantialis cibus, & potus est; ut proindè *Christus*, Servator noster, hasce binas materias, panem & vinum, in corpus & sanguinem suum in Eucharistiæ Sacramento convertendas, in animarum cibum, tanquam usui humano proprias, assumere dignatus sit.

Panis & vinum ante *Diluvium.*

Ex hoc itaque longiori, quàm par erat, ratiocinio, quàm luculentissimè colligitur, ante *Diluvium* & vini potum in usu fuisse, & vineas plantatas; *Noëmumque* data opera vitium surculos intra *Arcam*, unà cum ingenti frumenti copia, fructiferarumque arborum stolonibus attulisse, ut ea subitò in plantationis negotio servire possent; unde certum est, omnibus recta judicii trutina rem ponderantibus, *Noëmum* post excultam vineam uvas non gustasse tantùm, nam ut experientia constat, uvarum esum, vim inebriandi tantam non habere, ut *Noëmum* in ebrietatem profundam cadere sineret; sed ex expresso uvarum liquore vinum confeciisse, cujus suavitate allectus, dum nimium potaret, inebriatum fuisse, non quod nunquam vinum bibisset, sed quia vini & suavitatis ejus ante *Diluvium* frequenter gustatæ memor, post tot labores exanthlatos, ad confortandas vires, corque lætificandum, in tot mœroribus nihil vino salubrius, conducibiliusque esse posse censebat, sed hæc ad eos, qui vini potum ante *Diluvium* in usu non fuisse, perperam asseverant, sufficiant.

Noë vitium plantas data opera secum intra *Arcam* contulit.

Vini usus ante *Diluvium.*

Multi itaque, imò plerique *Authores* censent, *Noëmum* ex ebrietate utique involuntaria quàm ex potu vini incurrerat, non peccâsse, sed hanc notam *Mosen* memoriæ prodere voluisse, & litteris nunquam interituris posteritati consignare, & immortalitati commendare censuisse; *Primò*, ut ex hoc etiam appareat, quanta sit Sacræ Scripturæ simplicitas & sinceritas, dum nihil dissimulat, sed omnia mala æquè ac bona integrè atque incorruptè narrat: *deindè* in exemplum & documentum eorum, qui hujus loci historiam lecturi sunt, ut ex aliis periculum facerent, quod sibi ex usu foret; nimirum ut vitia & mala, in quæ sanctissimos & sapientissimos cernerent esse prolapsos, tantò ipsi majori studio & diligentiâ caverent & fugerent, quantò se illis virtute & prudentiâ inferiores cognoscerent. Nam, ut rectè *Proverb.* 20. habetur: *Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas*, innumerabilium nempè malorum parens, simul

Ebrietas *Noë* involuntaria.

Cur Deus permiserit *Noëmum* in ebrietatem cadere.

ſimul & altrix, uti ante *Diluvium*, ſic & poſt illud. *Moſes* itaque hoc loco non tam commemorat corripitque ebrietatem *Noë*, quàm primam originem damnationis gentis *Chananeæ*, contumeliam videlicet patris eorum *Cham*, quâ is patrem ſuum *Noë* propter ebrietatem, nudatis pudendis jacentem affecit, atque unà omnes poſteros hoc exemplo admonere voluit, quantum malum ſit immodicus vini potus, quantorum malorum cauſa ſit execrandum temulentiæ crimen. Sed jam ad alia.

CAPUT III.

De multiplicatione Animalium poſt Diluvium, *& an* Noë *poſt* Diluvium *filios genuerit.*

Egreſſus *Noë* ex *Arca* verno tempore accidit.

DIximus in *præcedenti Capitulo, Noëmum* eodem tempore, quo *Arcam* ingreſsus fuerat, eodem id eſt, poſt unius anni curriculum ex eadem egreſsum eſse, videlicet verno tempore, uti in *præcedentibus* fuſè demonſtravimus, quo cuncta animalia ex benigno calore, & tepiditate terræ in fœcundos ſtimulantur motus, quod non accideret, ſi ut nonnulli *Interpretes* volunt, menſe *Novembri*, quo cuncta triſti aſpectu ad corruptionem tendunt, arbores foliis viduantur, & occluſis terræ viſceribus, omnia nivibus operiuntur. Verno itaque tempore, & ſole in fœcundo *Arietis* ſigno calido, & humido, queis cunctorum geneſis conſtituitur, exiſtente, animalia jam ab omni tetri carceris moleſtia libera, nâturâ ſtimulante, brevi mirum in modum ſe propagâſse, nulli dubium eſse debet, niſi forſan ei, qui verni temporis amœniſſimam conſtitutionem, quà cunctæ herbæ, plantæ recenti & amabili effloreſcentiâ ſuâ, uberrima paſcua ad animalium nutrimentum præbent & deindè ex armentis, ovibus pecudibuſque ingens lacticiniorum ad victitandum incrementum; ita ut brevi montes & valles, & planiora loca, omnis generis animalibus, tam volatilibus, quàm quadrupedibus, tandem poſt nonnulla luſtra, vaſtos circumſitarum regionum tractus, montiumque receſsus replerent ignorârit. Verùm cùm de animalium per universum Orbem, Inſulaſque longè remotiſſimas in *ſequentibus* ex profeſso dicturi ſimus, eò Lectorem curioſum remittimus.

Unum hoc loco dubium ſolvendum reſtat. *Utrùm* Noë *poſt* Diluvium *filios genuerit?* de quo magna inter *Interpretes* controverſia eſt. Nonnulli id mordicùs affirmant, quidam eâdem pertinaciâ negativam amplectuntur opinionem. Prioris ſententiæ fautorem habent *Beroſum* apud *Annium*; ait enim, *Noëmum* complures filios genuiſſe poſt *Diluvium*, eoſque Gigantes, quos ex nomine uxoris quæ *Titæa* dicebatur, *Titanas* appellavit. Verùm hæc ut fabuloſas narrationes ſapiunt, ita quoque repudianda ſunt; majorem veritatis vim obtinent, quæ ſequuntur: ait enim *Noëmum* unà cum filiis mandatum à DEO accepiſſe vacandi generationi prolis, & ſimul cum mandato fœcunditatis vim obtinuiſſe, hoc enim ſignificat *Moſes*, narrans DEUM benedixiſſe *Noë*, & filiis ejus, & dixiſſe, *Creſcite & multiplicamini, & replete terram.* Nec fas eſt, tale à DEO mandatum à *Noë* neglectum fuiſse, viro utique juſtiſſimo, & Divinæ voluntatis obſequentiſſimo. Neceſſitatem præterea eum propter hominum eo tempore paucitatem ad generandum impuliſse nemo dubitare debet; nec enim illum ob 600 & ampliùs annorum ætatem, cum poſt *Diluvium* adhuc trecentorum annorum & quinquaginta, quos vixit,

vires

vires ad generandum deſeruerant. Atque hæ ſunt rationes, quas *Annius* ad ſuæ ſententiæ confirmationem adducit; neque diſplicuiſſe videntur *Cajetano*: is enim ponderans illa verba: *Qui egreſſi ſunt de* Arca: dicit quod *Noë* poſt *Diluvium* alios filios genuit, niſi enim habuiſſet filios, non dixiſset, *Sem, Cham, Japhet*, filios fuiſse *Noë*, qui egreſſi fuerant de *Arca*; ad differentiam ſiquidem aliorum filiorum meminit illorum trium, qui cum patre de *Arca* egreſſi fuerunt, & ideò præſtiterunt aliis filiis *Noë* poſt *Diluvium* generatis, ut eorum nomina penitùs fuerint abolita, & illi tantùm nominati, & tanquam patres Mundi habiti ſunt.

Cajetani ſententia.

Secunda ſententia eſt *Pererii* aliorumque, qui uti *Noëmum* poſt *Diluvium* filios genuiſſe negant, ita quoque graviſſimis rationibus id probant, eò quod nihil de iis *Sacra Hiſtoria* commemoret, mentionem tamen facere debuiſſe, ex eo patet, quod Nil de *Noë* dicatur, quod tamen de aliis Patriarchis ſemper *Sacer Textus* dicit, poſtquam tot, ac tot annorum eſset, genuit filios & filias; reliqua vide apud *Interpretes*, niſi fabulas *Rabbinorum* ſectari velimus, *Noëmum* à filio ſuo *Cham*, dum nudus in tentorio ſuo jaceret, faſcino magico, nonnullis verbis ſubmurmuratis, inſigni ſterilitatis notâ caſtratum fuiſse. Sed hæc uti indigna ſunt, ita ea quoque ridiculis Poëtarum figmentis de *Cœlo*, & *Saturno* adſcribimus. Qui vero aſſerunt, *Noë* filium habuiſſe, cui nomen *Junithun*, id *Chaldæorum* dogma eſt; ego ſanè illum non *Noë* genuinum filium fuiſse reperio, ſed unum ex filiis filiorum *Noë*: ſic enim Mor Iſaac in ſua philoſophia Syriaca:

Sententia Pererii.

Rabbinorum de caſtratione *Noë* per *Cham* facta fabula.

Junithun non fuit filius *Noë*, ſed unus ex nepotibus.

ܗܘ ܓܒܪܐ ܒܗܘ ܕܐܬܪܐ ܕܡܕܝܢܚܐ ܡܢ ܒܢܝ ܒܢܝ ܢܘܚ ܕܐܬܩܪܝ ܝܘܢܝܬܘܢ ܗܘ ܐܝܬ ܠܗ ܚܟܡܬܐ ܘܐܬܦܪܫ ܠܗ ܐܬܪ ܒܡܕܒܪܐ ܕܠܐ ܐܬܝ ܠܗ ܥܡ ܒܢܝ ܐܢܫܐ ܘܠܐ ܫܡܥ ܩܠ ܡܠܐ ܘܐܬܒܘܢܢ ܒܟܘܟܒܐ ܘܒܙܘܪܐ ܘܐܬܝܕܥ ܠܗ ܒܫܘܫܒܝ ܙܒܢܐ ܘܫܪܝ ܠܗ ܒܡܪܘܡܐ ܕܫܡܝܐ ܘܐܬܝ ܠܗ ܒܟܠ ܙܒܢ ܘܙܒܢ ܘܐܬܝ ܠܗ ܒܟܠ ܫܥܬܐ ܘܫܥܬܐ ܘܐܬܝ ܠܗ ܒܟܠ ܝܘܡ ܘܝܘܡ ܘܐܬܝ ܠܗ ܒܟܠ ܫܢܐ ܘܫܢܐ ܘܐܬܝ ܠܗ ܒܟܠ ܕܘܪ ܘܕܘܪ ܘܐܬܝ ܠܗ ܒܟܠ ܥܠܡ ܘܥܠܡ ܘܐܬܝ ܠܗ ܒܟܠ ܥܠܡܝ ܥܠܡܝܢ ܘܐܬܝ ܠܗ ܒܟܠ ܥܠܡ

gata lectio habet, *Armeniæ*. *Et requievit* Arca *supra montes* Armeniæ. Super montes dicit *Armeniæ*, non quod is mons sit separatus ab aliis, sed quod in iis montanis *Ararat*, quæ longa jugorum catenatione, à *Chaldæis Kardæi* montes dicuntur, universam *Armeniam*, *Persidemque* ab occasu ad ortum determinant, *Arca* steterit. Mons est altissimus & pœnè inaccessus, & quemadmodum mihi Patres nostri ex *India* per *Persidem* in *Europam* reduces narrârunt, in tantam longitudinem extensus, ut ad octiduum semper in conspectu habuerint verticem ejus, perpetua nivium inveteratarum coacervatione coopertum. Montes hi, à *Ptolomæo* vocantur *Gordiani*, eorumque longitudinem ponit 75 grad. 39 grad. latitudinem; qui ratione variarum Regionum circumjacentium, varias appellationes sortiti sunt; Siquidem nonnulli *Caucasum*, quidam *Taurum* dicunt. *Persæ* & *Armeni Arem Noë*, id est, habitationem *Noë* appellant, ob *Arcam*, quæ in eo quievit; & mons quidem, inter altissimos Orbis montes unus, ab ortu respicit *Persidem*, ab occasu *Georgiam*, sibi *Iberiam* & *Armeniam minorem*, à Meridie *Mare Persicum*, à Borea *Mare Hircanum*, sive *Caspium*, in *Medorum Parthorumque* Regionibus ingentis hydrophylacii lacu à Natura ditatum, quod ingentibus fluminibus amnibusque, id est, *Euphrati*, *Tygri*, *Araxi* & *Hidaspi*, aliisque originem præbet. Ad hujus montis radices hodiè *Monasterium Nachsevan*, ubi Patriarcha *Armenorum* residet, existit, nobili Bibliothecâ, historiisque quà Sacris, quà profanis spectatissimum; Narrarunt mihi non semel *Armeni* hîc *Romæ* negotiantes, montem altissimum esse, & longè latéque exporrectum, neque hucusque ullum inventum esse, qui verticem ejus conscenderit; quod *Berosi* relationi repugnat. Ait enim, *Noë* posteros in tanta veneratione hunc Montem habuisse, & complures, qui illum ascenderant, bitumen ex *Arcæ* tabulis abrasum, expiationis causâ secum detulisse. Ego verò quid de eo sentiam, aperio.

Longitudo & latitudo montis *Ararat*; *Ptolomæo*.

Variæ montis *Ararat* appellationes.

Nachsevan Monasterium sedes Patriarchæ *Armenorum* ad radices montis *Ararat*.

Nihil Monte hoc & *Arca* apud posteros *Noë* celebrius frequentiusque fuisse, nemo non novit; cum enim continuò à tribus filiis *Sem*, *Cham* & *Japhet* adhuc viventibus de formidabili *Diluvio*, de cunctis animalium speciebus intra *Arcam* introductis, de nova Orbis per octo personas instauratione, stupenda narrari audissent, absque ulla ambiguitate credere par est, complures tantorum mirabilium narratione percitos, incredibili spectandæ *Arcæ*, quam in vertice montis remansisse audierant, desiderio exarsisse; neque uti est curiosorum hominum inquietudo, se continere potuisse, quin montem conscenderint, atque in perpetuam rei memoriam, ex tabulatis & assumentis bitumen abrasum, unà cum nonnullarum tabularum fragmentis, in testimonium, quod *Arcam* vidissent, secum deportasse; undè & alios haud dubiè rerum mirabilium narratione perculsos, idem tentasse, vero haud absimile est. Refert *Historia Armenorum*, fuisse olim in *Monasterio Nachsevan* virum sanctitatis opinione illustrem, qui ardentissimo semper *Arcæ* videndæ desiderio æstuabat, & ut *Arcam*, admirandum illud Divinæ providentiæ opus, quo perdito Mundo priori, totius humani generis, atq: animatæ naturæ instaurandæ feminarium constituebatur, coram videre liceret, continuis precibus, votisq; *Deum* sollicitabat. Præmissis itaq; piorum operum exercitiis, quodam die, Divino fretus auxilio, necessario victu instructus, iter in montem auspicatus est, arduum sanè, tum ob præcipitiorum passim occurrentium multitudine, valliumq; profunditatem, tum etiam ob ferocium animalium in eo stabulantium commorationem, oppidò periculosum. Triduo itaque per avia, & devia divagatus, campum à vertice montis non remotum invenit, in quo, labore, corporisq; lassitudine exhaustus cùm nonnihil quievisset, in gravissimum soporem incidit; cum posteà

Plures montem *Arcæ* spectandæ causa ascendisse verisimile est.

Historia ex Archivis *Armenorum*.

evigilaſſet, & hinc indè reſpiciens, ſtupendo ſanè miraculo ſeſe eodem in loco, ex quo iter in montem ſuſceperat; deprehendit, quin & Angelum, ſibi adſtantem, qui eum hoc verborum tenore affatus eſt: DEUS *quidem tibi non permiſit videre* Arcam, *Divinæ illud providentiæ inſtrumentum, nec alteri videre licebit; ne tamen preces tuæ vacuæ ſint, eccè tabulam ex ipſa* Arca *deſumptam tibi mittit, ut ea in Eccleſia ad perpetuam conceſſi beneficii memoriam poſita conſervetur*; quam & in hunc uſque diem in Eccleſia Patriarchali *Monaſterii Nachſevan* Reſidentia Patriarchæ conſervari ferunt. Verùm de hac hiſtoria fides ſit penes authores. Ego ſanè exiſtimo, in primis poſt *Diluvium* ſeculis, viventibus adhuc filiis *Noë*, generis humani progenitoribus, & gentium ducibus, uti recens adhuc & frequentiſſima de *Diluvio*, de *Arca*, ſupra montem depoſita, rerumque geſtarum narratio paſſim in ore hominum verſaretur, ita plures quoque in apicem montis, ut tam ſtupendam fabricæ machinam, coram intuerentur, curioſitate percitos, aſcendiſſe; eſt enim curioſorum hominum inſatiabilis quædam cupido, ad ea, quæ à toto mundo magnâ veneratione celebrantur, monumenta ſpectanda; Et quotidiana experientia docet, quantus ſit in Urbe advenarum Literatorum ardor in Romanarum antiquitatum monumentis explorandis; quot ſuſcepto per maria itinere *Ægyptum* petunt, ut Pyramidum prodigioſas ſtructuras, reliquarumque antiquitatum reliquias explorent; quantò magis primis poſt *Diluvium* ſeculis, hujuſmodi videndæ *Arcæ* deſiderium in animis hominum viguiſſe putamus? An verò poſtremis temporibus fuerint, qui ſimile quid attentârint, nobis non conſtat, & omnium pœnè *Hiſtoricorum* altum ſit ſilentium. Quæ verò ex *Hiſtoria B. Odorici* leguntur de *Arcæ* inventæ menſuratoribus, illa utiq; fabuloſis potiùs, quàm veroſimilibus narrationibus adſcribenda duxerim.

Tabula ex *Arca* ab Angelo, Eremicolæ donata.

Poſito tamen, nonnullos poſterioribus ſeculis montem aſcendiſſe; Dico tamen eos ex magna tot millium annorum transformatione, montis, ne quidem *Arcæ* veſtigium reperire potuiſſe, eò quod *Arca* ſucceſſu temporis magna nivium inveteratarum, glacierumque accumulatione, ita profundè obruta fuerit, ut nulla amplius eam aut reperiundi, aut ſpectandi ſpes ſit; Accedit, quod tot millium annorum decurſu, ligneam *Arcæ* molem, vel humiditate conſumptam, vel in ſaxeam molem converſam fuiſſe, nullo *Arcæ* relicto veſtigio, verius cenſeamus. Quas non tranſmutationes ſola *Roma* à ſui conditu uſque ad hæc tempora, ſpacio duorum millium annorum incurrit? Quis unquam fabricam aliquam ſub Regum dominio celebrem hodiè vidit? nemo ſanè, dum omnia in profundiſſimis terræ viſceribus ſepulta, vel etiam in pulverem contrita; & ferè ad nihilum redacta ſqualeſcant. Capitolium ſanè, quo, uti *Ammianus Marcellinus* refert, nil ambitioſius Orbis terrarum exhibuit, ità hodiè evanuit, ut præter nonnulla fundamenta, conſulum tempore, ad id majori magnificentiâ conſtruendum, jacta, ne quidem ullum hodiè, ſive Templa, *Jovi* cæteriſque Diis Sacra, quorum 66 fuiſſe feruntur, ſive alia celebrium fabricarum monumenta ſpectes, veſtigium appareat; idem de *Arca Noë*, dici velim. Erat hæc moles lignea bitumine intus & foris cooperta; verum & hæc injuriæ temporum minimè reſiſtere poterat, quia lignum ex continua nivium liquefactione, & humido conſumpto, bitumine ſolo in ingentes glumos coacto & condenſatione rerum ſuperjectarum, profundè ſepulto, vel (uti *ſuprà* dixi, in ſaxum vivum) quemadmodum experientia in multis aliis rebus docet, converſo. Montem quoq; ab ea, quam à prima poſt *Diluvium* conſtitutione, obtinebat, oppidò à poſteriorum temporum forma differentem acquiſiviſſe, ſolus ille negabit, qui admirandas terreni globi complu-

Cur nil nobis poſteris temporibus de *Arca* conſtet.

rium

rium annorum tranſmutationes ignorat; Siquidem à tot annis veriſimile eſt, montem paulatim imbrium, nivium, procellarumque turbinibus exeſum, atque in profundiſſimas valles diſcriminatum, nudatiſque limi defluxu ſcopulis, pœnè inacceſſum ad apicem aditum præbuiſſe; ut proinde mirum non ſit, neminem ex poſteris extitiſſe, qui hujus inquiſitionis memoriam reliquerit; vel ſi nonnulli eo fine montem aſcenderint, illos tamen partim laborum pertæſos, partim de deſperata *Arcæ* inventione, ab inquiſitione deſtitiſſe, cenſemus. Teſtatur quæ hucuſque diximus, Inclitus Olearius αὐτόπτης in ſuo Moſcoperſico Itinerario, hiſce verbis: Mons Ararat *hodie ab* Armenis *dicitur* Meſſina, *à* Perſis *Agri*, *ab* Arabibus Subeclhan, *omnium inter* Caucaſi *juga maximum; Mons ſane prælatus, quo majorem in noſtro Itinere non vidimus, ex nigris & rudibus ſcopulis compactus, cernitur æſtivo hybernoque tempore perpetuis nivibus obſitus à* Mari Caſpio 15 *fere mill. Germ. diſtat. Tam* Perſæ *verò quam* Armeni *referunt, partem adhuc* Arcæ *ſed in petram converſam ibidem reſtare. Nonnullis ex noſtris* Scamachiæ Mediæ *urbe in* Armenorum *Eccleſiam introductis crux monſtrata fuit, nigro-punicei coloris; quod ex* Arca Noë *fruſtum eſſe aſſerebant, eamque loco reliquiarum habebant pretioſo panno involutam. Verum hoc tempore tum ob circumjacentium ſcopulorum, rupiumque inacceſſarum frequentiam, tum ob vallium immenſas profunditates, quæ jam à tot millibus annorum, vel pluviarum imbriumque edacitate abraſo monte, vel etiam terræ motibus abrupto diſſectaque ad hujuſmodi inacceſſa loca, multo minus ad montis apicem* Arcæ *locum nulli mortalium aditum præbent.*

Figuram montis *Ararat*, videas in dicto *Olearii Itinerario*, *fol.* 398. Germ. edit. Sed hæc de monte *Ararat* ſufficiant.

PARS III.

De Tranſmigratione Gentium, quâ per tres filios *Noë*, *Cham*, *Japhet*, genus humanum per univerſam Terræ faciem proſeminatum fuit.

CAPUT I.

De facie Terreni globi poſt Diluvium, *comparata cum illa ante* Diluvium.

QUum *Sacra Scripturâ* teſte, aqua *Diluvii* 15 cubitis ſupra altiſſimos Orbis Terrarum montium vertices exaltata, univerſam globi terreni ſuperficiem cooperuerit 150 dies, non eſt ullum dubium, quin globus Telluris multò aliam ex hac aquarum colluvie, conſtitutionem, multoque differentiorem formam, quàm ante *Diluvium*, ſortitus ſit. Verùm cùm hæc non niſi unius cum altera facta comparatione cognoſci poſſit; & primo quidem de ſtatu globi Terreni ante *Diluvium*, non tamen niſi conjecturis haud incongruis fultus; deinde de illo poſt *Diluvium* quoque pari pacto acturus ſum.

Inconſtantia rerum mundanarum.

Si rerum Sublunarium in hoc infimo globi terreſtris theatro ſtupendas mutationes penitiùs conſideremus, reperiemus, nil in iis adeò ſtabile, nil adeò perenne, ac ſolidum, quod non intra breve tempus ſuas ſuſtineat contrarias viciſſitudinum alterationes, ac ultimo tandem in id, quod ab initio fuit, *Chaos* reſolvatur.

Experientia omnium ſeculorum docet, Tellurem ſuos pati morbos & alterationes ex variis interioris œconomiæ diſſidiis exortas; Nam cum, ut rectè Ariſtoteles: *Interiores Telluris partes perindè ut animantium plantarumque corpora juventutem & ſenectutem ſuam habeant*; rectè concludere poſſumus, Orbem Terrarum, nec quoad interiores, nec quoad exteriores partes, eo ſtatu perſeverare, quo fuit à rerum primordiis. *Lactantius*, fluctuantis naturæ conditionem, & mundanæ rotæ inſtabilitatem, quâ omnia infinitis caſibus involvens, nil ſub ſole perpetuum, nil diuturnum eſſe permittit, altiùs expendens, ita exclamat: *Enumerare poſſem, quoties repentinis quaſſatæ motibus, vel hiaverint Terræ, vel deſcenderint in abruptum; quoties demerſæ fluctibus & Urbes & Inſulæ abierint in profundum, fructiferos campos paludes inundaverint, flumina & ſtagna ſiccaverint, montes etiam vel deciderint abrupti, vel planis fuerint adæquati; plurimas etiam regiones, & plurima fundamenta montium latens, & innatus ignis conſumit; quam quidem inſtabilem naturæ viciſſitudinem, ſummi nullo non tempore Philoſophi non ſine admiratione obſervarunt.*

Lib. 1. Meteor.

Natura morbos ſuos patitur ſubindè.

Lactantius.

Omnia (inquit Seneca) *tempus edax depaſcitur, omnia carpit,*
Omnia ſede movet, non ſinit eſſe diù.
Flumina deficiunt, profugum mare littora ſiccat:
Subſidunt montes, & juga celſa ruunt.

Ovid. Metamorph.

Ovidius Met. 1.

Vidi ego, quod fuerat quondam ſolidiſſima tellus,
Eſſe fretum, vidi factas ex æquore terras,
Et procul à pelago conchæ jacuêre marinæ,
Et vetus inventa eſt in montibus anchora ſummis.
Quodq; fuit campus, vallem decurſus aquarum
Fecit, & illuvie mons eſt deductus in æquor,
Atque paludoſa ſiccis humus aret arenis,
Quæque ſitim tulerant ſtagnata paludibus hument.

Inſulæ olim Continentes erant.

Anglia Galliæ quondam amico nexus conjugio adhæſit. *Nordſtrandia* Borealis Inſula, quam *Cranzius Friſiam Aquilonarem* vocat, cum *Thietmarſia* continenti adnectebatur, modò à continenti avulſa, atq; in Inſularum album adſcripta, Amphitrioneas leges ſectatur. Idem de *Freto Herculeo & Siculo* teſtatur Val. Flaccus:

Fretum Herculeum & Siculum.

——— neque enim Rex Æolus illic
Rector erat, Lybiam cùm rumperet advena Calpen
Oceanus, cùm flens Siculos Oenotria fines
Perderet, & mediis intrarent montibus undæ.

Flumina mutant alveos.

Flumina mutant alveos & ſolitos curſus; florentia pereunt imperia, quæ omnes horrendæ ſtrages, uti Divinam arguunt potentiam, ita humanæ ſortis incertitudinem patefaciunt, & mortales Geocoſmi incolas monent, ut cum nihil ſtabile, nil perpetuum, ſed omnia caduca, variis fortunæ caſibus, variis & improviſis rerum ſtrategematis obnoxia, cognoſcant, omnem mentis conatum, omne ſtudium, omnes animi, qui ulla re creata ſatiari non poteſt, vires ad ſublimes & ſempiternas ſupra-cœleſtium bonorum poſſeſſiones elevent, DEO ſoli veluti centro inſiſtant, in cujus manu ſunt omnia jura regnorum & omnes fines Terræ.

Cauſa mutationum in Tellure.

Variis itaque modis Terrenum corpus dictas metamorphoſes incurrere poteſt: vel enim *Primò* montes hiatu terræ abſorbentur, vel etiam derepentè naſcuntur, ubi priùs non erant. *Secundò* Montes, ſucceſſu temporum, tempeſtatum injuriis conſumpti deficiunt, vallibus conſequenter exaltatis. *Tertiò*, Terræ, quas Peninſulas vocant *Geographi*, *Græci* Cherſoneſos, tenuiori illo terreſtri tranſitu, quem Iſthmum vocant, aquarum violen-

violentiâ rupto, Insulas facit, quæ priùs continentis pars erant; vel contrà Insulæ conjunguntur Terræ continenti per Isthmos, immensis arenarum acervis, quos maris violentia fluctibus adducit, constitutos. *Quartò* mare, quod ex una parte recursu suo terrestre relinquit spacium, ex altera, nescio quo naturæ scelere, violentâ quâdam invasione recuperat, tantum terrarum fluctibus invadens, quantum reliquerat ex priori statione recedens. *Quintò*, nascuntur subindè novæ nonnullæ Insulæ, aliis quæ ab immemorabili tempore constiterant, absorptis. Contrà in Terrarum meditulliis nonnullæ regiones, interioris *Vulcani* tyrannide deglutitæ, lacus post se relinquunt, in quibusdam lacubus absorptis terrestrium partium tumuli relinquuntur. *Sexto*, in partibus quibusdam flumina & lacus deficientes terram habitabilem reddunt; In aliis terra culturâ pinguis, repentina mutatione in lacum evadit.

Variæ transmutationes.

Plin. lib. 2. cap. 91.

Refert *Plinius*, suo tempore *Cybotum* altissimum montem unà cum oppido *Eurite* ita terrâ devoratum, ut nulla ejus ampliùs vestigia dignoscerentur. Ejusdem fortunæ sortem obtigisse scribit *Sypilo* in *Magnesia* monti, quam præcesserat formidabilis *Tantalis* urbis terræ hiatu absorptæ interitus. Non absimilem sortem expertæ sunt *Galanis* & *Ganatus* in *Phœnicia* quondam celeberrimæ urbes, *Phlegium Æthiopiæ* jugum excelsissimum, unius noctis concussione violentâ, non ampliùs comparuit. Possumus & nos adjungere eos montes, quos nostris temporibus terrâ haustos vidimus. *Picus* mons est unus ex *Insulis Moluccis*, tantæ altitudinis, ut instar columnæ, nautis multorum dierum itinere, in remotissimis maris tractibus appareret; hic terræmotus violentiâ prostratus, nullo ampliùs vestigio, sed lacus in ejus loco exortus, basi peripheriæ montis æqualis spectatur. Idem contigit in *Sinarum* regno, anno 1556. quo integra montosa *Sinarum* regio cum universis populis & urbibus absorpta suo loco lacum ingentem reliquit, nullo præter puerum ligno innatantem, erepto. Vidimus & nostro ævo, formidabilem *Plursiæ* in finibus *Helvetiorum* sitæ civitatis, ex montis incumbentis casu, interitum. Montes *Vesuvius* & *Strongylus* Vulcanio bello media ex parte decurtati cernuntur, qui priùs cacumine cœlum ferire videbantur. Non dicam hîc de Montibus *Chiles*, quos *Andes* vocant, quorum nonnullos deesse compertum est, post maximum illum, & omnibus seculis memorandum Terræmotum, quo totum ferè regnum in vastitatem abiit anno 1646. quemadmodum *Relationes* à Patribus nostris factæ narrant. Vidimus montium absorptionem, jam eorundem renascentiam exponamus. Accedamus itaque jam propiùs ad defectum & novum incrementum montium.

Montes absorpti.

Historia.

Montes *Chile* conciderunt.

Cacumina montium pluviis, nive, grandine, gelu longævo, cæterisque aëris injuriis tandem exedi consumique experientia docet; & jam in *præcedentibus* ex ignivomorum montium defectu satis patuit. Sunt enim nonnulli montes, ut in *Lipara*, *Melita*, & *Ilva*, quos nitrosi spiritus ex ea parte, quâ venti iis prægnantes spirant, ita exedunt, ut impendentes rupes proximè ruinam minentur, & rupium in Vallibus adhuc superstitum ruinæ olim se erectas tandem concidisse, abundè testantur. Subterranearum quoque aquarum catadupæ, fluminumque præcipitosus lapsus paulatim ita interiorem montium fabricam atterunt, ut labefactatis fundamentis vel ad primum terræ motum labantur; quam & unam causam putem defectûs nonnullorum montium. Ignes quoque subterranei mirum in modum ad montium defectum conferunt, uti *suprà* insinuavimus. Ex attritu itaque Montium, Valles & Planities ut crescant, necesse est, atque adeò decrementum illorum, in incrementum

Cur montes deficiant.

Cataduparum lapsus fundamenta montium exedit.

Ignis subterraneus montes subindè in calcem resolvit.

cedat circumpositarum planitierum valliumque ; ut proinde illud Jobi in hisce verificatum videatur : *Alluvione paulatim Terra consumitur.* Aquæ enim pluviarum, fluminum, torrentium, niviumque liquatarum, montium latera ita corrodunt, ut ædium fundamenta in montibus sitarum plerumque denudata spectentur ; quod in *Germaniæ*, quæ vetustis rupibus imponuntur, arcibus mihi non semel observare licuit ; nullibi tamen magis hujusmodi naturæ catastrophe se spectandam præbet, quàm *Romæ*, cæterisque in *Latii* partibus. Intueor ego penè quotidie, montium *Palatini* & *Capitolini* olim editas arduasque rupes, ita tamen temporum injuriâ decrevisse, ut planitiem ferè æquare videantur, immò veteris *Capitolii* fundamenta eam jam actu adæquare, ipsa fundamentorum denudatio luculenter doceat ; adeò quidem, ut quos editos montes olim fuisse scribunt *Authores*, modò nisi montium vestigia quædam, tibi persuaderent, montes ibi quandoque fuisse vix crederes, planitie in tantum exsurgente, quantum montes decreverunt. Docet id cumprimis *Pantheon*, ad quod olim per gradus ascendebatur, cum ante *Alexandrum* VII. P. M. restauratum *Pantheonis* aditum per 8 gradus intra templum descenderetur. Docent innumera antiquitatum, uti Amphitheatrorum, Circorum, Arcuum, Columnarumque semisepulta cadavera. De quibus omnibus fusiùs, si DEUS vitam dederit, in nostro *de mirabilibus Latii, Opere.* Undè multi existimârunt futurum, ut post multas myriades annorum, planities montibus æquatæ universali Cataclysmo, successu temporis aditum aperiant : quod tamen neutiquam admittendum censeam, in magnis illis suprà memoratis montium catenis, sed in iis tantùm, qui vel quotidiano usu, ædificiorumque servitute premuntur, vel ex terrestri, argillaceâ, similique friabili, & tophacea materia constituuntur.

Pluviæ, nives corrodunt montium bases.

Ruinæ Romanæ instabilitatem rerum monstrant.

Quid dicam de peninsulis in Insulas, & de Insulis in peninsulas conversis? Verisimile prorsùs est, freta quibus unum nunc mare inter angustias montium se insinuat in alterum mare, olim Isthmo conjuncta fuisse, fretaque extitisse, mari, impetuosa tyrannide fluxûs, Isthmum paulatim erodente. Hoc pacto *Plinio* teste, mare *Siciliam* avulsit *Italiæ*, *Cyprum Syriæ*, *Asiam Europæ Propontide*, & *Phosphoro Thracio* ; *Eubœam Bœotiæ* ; *Eubœæ Atlantem* & *Macrin* ; *Besbycum Bithiniæ*, *Aphricam Hispaniæ*, *Calpes* & *Atlantis* destructo conjugio. Pari pacto *Leucosiam Syrenum* promontorio ; *Sumatram Camboiæ*, *Indiæ Ceilanum* ; *Gronlandiam Americæ Fretum Davids* ; *Nordstrandiam maris Balthici* Insulam *Theithmarsiæ*, teste *Cranzio* ; *Americæ Australi Terram ignium* Isthmo perrupto, & per *Fretum Magellanicum* ingentium Oceanorum, Orientalis, & Occidui perpetuæ allisionis assultu portus sibi ad conjugium aperiente. Sunt enim plerique Isthmi veluti pontes quidam, subter quos per occultos quosdam cuniculos, & cæcas cavernarum latebras maria, quæ utrimque Isthmos allambunt, mutua aquarum commercia ultrò citróque ut plurimùm exercent ; quorum exesis successu temporum pilis, succussisque per terræ motum, pontium fundamentis, Isthmum concidere necesse est.

Metamorphosis Insularum, & Peninsularum.

Isthmi sunt veluti pontes, subter quos mare labitur.

Sed veniamus ad alteram hujus disceptationis partem. Maria interrumpunt Isthmos, & iidem subindè ab alluvione aquarum & multa arenarum coacervatione constituuntur ; uti *Pharus Ægypti*, quæ olim in medio maris lumen periclitantibus præbebat, modò Terræ Isthmo conjunctam videmus, ex *Nilo* magna limi copia fretum implente constitutam. Mons *Circejus* in agro *Pometino* (uti in *Latio* nostro ostendimus) olim à continenti separatus, modò eidem adhæret, freto arenarum congerie repleto ; & plerumque contingit ad marium angusta & depressiora loca, insu-

Pharus Ægypti olim Insula.

Circejus mons olim Insula.

las

las inter & continentem ſita, ubi vel maris æſtus vehemens, vel fluminum allapſu magna arenarum copia ſuggeritur; uti in *Batavia, Friſia, Zelandia*, in omnibus *Archipelagorum* tractibus, cæteriſque arenoſis argillaceiſque littoribus paulatim ex planitie in altiſſimos montes terminantibus. Sic *Antiſſam* olim *Lesbo, Zephyriam Halicarnaſſo, Ethuſam Mindo, Dromiſcon & Parren Mileto, Pythecuſam Parthenio* promontorio junctas, *Plinius lib. 2. c. 89.* docet; Imò *Hybandam*, quandam Inſulam *Ioniæ*, poſtea ducentis ſtadiis à mari intra continentem diſtitiſſe, & *Syritem* in *Epheſi*, *Deraſiden* & *Syphoniam* in *Magneſiæ* mediterraneis eſſe, quæ olim Inſularum albo connumerabantur; Denique *Epidaurum* & *Oricum* Inſulas eſſe deſiiſſe, juxta illud Ovidii 15. Metam.

Tempus erit, rapidis olim cùm Pyramus *undis*
In ſacram veniet congeſto littore, Cyprum.

Diximus itaque, mare in nonnullis locis, invectis ab amnibus glebis, receſſu ſuo Terram habitabilem ſummo naturæ beneficio, reliquiſſe; modò novam maris cataſtrophen oſtendamus, dum priſtinæ benignitatis oblitum, neſcio qua naturæ violentia, vaſtiſſimas Terrarum regiones, tam duro tyrannidis jugo premit aliis funditus ſubmerſis, aliis verò utpote contumacioribus Inſulis ita ſuppreſſis, ut non niſi montium apicibus eminere videantur. Prope *Dordracum* & *Dullartum* in *Friſia* Caſtella non ignobilia, funeſtâ alluvione ita ſubmerſa ſunt, ut vel ipſi eminentes in hunc diem turrium apices, præteriti eventûs calamitatem poſteris enarrare velle videantur. Ad littus *Thuſcum* non procul *Liburno* integra urbs undis ceſſit, hominum habitaculis in piſcium latibula converſis, quod non ſine horrore anno 1634. propriis oculis obſervavi. Inter *Centum Cellas*, vulgò *Civita Vecchia*, & *Sanctam Severam*, frequentia ſanè rudera in mari ſpectantur, quorum nonnulla feneſtris, alia portis & arcubus adhuc inſtructa ſunt, præteritæ infelicitatis indices. E regione *Puteolorum* in ipſo ſinu *Bayanæ* urbis, domus unà platearum diſcrimine, quod mirum dictu eſt, luctuoſiſſimo ſanè ſpectaculo monſtrant in fundo maris celeberrimæ quondam urbis, interitûs veſtigia. Atque hæc quidem à me experientiâ comprobata ſunt, ut innumeros alios eventus, quibus *Hiſtoricorum* monumenta referta ſunt, ſileam. Ex quibus quidem omnibus concludimus, omnes illas Inſularum coacervatarum congeries, quas *Archipelagos* vocant, olim continenti conjunctas fuiſſe, Oceani ultrò citróque molientis violentiâ, mollioribus continentis partibus paulatim exeſis, perfoſſiſque; ſaxoſioribus verò montium ſcopulis in eam Inſularum multitudinem, quam *mappæ* nobis demonſtrant, ſecretis, vel ſubindè etiam ignium ſubterraneorum ſævitie per terræ motus diremptis. Certè *Oceanum Atlanticum*, ubi nunc *Canariæ*, & quas *Terceras* vocant, ingenti hominum multitudine habitatum fuiſſe, *Plato* docet in eo *Dialogo*, quem *Critiæ* nomine intitulat.

Urbes ſummerſæ.

Urbes Submarinæ.

Archipelagi primò Terræ continenti juncti, tandem violentiâ maris in Inſulas diſcreti ſunt.

COROLLARIUM.

Ex hoc longiori forſan, quàm par erat, diſcurſu, luce meridiana clariùs innoteſcit, Terram multò aliam modernis temporibus conſtitutionem habere, quàm olim ante communem Orbis cataclyſmum, aut etiam poſt *Diluvium* immemorabilibus ſæculis. Exiſtunt itaque Inſulæ, quæ priùs non erant; Terra excrevit, ubi priùs indomiti ſtabulabantur aquarum gurgites. Contrà, locorum tractus, qui olim terrâ opimâ & feraci rerum fruebantur, jam dominante mari in piſcium evaſiſſe latibula novimus; montium juga abſorpta hîc, novis alibi creſcentibus; lacus ingentes, ſuum *Neptunuſque* dominium in *Rheæ*, ſeu *Veſtæ* tranſtulerunt juriſdictionem, & contrà.

Alia hodierno die Telluris facies, quàm ea, quæ olim.

Flumina

Flumina defertis nativis alveorum incunabulis alios ſibi ex montium clauſtris exitus pararunt. Atque tales quidem & tam horribiles terreni globi converſiones, uti infinitam DEI potentiam, ita humanæ ſortis incertitudinem patefaciunt, & mortales hujus Geocoſmi incolas monent, ut cùm nihil perpetuum ac ſtabile, ſed omnia caduca, variis fortunæ caſibus & interitui obnoxia cognoſcerent, cogitationes ſuas, ſtudia, animum & mentem, quæ nulla re creatâ ſatiari poſſunt, ad ſublimia & ſempiterna bona elevent, DEO ſoli inhient, in cujus manu ſunt omnia jura regnorum, & fines univerſæ naturæ conſiſtunt. Sed hæc omnia quàm fuſiſimè in *Mundo Subterraneo* deſcripta reperies. Verùm jam tandem, qualis globus Terrenus ante *Diluvium* eſſe potuerit, ex hiſce præmiſſis, nonnullis veluti conjecturis, exponere ordiamur.

Nemo enim jure negare poteſt, Naturam, uti ſemper à principio rerum eadem & ſibi ſimilis fuit, ita quoque eosdem effectus, quos hodiè experimur, eam & præſtare, ac ſemper præſtitiſſe; Pluviæ enim, grandines, nives, terræmotus, ignes ſubterranei, quas non mutationes mille & quinquaginta ſex annorum ab Orbe condito, uſque ad *Diluvium* intervallo, efficere poterant? Verùm cum hujuſmodi mutationes forſan minores fuerint, quàm poſteris poſt *Diluvium* temporibus; Certum tamen puto oſſaturam globi terreni, quam nos in *Mundo Subterraneo* per catenas montium altiſſimorum, à polo ad polum, & ab Ortu ad Occaſum tranſverſà montium ſerie ad modum ſphæræ armillaris, ad totius molis firmiorem conſiſtentiam ſagacis Naturæ providentiâ conſtitutam aſſeruimus, ſemper integram & incorruptam manſiſſe; reliqua verò, uti clivos, colles, maria, flumina, diverſam habuiſſe conſtitutionem, qualem autem illam eſſe putemus: uti à nobis comprehendi non poteſt, ita quoque illud negotium humano ingenio ſuperius eſſe dicimus: hoc ſolùm dicere poſſumus, conditorem ſapientiſſimum Geocoſmum tanta cum perfectione conſtituiſſe, ut, ſive interiorem Geocoſmi fabricam, ſive exteriorem ſpectes, nihil perfectius concipi poſſit: Montes miro naturæ artificio, Oceanum, cæteraſque marium congregationes tantâ ſapientiâ, non minori, inquam, providentiâ, quàm corporis humani interiorem membrorum œconomiam diſpoſuit, ut nihil eſſet, quod non ad uſum humani generis cederet: accidit tamen poſt *Adæ* peccatum, ut paulatim à perfecta ſua diſpoſitione admiranda hæc Geocoſmi machina, à prima ſui perfectione recederet, & juxta naturæ exigentiam, ſuas pateretur corruptiones, & conſuetas viciſſitudinum alterationes. Sed jam ad ſtatum Geocoſmi poſt *Diluvium* conſiderandum progrediamur.

CAPUT II.

De ſtatu Geocoſmi poſt Diluvium.

NUllo unquam tempore Orbem terrarum, majorem oppreſſionem confuſionemque incurriſſe, quàm immediatè poſt *Diluvium*, in *præcedentibus* ubertim oſtendimus, dum aqua 15 cubitos ſuper omnia totius globi terreſtris altiſſimorum montium cacumina, exaltata, totum Geocoſmum ad 150 dies & ampliùs continuò cooperuit; undè conſequenter pinguem illam terreſtrium glebarum ſubſtantiam, quâ non ſolùm omnes totius Geocoſmi montes, colles, clivi, ſed & univerſa Terræ ſuperficies operiebatur, diuturnâ aquarum tyrannide preſſam & maceratam prorſus defluxiſſe, credere poſſumus,



GEOGRAPHIA CONJECTURALIS DE ORBIS TERRESTRIS POST DILUVIUM
TRANSFORMATIONE EX VARIORUM GEOGRAPHORUM SENTENTIA CUI AUTHOR SUBSCRIBIT.
Circulus Arcticus
Terra modo olim Oceanus
AMERICA BOREALIS
Nova Britannia
AMERICA SEPTENTRIONALIS
Nova Anglia
Mexico
Tropicus Cancri
OCEANUS
Circulus Æquinoctialis
PACIFICUS
Peru
Brasilia
AMERICA AUSTRALIS
Chile
Tropicus Capricorni
TERRA AUSTRALIS
Circulus Antarcticus
Terra olim hodie Oceanus
TERRA AUSTRALIS INCOGNITA
Insula olim Atlantis modo Oceanus Atlanticus
OCEANUS
EUROPA
Moscovia
Germania
Polonia
Francia
Italia
Hispania
Colchis
Asia minor
Armenia
Persia
India
Tartaria Magna
ASIA
Mogol
China
Anian
Marocca
Ægyptus
Arabia
AFRICA
Æthiopica
ÆTHIOPICUS
OCEANUS
OCEANUS INDICUS
Terra olim
Terra modo Oceanus
Nota ad Lectorem.



ſumus, non niſi ſolis montium ſceletis, & oſſibus relictis; ex hoc defluxu montium & glebæ terreſtris defluxu quantæ mutationes valles impletas, ipſa flumina, lacus, ſtagna, limoſo glebarum terreſtrium ſedimento oppleta, quin & vicinos marium diſtrictus, immenſa terreſtrium quiſquiliarum ac lapidum, à montibus devolutorum coacervatione, tanto augmento increviſſe veriſimile eſt; ut in multis locis, ubi olim camporum amœnæ planities, ea poſteà in mare degeneraſſe ſpectarentur, multos quoque colles, clivos, & editiores tumulos in planitiem abiiſſe. Contrà ubi quondam mare conſiſtebat, ibidem ex limoſæ materiæ defluentis accumulatione, id in terreſtres planities mutatum fuiſſe: Quæ loca primò continentium terrarum nomine gaudebant, illa aquarum violentiâ diſtracta exeſaque in Inſulas, tranſmutata, valles montibus æquatas, & vallibus montes, nulli dubium eſſe debet, qui univerſale illud, quod Orbem univerſum opprimebat, *Diluvium* penitiùs conſideraverit; cùm, uti olim, ita hodiè innumeras ſtupendaſque Orbis terræ in particularibus locis transmutationes, tum terræmotibus, tum ventorum inundationumque violentiâ exortas intueamur; quaſnam Geocoſmo metamorphoſes ex inaudita Orbis univerſi inundatione, accidiſſe cenſebimus? verùm, ut hoc loco ſpecimen quoddam Lectori curioſo exhibeamus, Chartam Geographicam apponendam duximus, in qua qualiſnam poſt *Diluvium* Orbis facies relicta ſit, pro noſtra intellectûs imbecillitate, comparatione ad hodierni temporis ſtatum factâ, exponamus.

Ingentes metamorphoſes nullis non ſeculis.

Suppolares itaque Regiones uti olim, ita & hodiè Oceano circumfuſas fuiſſe, ea de cauſa, ne totius Geocoſmi hydragogus ex polo ad polum meatus impeditus, pericycloſin ſuam tantò Orbi neceſſariam peragere non poſſet, ſine ulla mutatione Oceano ſuppolaribus punctis circumfuſo, remanſiſſe; item Oceanum, ſuum ſub zona torrida ſitum ex ortu in occaſum perpetuò unà cum Sole mobili, paucis circa littora Continentium mutatis, ſuum curſum tenuiſſe. Sed ea diſtinctiùs explicemus.

Recenſio mutationum terreſtrium, aquearumque.

Dico itaque *primò*, poſt *Diluvium* omnes planities Orbis Terræ, uti & deſerta arenoſa, famâ celebriora, mare occupaſſe, eò quod maria limo infœcundo & ſabuloſo impleta, in deſerta, & inhoſpitas ſolitudines expulſis, extruſisque aquarum coloniis degenerârint.

Archipelagi olim Regiones fuerunt.

Secundò. Ubi modò *Archipelagi* ſpectantur, poſt *Diluvium* regiones vaſtiſſimas extitiſſe, vehementi tamen maris æſtu impulſas, in innumeras mollis terreni glebâ abraſâ, Inſulas diſcretas fuiſſe. Hoc pacto dico, *Archipelagum*, quem *S. Lazari* vocant, & omnem illam *Inſularum Philippinarum* longè latéque diſſeminatarum congeriem, olim vel Terram continentem, vel etiam ingentem Inſulam altiſſimis montibus inſtructam fuiſſe, accidiſſe tandem magnâ illâ *Oceani Auſtralis*, quem *Pacificum* vocant, motus ex ortu in occaſum à Sole rapti, vehementiâ, totum illud ſpatium, quod maris motui obſiſtebat, ſucceſſive in innumeras hujuſmodi, quarum hodie ad undecim millia numerantur, Inſulas diſcretum fuiſſe, ſolo mari, veluti freto ampliſſimo intra Continentes Auſtralem & Borealem ad motus fluxuſque Oceani continuationem interjecto; *Zeilanum* quoque olim promontorio *Comorino* adnexam, à Continenti fluxu maris abraſam in Inſulam degeneraſſe. Pari pacto veriſimile eſt, *Archipelagum Græciam* inter & *Aſiam minorem*, interjectum, regionem ampliſſimam, partim *Græciæ* & *Thraciæ* Continenti, partim ex altera parte *Aſiæ minori* adnexam fuiſſe, ex vehementi tandem maris ex *Ponto Euxino* in *Mediterraneum* prorumpentis, impetu cum tempore, exeſo molli terreno, totam eamque vaſtam, regionem in tot Inſulas, quas videmus,

Aſiæ mutationes.

discriminasse, solo freto ad marium communicationem interjecto; Eandem metamorphosin in *Oceano Atlantico* accidisse, ubi in vastissimam Insulam, quam *Plato in Critia Atlantidem* vocat, in immensa terrarum spacia longè latéque exporrectam, uti vetustissimi *Athenienſium Annales* testantur, olim inter *Europam* & *Americam* interjectam extitisse, quam & veterum *Ægyptiorum* expeditione usitatam *Plato* refert; de qua vide *Mundum Subterraneum Tom. I.* Partem verò Mundi, quam hodiè *Europam* vocamus, haud impares transmutationes incurrisse, variis rationibus convicti dicere cogimur: qui enim recte *Angliam, Scotiam, Hyberniam* cum adjacentibus Insulis curiosiùs expenderit, ille asserere cogetur, omnes illas Insulas, post *Diluvium* unam regionem, eamque vastissimam fuisse, æstus tamen, sive fluxus & refluxus ibidem potenter dominantis vehementiâ, cum tempore ab invicem separatas.

Europæ mutationes.

Verùm ut enucleatius totius Telluris transmutationem conspiciamus, hìc *Chartam* apponemus, in qua nos, haud tamen incongruâ conjecturâ, ex inaudito hoc *Diluvii* universalis prodigio, talem esse, & debuisse, & potuisse, monstramus.

Vides igitur in *præsenti Charta*, immediate post *Diluvium*, incredibilem totius Telluris transformationem accidisse, & hodiernis temporibus, ex varia Regionum transmutatione, vel ad centum annorum decursum facta patet. Cur nobilissimæ Regiones, quæ incredibili sua feracitate, rerumque omnium abundantiâ florebant, hodie tamen ad manifestam sterilitatem, uti in nostro *Itinere Hetrusco*, demonstravimus, declinare videantur, ex *paulò* ante dictis colligitur. Quod uti *Plato* quondam de *Eubœa*, ita & nos de variis *Europæ* regionibus, quas vidimus, non sine admiratione accidisse observavimus. Nos quid de hujusmodi terrenarum portionum degeneratione sentiamus, paucis ostendemus.

Nota itaque *primò*, Terreni Globi superficiem ingentes succesſu temporum, uti & *suprà* diximus, alterationes subire, idque in *Mundo* nostro *Subterraneo*, multis variisque exemplis demonstravimus, adeoque non secus ac animatum quoddam corpus ex juventute quadam, virilique statu in imbecille quoddam senium viribusque paulatim fatiscentibus desinere.

Secundò. Nives, grandines, imbres & pluvias succesſu temporis, montium, quâ primævis temporibus operiebantur, terrenam cutem denudare, abrasâque meliori terrestris glebæ substantiâ non nisi ossa tantum, id est, saxosam scopulosamque substantiam relinquere.

Tertiò. Pingue illud terrenum initio inditum, quod agris fœcunditatem unice confert, tum Solis æstu, tum subterraneis ignibus id resolventibus, cum tempore, evaporare glebis cretaceis arenosisque relictis, quæ sunt sterilitatis mox secuturæ prodromi.

Quartò. Regionem quampiam quantumvis fœcundissimam, quantò majori fuerit constipatorum montium frequentiâ prædita, tantò majus illi infœcunditatis periculum imminere; quæ cùm quàm amplissimè in *Mundo Subterraneo*, & nostra *Hetruria*, exposita sint, eò Lectorem remittimus.

Cum itaque vel intra centenos annos hujusmodi terrenæ substantiæ degenerationes intueamur, quantas ex universali *Diluvio* Orbem Terræ incurrisse putabimus? Certè, quemadmodum in *præcedenti Capite* demonstravimus, id terrestres regiones in maria, & maria in terrestria loca, & Insulas, ex incredibili limi, sedimentorumque coacervatione mutasse, nulli dubium esse debet. Hinc ubi olim colles & clivi erant, hi solo æquati, in planites evaserunt, & contrà, planities ibidem ex limi accumulatione in

Stupendæ mutationes.

in clivos & colles, qui tamen ſucceſſu temporis in petram indurati in montes degenerârunt ; continentium exititias protuberationes, motu maris diſſectas in Inſulas, Inſulas continentibus adnexas in terram firmam, uti vocant, aut Iſthmos in Peninſulas abiiſſe, innumeri caſus demonſtrant. In *Mediterraneis* quoque partibus, ſi magnas catenas montium à natura in firmam Orbis oſſaturam deſtinatas excipias, plerique argillacei colles & clivi ex limoſarum quisquiliarum confluxu, conſtiterunt ; Stagna quoque & paludes impletas alibi erupiſſe, is facilè crediderit, qui Terræmotuum effectus penitiùs conſideraverit ; quod idem de fluminibus dici velim ; hæc enim multò differentiores alveos poſt *Diluvium*, quàm aut ante, aut hiſce temporibus habuiſſe, *Tybris* fluvius, alveo ſuo ſat docet, diverſiſſimo ab illo, quem tempore *Auguſti* habebat.

Omnium marium inter ſe & cum Oceano per ſubterraneos meatus commercia.

Quoniam verò omnia maria, uti *Mediterraneum*, *Euxinum*, *Caſpium* occultam cum *Oceano*, per ſubterraneos canales communicationem exercent, illa utique ſemper ſuam ſtationem illibatam hucuſque conſervarunt, non niſi aliquibus portionibus ad littora, vel per maris in humiliores camporum planities effuſionem, vel per oppletionem humilioris fundi maris, ex arenaceæ, ac ſedimentoſæ materiæ congerie factam, immutatis.

Poſt *Diluvium* itaque, non niſi compluribus annis, æſtuoſus *Oceani* impetus, quod lutoſum & terreſtre erat, diſciſsum in *Oceani* varios canales, quod ſaxoſum ſcopuloſumque in Inſulas convertit, quod in omnibus marium partibus, quos *Archipelagos* vocamus, contigiſſe exiſtimamus. Eſt enim ea Aquei Elementi proprietas, ut ubi molle terreum repererit, illud macerando in lutum convertat, undè camporum origo, & ſubindè quoque ab una parte adimit, ex altera parte adjiciat, quemadmodum innumeris exemplis in *Mundo Subterraneo I. Tomo* docuimus. Sed hiſce jam propoſitis, nil reſtat, niſi, ut Chartam Geographicam intuearis, in qua, qualemnam poſt *Diluvium* immediatè ſtatum Orbis terræ habere potuerit, variis conjecturis, exhibemus.

CAPUT III.

Quomodò Animalia in Univerſas Globi Terreni Regiones & Inſulas devenerint.

MIrantur multi, & capere non poſſunt, quomodò Animalia in remotiſſimas Inſulas, imò in *Americam* tam *Auſtralem*, quam *Borealem*, toto, uti dici ſolet, cœlo, ab *Europa*, *Africa* & *Aſia* ſeparatam, pervenire potuerint : undè multorum ingenia, neſcio qua perplexitate confuſa, aſſerere non ſunt verecundati, *Americam Diluvio* non fuiſſe ſuffuſam, vel ſi ſuffuſa fuerit, montes toto Orbe celſiſſimos, à *Diluvio* tamen fuiſſe immunes, & proindè animalia in ipſis ſe ſervare potuiſſe. Verùm cùm hanc ſententiam jam *ſuprà* tanquam Sacro Textui contrariam confutaverimus, hiſce non ampliùs immorabimur.

Cùm certum ſit, & ex hac *Mappa* appoſita luculenter pateat, animalia ſucceſſivè omnes terræ partes tùm Continentium tum Inſularum, occupare potuiſſe ex præcipuarum Terræ partium regionumq; continuatione; ſiquidem ex *Aſia* in regiones *Americæ* conjunctas, id eſt, in *Americam Borealem* tranſmigrare potuerunt ; cùm ibidem paulò poſt *Diluvium* regiones regionibus annexas fuiſſe putemus, id eſt, *Tartariam*, *Anianæ Regioni*; *Chinam*, quoq; *Coream* & *Japoniam*, & *Jeſſum*, quæ ultimis temporibus detecta regio,

Insulæ complures olim continenti adnexæ.

utrum Insula sit, an Continens alicubi *Americæ* adnexa, necdum patuit. Ex *Europa* quoque & *Africa*, nullo negotio in utramque *Americam* pervenire potuisse, vel ex eo patet, quod in *Oceano Atlantico* Insulam vastissimam, sive Continentem fuisse, in *præcedentibus* innuerimus, eamque ex *Platone*, *Athenienſium Ægyptiorumque* expeditionibus frequentatam, in *Mundo Subterraneo*, quàm ampliſſimè descripserimus; Dubitant tamen plerique, quomodò in hujusmodi Insulas animalia pervenire potuerint; cùm à Continente remotiores fuerint, quàm ut natando ad eas pervenire potuerint. *Respondeo:* Duplici modo ad Insulas remotiores animalia pervenisse: *Primò* vel natando à Continenti ad Insulam vicinam, & ab hac ad aliam viciniorem, quæ in tam vasto Oceano deesse non poterant, penetrasse, vel per Isthmos, quorum post *Diluvium* haud exiguum ubique numerum, Divinâ providentiâ sic exigente, relictum fuisse, nihil dubito.

Quomodo animalia in Insulas transmigraverint.

Dico *secundò*, per homines ut plurimùm in Insulas remotiores navibus tradu&ta fuisse, haud secùs ac hodierno tempore, quo per vastissimum *Oceanum Atlanticum* in *Americam* utramque, Animalia *Europæ* propria, ad propaginem transferuntur, præsertim cùm primos novarum coloniarum inquisitores, gentiumque Duces, non minùs ingenio industriâque pollentes, quàm ultimis hisce temporibus, aut *Hispanos*, *Lusitanosque*, aut *Batavos*, fuisse censeamus. Hoc pa&o per *Isthmum Anian* ex *Asia* in *Americam*, ex *China* in *Japoniam* forsan post *Diluvium*, *Chinæ* & *Coreæ* adnexam, & hinc in *Archipelagi Indici*, tunc Continentem sine natatione pervenire potuerunt; in *Australem* verò nobis hodie incognitam, vel per Isthmum, vel ab hominibus illuc transportata fuerunt. Idem de *Insula Zeilano*, & *S. Laurentii* olim Continentibus *Indiæ* & *Africæ* conjun&a, & successivè per motum, æstumque Oceani dissectis dicendum judicem; ut proinde nullam in hoc concipiendo difficultatem videam. Quod verò attinet ad varietatem animalium valdè à nostris differentium, quæ in *Indiarum* regionibus reperiri multi mirantur, ii mirari desinent, si, quæ in *Secundo* hujus Operis *Libro*, de animalium primigeniæ speciei juxta variam cœli, climatumque constitutionem, transformatione docuimus, rectè perceperint.

Opinio de *Diluvio* perabsurda.

Prodiit non ita pridem Libellus Gallicè scriptus, utique fœtus illius libri, qui *de Præadamitis* inscribitur, *Romæ* anno 1650 condemnatus, in quo Author, ausu sane temerario asserere non verecundatur, *Diluvium* neque universale, neque montes altiores aquis coopertos fuisse; ut proinde & homines, & animalia facilè servari potuerint. Verùm enim verò, uti hæc apertissimè *Sacro Geneseos Textui*, & omnium *Interpretum*, *Sanctorumq; Patrum Decretis* repugnant, ita quoque is, quisquis tandem ille Author fuerit, confutatione non eget, sed inter eos connumerandus Atheos, qui uti multa in Sacra Historia occurrentia capere non possunt, ita quoque contra omne fas, doctrinam à DEO *Mosi*, cæterisque Hagiographis dictatam, imprudenter, ne dicam stolidè, propriæ phantasiæ præferentes in fabulas, summo totius Christianæ Reipublicæ detrimento, & scandalo convertunt. Sed his jam traditis, ad alia progrediamur.

CA-



TOPOGRAPHIA PARADISI TERRESTRIS JUXTA MENTEM ET CONJECTURAS AUTHORIS.

NOTA AD LECTOREM

Ex tot tantisque Regionibus, quas cælum suo ambitu continet, hanc præsentem Paradisi terrestris Topographiam quam et Edeniam regionem appellè, tantis laudibus sacri Geographi omnes extollunt, ut communis omnium sententia, cæteras omnes bonitate terræ, ubertate frugum, omnisq; generis deliciis etiamnum longe antecellat, ut proinde Paradisus hic a Deo plantatus nonnullas pristinæ suæ felicitatis notas reliquisse videatur, cujus situm et topographiam hic præcisè juxta Sacræ Geneseos c. 2. v. 8. et 10. verba oculis præponere curiosi Lectoris desiderium voluptatis primò proximus, sub quadrata figura, quasi typum cælestis Paradisi seu civitatis in quadro juxta Apocalypseos descriptionem posita; Vides hic pariter fontem seu fluvium, quindè in quadruplicem mundi plagam dirisa post Paradisi irrigationem extra quoq; circumsitas regiones Havila, Æthiopiam orientalem, Terram Chus, Assyriam irrigat; Vides quoq; arborem vitæ in medio Paradisi plantatam; nec inde remotam arborem scientiæ boni et mali, quæ causa fuit peccati in mundum introducti. Arborum verò seriem non quod revera hunc situm habuerint; sed qualem in horto voluptatis concipere licuit, disposuimus. Extra verò Paradisum 4 Cherubim juxta paraphrasin chaldaicam (quos ipsa כרוביא Cherubina in plurali numero vocant) ad 4 mundi partes dispositè ad custodiendam viam ad lignum vitæ flammeo versatilique gladio armatos constituimus. Denique extra Paradisum Adæ et Evæ ex Paradiso expulsorum arumnas, et in agris excolendis labores, et ex Cain fratricidio afflictiones exhibuimus; et similia, quæ ubi satis superq; expressa sunt, ita quoq; ulteriori expositione non indigent, unde lectori omnia scitu ex descriptione Paradisi intelliget. Vale fruere.

CAPUT IV.

Utrum Paradiſus Terreſtris Diluvio *deſtructus ſit*, *& ubinam locorum fuerit.*

TAnta fuit, & ſemper erit de *Paradiſo Terreſtri* inter Doctores controverſia, ut cui ſubſcribas, vix diſpicias, tantiſque ſunt omnia involuta difficultatibus, ut *Cherub* ille flammeo, atque verſatili gladio obarmatus, omnem ad eum aditum nobis intercluſiſſe videatur. Quantum itaque ex genuino *Sacræ Geneſis Textu*, variorumque *Interpretum* melioris notæ ſenſu colligere potuimus, hoc loco exponendum cenſuimus. Emittat Dominus lucem ſuam, & veritatem ſuam, ut ipſe nos deducat in locum ſanctum ſuum, & in tabernacula ſua. Sed jam ad rem. Verba *Geneſis* cap. 2. hæc ſunt : *Plantaverat autem Dominus* DEUS Paradiſum voluptatis, *à principio*, *in quo poſuit hominem quem formaverat.*

Geneſ. 2. *v.* 8. ויטע יהוה אלהים גן בערן מקדם וישם שם את האדם.

Græca huic verbotenus congruit. Καὶ ἐφύτευσεν Κύριος ὁ Θεὸς Παράδεισον ἐν Ἐδὲν κατὰ ἀνατολάς. *Chaldæa* Onkelos dicit:

דנציב יי אלהא גנתא בערן מלקדמין.

Et plantavit Dominus DEUS Hortum *in* Eden *à principio*. Cui omnes Textus concordant : *Primò* in principio, *deinde* in *Eden Hortum* eſſe plantatum. Alter-

Quo die *Paradiſus* à DEO plantatus ſit.

cantur hìc *Expoſitores* de principio plantationis hujus *Horti*; quidam non benè fundati, ante omnia, primò videlicet die, fuiſſe plantatum. Sed quid *Hortus* delicioſiſſimus cum Chaotica maſſa, ex qua primo die Cœlum & Terram condiderat DEUS faciat? nemo concipere poteſt; qui verò poſt ſextum diem plantatum aſſerunt, illi negare videntur, à principio plantatum fuiſſe, quod eſt contrarium *Textui*. Ego pro mea tenuitate dico, idem feciſſe DEUM cum *Adamo*, quod cum Regibus in novum quoddam palatium introducendis fieri ſolet, dum illud ſummâ curâ & ſollicitudine, omni ornamentorum genere, ſplendidè, & magnifico apparatu condecorare ſatagunt : hoc pacto DEUS *Hortum Voluptatis*, in quem à ſe plaſmatum hominem omni bonorum deliciarumque genere uberrimum feliciſſimumque, à principio, antequam plaſmâſſet hominem, plantaverat, introduceret : cùm *à principio* denotet jam ante *Adæ* productionem *Hortum deliciarum* præparatum extitiſſe. Quo verò ex hexameron die? Dico non alio, quàm tertio die, quo DEUS dixit : *Germinet Terra herbam virentem & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus ſuum, cujus ſemen ſit ſupra terram, & factum eſt ita.* Quis ex hiſce non videt, *Paradiſum* congruentiori tempore plantari non potuiſſe, quàm eodem die, quo totius naturæ vegetabilis œconomiam omni plantarum, arborumque fructiferarum genere *conditor* exornârat; *Hortum* itaque in principio tertii diei à DEO in *Adami* gratiam ſeparatim plantatum fuiſſe, quicquid alii perperàm ſentiant aſſerimus : & ne nos longioribus tricis involvamus, hanc noſtram ſententiam paucis hiſce proponere voluimus.

Plantaverat autem *Hortum* à principio in *Eden*, id eſt, *Hortum voluptatis* in *Oriente*; ubi hæc vox in *Eden*, variè accipi poteſt, vel pro voluptate, & pro deliciis, vel pro nomine loci. Certè ſinguli *ſuprà* allegati *Textus* dicunt בערן *in Eden* Hebraicus, Græcus ἐν Ἐδὲν κατὰ ἀνατολὰς, in *Eden* ad *Orientem*, cui conſentit Chaldæus : *Be Eden*, in *Eden*, quæ nos

Be Eden quid propriè.

ita exponimus: Plantavit DEUS *Hortum* delicioſiſſimum ad *Orientem;* ita ut *Be Eden* unà ſignificet, & nomen loci, & ſummam in eo deliciarum ubertatem; atque adeò in unum coincidit hoc verbum, *Be Eden;* certè ad *Orientem* conditum fuiſſe, reſpectu *Palæſtinæ* & *Ægypti*, ubi *Moſes* & habitabat, & conſcripſerat *Hiſtoriam Geneſis.*

His itaque breviter præmiſſis, jam videamus, ubi *Regio* illa *Orientalis* conſtituta fuerit, in qua DEUS plantaverat *Paradiſum.* Ex genuina & vera determinatione *Paradiſi*, cum ſe evolvere non poſsent nonnulli *Interpretes*, maluerunt totam hanc *Paradiſi* hiſtoriam ad myſticos & anagogicos ſenſus transferre, quàm illius veram & realem hiſtoriam ad literam intelligere, quæ perabſurda, & intolerabilis ſententia eſt, *Sacræ Moſis Hiſtoriæ* penitus contraria: Ad quid enim *Moſes* tàm ſcitè ipſum quoad plantarum, arborum fructuumque delicias, & quoad quatuor flumina, quibus irrigabatur, amœnitatem ſi ea ad literam non intelligi voluiſset, deſcripſiſſet? Ergone eſus fructus primis parentibus prohibiti, non realis, ſed purè metaphoricus cenſendus eſt? Hæreticus id credat, & ſentiat; Ego dico, DEUM in univerſis Bibliis nihil myſticum proferri voluiſse, quod non primò ſub literali ſenſu, & ſenſibilibus rebus, veluti in typo quodam expreſsum fuiſset, cum inviſibilia, teſte Divo *Paulo* non niſi per ea, quæ facta ſunt, cognoſcantur. Ubinam igitur delicioſiſſimus ille *Hortus* DEI manu plantatus, fuerit, an etiamnum adhuc reſtet, an *Diluvio*, aut aliis de cauſis vaſtatus, exponendum reſtat.

Suppono itaque *primò* eo in loco fuiſſe *Paradiſum*, in quem *Adam* à DEO, poſtquam ex terra Damaſcena plaſmatus eſſet, ut plerique ſentiunt *Interpretes*, tranſlatus eſt; ut coleret, & cuſtodiret eum, poſt lapſum verò *Paradiſo* extorris in vicinam regionem expulſus legitur, ut ſemper ob oculos haberet beatas illius loci amœniſſimi delicias, ex quibus ſuâ culpâ exciderat; *Hortum* inquam, uti *Baſilius* ait, DEI manu conſitum, peramœnum, ac deliciis omnifariam diffluentem, manſionem, locum omnem exuberantem creaturam, viſenda pulchritudine ſuſcipiendum & admirabilem, locum dico præluſtrem & ſpectatu digniſſimum, in quo perpetua quædam temperies, cui nulla ventorum vis, nullæ tempeſtates, nulla grando, nulla fulmina, nullæ procellæ, ſed quicquid in ſingulis anni temporibus optatiſſimum foret; quæ omnia intelligi videntur de ſtatu ante lapſum *Adami*, poſt lapſum verò omnia in pejus ruiſſe *inferiùs* patebit. Deſcriptio *Paradiſi.*

Cum igitur *Adam* ad plagam Orientalem è *Paradiſo* expulſus habitaverit, illa verò regio, alia non fuerat, niſi *Campus Damaſcenus*, inter *Montem Libanum* & *Meſopotamiam* contentus, intra *Meſopotamiam Paradiſum* extitiſſe veriſimile credimus, cum *Euphrates* & *Tigris* flumina *Paradiſi*, quæ & hodiè adhuc *Meſopotamiam* includunt, id expreſsè docent; Accedit, in hunc uſque diem *Meſopotamiæ* incredibilis amœnitas, & ſumma rerum omnium ad vitam hominum deliciosè tranſigentium neceſſariarum copiâ & affluentiâ, quæ ſunt priſtinæ in *Paradiſo* felicitatis reliquiæ, & veſtigia.

Suppono *ſecundò*: Omnes Patriarchas primævos, ab *Adamo* uſque ad *Noëmum* ibidem habitaſſe, ut Patriarcharum primo Protoplaſto *Adamo* vicini eſſent, & ab eo tum in ſcientiis & artibus humano generi conſervando neceſſariis, tùm moribus legibuſque vitæ & diſciplinæ inſtruerentur. Nam uti *Libro primo* oſtendimus, *Lamechum* patrem *Noëmi* in lite cum duabus uxoribus *Adæ* & *Sellæ* dirimenda, ad *Adamum* confugiſſe adhuc viventem; *Kain* quoque ad Orientalem plagam *Eden* Civitatem extruxiſſe nomine *Enoch*; *Henochum* ibidem à DEO tranſlatum fuiſſe, *Noëmum*

ibidem

ibidem *Arcam* fabricaſſe, & *Turrim Babel* in terra *Sannaar* extra pomœria *Paradiſi* extruxiſſe: Accedit, ipſum *Adam* ex *Agro Edenio* in vicinam terram ſanctam profectum, ibidem in *monte Moria*, uti *Interpretes* tradunt, ultimum diem obiiſſe, ut eo in loco *Adam* primus homo moreretur, in quo ſecundus *Adam Chriſtus* pro ſalute humani generis crucifixus, obiturus eſſet. Non igitur veriſimile eſt, Patriarchas felicitatis *Paradiſi* memores, cujus uti delicias ab *Adamo* recenſeri audierant, ita in longinquas & remotas Regiones abiiſſe, ſed cum *Adamo* eo in loco *Paradiſo* vicino reſtitiſſe, poſteris verò Nepotibus reliquas Orbis terræ regiones inhabitandas reliquiſſe. *Paradiſus* itaque alio in loco ſitum non fuiſſe, quàm in *Meſopotamia* & circumvicinis Regionibus ex dictis patuit.

Hìc nonnullos mihi objicientes audio. In hunc uſque diem nihil eorum reſtare, quæ *Sacra Scriptura* de fonte in eo exorto, & indè in quatuor flumina diviſa enarrat. Sed verba Sacri Textus examinemus:

Geneſ. 2. verſ. 10.

ונהר יוצא מעדן להשקות את הגן ומשם יפרד והיה לארבע ראשים.

פישון / 1. *Phyſon.* *Et fluvius indè egrediebatur ad irrigandum* Hortum, *& indè dividitur in quatuor capita: Nomen uni* Phyſon, *circuiens* Heviſam, *ubi eſt aurum optimum; Nomen ſecundi fluvii eſt* Gehon, *ipſe circuit omnem terram* Æthiopiæ; *Nomen tertii fluvii* Tigris, *ipſe eſt, qui vadit contra* Aſſyrios; *Fluvius autem quartus eſt* Euphrates. Chaldæa lectio:

גיחון / 2. *Gehon.*

חדקל / 3. *Hiddekel, Tigris.*

פרת / 4. *Phrath.*

וסביב יות כל ארעא דכוש.

Qui circuit omnem terram Chus. Cum verò non niſi duo flumina *Tigris* & *Euphrates* nominentur, *Phyſon* verò & *Gehon*, quænam ſint, ignoretur, hinc arguunt, in hoc loco *Paradiſum* exiſtere non potuiſſe: Ego verò contrarium hoc loco demonſtrandum cenſui.

Suppono itaque *tertio*: *Paradiſum* ante, & poſt *Diluvium* eundem quoad ſubſtantiam habere ſitum, quem habebat ante lapſum *Adami*, ſed vel indignatione DEI ob peccatum *Adami*, poſterorumque impietatem, vel aliis de cauſis *inferiùs* recenſendis, cum tempore defeciſſe; undè profundiori mentis trutinâ, primævam *Paradiſi* felicitatem, amœnitatemque expendens, tandem concludo, *Paradiſum* alio in loco non extitiſſe, quàm in *Edenia regione*, quæ & *Campi Damaſceni* partem unà cum *Meſopotamia* continebat, uti ex *Topographia Eden lib.* 1. patet.

Quæritur itaque primò. *Quomodo bodiè præter duorum fluminum nomina* Tigris & Euphratis, *nullum aliud* Paradiſi *veſtigium ſupereſſe comperiatur?* Reſpondeo; poſt lapſum *Adami* ſtatim ob delictum eſus pomi contra Divinum præceptum commiſsum, deindè ob conclamatam hominum ante *Diluvium* impietatem, ſcelerumque enormitatem prævisam, cum non eſset, cui *Paradiſus* ſerviret, neque unquam ullus foret, qui illum intrare poſset, tandem prorſùs *Diluvii* inundatione deſtructum, devaſtatumque fuiſse: Ita *Salianus* & multi alii ex *SS. Patribus*, quos in ſuis *Annalibus* citat, ſentiunt, quibus nos adſtipulamur.

Quæſitum ſecundum, *Utrùm* Paradiſus *adhuc exiſtat*, *utrùm aliò tranſlatus ſit?* Reſpondeo, cum multi *Interpretes* eum in hunc uſque diem exiſtere exiſtiment, ii non alio incitamento ad id aſſerendum inducuntur, quàm quod *Henoch* & *Elias* in *Paradiſum* tranſlati credantur; verùm uti hæc ſententia oppidò debilibus inſiſtit fundamentis, ita quoque facilè diſsolvitur, vel hoc ipſo quod in *Sacra Scriptura* primò nec ex *Geneſi*, nec ex *lib.* 4. *Regum*, *Henochum* atque *Eliam* in *Paradiſum* tranſlatos fuiſse probari poſſit. De *Henoch* enim tranſlato loquitur citatus locus:

ויתהלך חנוך את האלהים ואינגו כי לקח אתו אלהים. *Gen. cap. 5. verſ. 24.*

Et ambulavit Henoch *cum* DEO, *& non apparuit, quia accepit eum* DEUS. Et de *Elia*:

Elia : Eccè currus igneus, & equi ignei diviſerunt utrumque, & aſcendit Elias *per turbinem in cœlum.* Ex quibus neque *Henoch*, neque *Eliam* in *Paradiſum* raptum fuiſse, colligi poteſt; quaſi verò DEUS eos non alibi, quàm in *Paradiſo* & potuerit, & voluerit conſervare. Qua de cauſa multi *Authores* quàm abſurdiſſimis ſententiis in tranſverſum acti, *Paradiſum* quidem non eodem loco, quo a prima ejus plantatione extitit, ſupereſse, ſed aliò tranſlatum fuiſse ſentiunt; & nonnulli quidem, uti *Armeni* in inacceſſis *Armeniæ* montibus adhuc alicubi exiſtere, ex eo ſibi imaginantur, quod ibidem inter intimos ſolitudinis receſsus ſubindè virum quendam ætate grandævum, & barbitio ſpectabilem, nec non ſtupendæ majeſtatis ſpectârint, quem *Eliam* eſſe interpretantur; ſed uti hæc phantaſticæ facultatis ludibria ſunt, ita quoque tempus perdet, ſi quis ea confutanda ſuſceperit; quonam enim modo fieri potuit, in aſperrimis inacceſſi montis jugis *Paradiſum* cum ſuis fontibus & fluminibus *Paradiſum* irrigantibus nec non cum eâ amœnitate arborum, fructuumque varietate conſiſtere potuiſſe? Undè *Paradiſum* in *Suppolarem Antarcticam Oceano* circumfluo inacceſſam regionem tranſlatum fuiſſe, *Brunus in ſuo Theatro Urbium* docet. Sed quis rogo, *Paradiſum* locum voluptatis, ex temperatiſſima regione & omni deliciarum genere confertiſſima in omnium totius Mundi aſperrimam & ἀνεχέλοτατον ſqualidiſſimam Mundi faciem delatum fuiſſe concipiet? Unde & hæc uti abſurda eſt, ita confutatione non indiget. Alii præterea cum locum ei congruum non reperirent, *Paradiſum* in *Zeilanum* ſub Zona torrida Inſulam aromaticis plantis, nec non amœnitate, rerumque ubertate, ac longinquitate vitæ hominum celeberrimam, tranſlatum putant; ſed cum in ea quadruplicis fluviorum originis nullum reperiatur veſtigium, neque arbores fructuſque *Paradiſo* proprios *Zeilan* proferat, præterea æſtu intolerabili, æſtate ferveat, hyeme pluviis continuis inundetur, unde & hanc opinionem fabulis adſcribimus; uti & eorundem, qui *Paradiſum* ex *Poëtarum* deſcriptione, aut in *Heſperidum* hortos, aut *Canarias Inſulas* relegant. Deindè, cum quidam *Authores* nullam harum opinionum ſubſiſtere poſſe viderent, in multò aliam abſurdiorem ſententiam inciderunt; hi nimirum ne *Paradiſum Diluvii* aquis deſtructum fuiſſe, concedere cogerentur, eum quindecim cubitis ſuper omnium montium ſub cœlo exiſtentium vertices, Angelorum (quos ipſi illos ipſos Cherubin dicunt) gladio flammeo & verſatili *Paradiſum* cuſtodientium miniſterio tranſlatum, conſervatumque fuiſſe putant. Verùm ſuper quos montes? & quomodo ſupra dictos montium vertices *Paradiſus* cum ſuis fluminibus & amœnitate viridariorum ſubſiſtere potuerit, quis ſibi imaginari poterit? Vides itaque Lector, quàm graviter hallucinentur *Authores*, qui *Paradiſum* aliò tranſlatum fuiſſe perperàm opinantur: vel enim *Paradiſus* ſub eâ prorſùs facie, quâ à DEO plantatus fuit, ex loco genuino *Eden* evulſus & eradicatus in incongruam Orbis regionem tranſlatus fuit, vel non: Si prius, certè iſtius nonnulla in *Edenia Regione* evulſionis veſtigia notata fuiſſent, quæ ſicuti non obſervantur, & *Tigris* & *Euphrates* adhuc maneant, ita quoque aliò tranſlatus dici non poteſt, vel ſi tranſlatus eſt, is *Paradiſus* dici nec debet, nec poteſt; Qui verò eodem adhuc loco exiſtere quidem putant, ſed ἀόρατον, ſive inviſibilem exiſtimant, ii jam illis Scriptoribus adnumerandi ſunt, qui omnem *Paradiſi* hiſtoriam à *Moſe* deſcriptam, non realem, & literalem, ſed purè myſticam, allegoricam, tropologicamque eſſe arbitrantur, quod aſſerere in fide periculoſum eſse, nemo non videt. Sequeretur enim, & *Adami* & *Evæ* hiſtoriam, eſumque pomi prohibiti,

Paradiſus in varias Regiones ridiculè tranſlatus.

hibiti, & indè lapſum, expulſionemque ejus ex *Paradiſo* unà cum fluminibus, & arborum varietate non ad literam, ſed ſub allegoria intelligi debere; quod quàm abſurdum ſit, quis non videt? Nihil itaque probant hæc de Tranſlatione *Paradiſi* propoſita argumenta, atque adeò clarè ex illis conſtat, *Paradiſum* in principio alium ſitum non habuiſſe, quàm quem *ſuprà* deſcripſimus in *Edenia Regione*, quam ab *Adamo*, & omnibus Patriarchis, *Seth*, *Enos*, *Cainan*, *Mavaliel*, *Irad*, *Henoch*, *Mathuſala*, *Lamech* & *Noë*, tanquam patriam regionem inhabitatam fuiſſe, & poſt *Diluvium* cum à filiis *Noë*, *Sem*, *Cham*, *Japhet*, eorumque progenie, uſque ad *Abraham*, uti ex *Sacris Literis* de *Haran Meſopotamiæ*, & *Ur Chaldæorum*, *Abrahæ* patriâ oſtendi poteſt. Nihil igitur reſtat, niſi ut modò, quomodò tantopere locus *Paradiſi* transmutatus ſit, oſtendamus.

Quæſitum tertium. *Quomodò* Edenia Regio, *locus* Paradiſi *tantopere tranſmutatus fuerit, ut fons ille, ex quo veluti quatuor alia flumina derivabantur, hodie non compareat?* Reſpondeo, id admirabili Divinæ providentiæ diſpoſitione contigiſſe, quod ut luculentiùs pateat; Notandum eſt, Sapientiſſimum rerum *Conditorem*, *Paradiſum* plantaturum voluptatis, ut in eo hominem ad ſui imaginem & ſimilitudinem conditum, feliciſſimâ vitâ bearet, fontem, ſeu uti Hebræus Textus habet:

Geneſ. 2. verſ. 10. ונהר יצא מעדן להשקות את הגן ומשם יפרד והיה לארבעה ראשים.

Et fluvius egrediebatur ex Eden *ad irrigandum hortum, & inde dividebatur in quatuor capita.* Flumen eduxit, qui ſufficientibus aquis hortum voluptatis irrigaret, utpote ſine quo fonte, ſeu flumine, cœteriſque quatuor fluviis indè derivatis *Paradiſus* amœnitatem ſuam, feracitatemque conſequi non poſſet. Qui fons inſtar fluminis ſeu lacus erat; Hunc itaque fontem, quantum nos ingenii noſtri imbecillitate comprehendere poſſumus, ex hydrophylaciis montium *Armeniæ*, aquis per ſubterraneos inciles derivatis in *Paradiſi* medio ortum fuiſſe exiſtimamus. Nam ut in *Mundo Subterraneo* demonſtravi: Conſtituit Divina Sapientia in principio rerum, dum aquas ab aquis ſepararet, crateres quoſdam ingentes, & præamplas concavitates in abditis montium viſceribus, quæ nos *hydrophylacia* appellamus, conſtituit, eò quod hæc æſtu motuque *Oceani* perpetuo per ſubterraneos meatus, ad originem fluminum lacuumque conſtituendam repleantur. Ex hiſce itaque dictorum *Armeniæ* montium hydrophylaciis, DEUS aquas, uti dixi, per meatus, & canales ſubterraneos, derivatas, intra *Paradiſum* oriri fecit; qui fons uti flumen referebat, ita quoque ſic ordinante DEO, id indè in quatuor alia flumina diviſum, non ſolùm *Paradiſum*, juxta quadruplicem Mundi plagam, ſed etiam extra illum Regiones *Hevilalh*, & *Terram Chus*, *Aſſyriamque*, quam affluentiſſimè irrigabat, ut *Topographia Paradiſi* docet. Quomodò verò fons ille quadruplici fluminum diffuſione uberrimus, tandem, & tam brevi tempore ita exaruerit, ut nec à Patriarchis primis ante *Diluvium* nec poſteà inveniri potuerit; ſic factum putem.

Poſt lapſum, ut dixi *Adami*, DEUS *Opt. Max.* prævisâ hominum poſterorum *Adæ* impietate, ſcelerumque immanitate prævisâ, *Paradiſum* deſtructurus, obſerato dicto fonte eum, unde profluxerat, montium hydrophylacio reſtituit, ubi per alios fontes erumpens, in exteriorem Terræ ſuperficiem, *Tigrim*, & *Euphratem*, qui deſtructi jam *Paradiſi* locum genuinum aquis ſuis irrigarent, ex quibus *Tigris* per duplicem ramum, qui *Phiſon*, & *Gehon* dicebantur, in *Perſicum Sinum* evolvuntur. Fontem igitur, qui per ſubterraneos Canales ex

montium crateribus derivatus, in medio *Paradiſi*, indè in quatuor capita diviſus, oriebatur, illum poſteà mutatis rebus per exteriores alveos, *Terram Edeniam* irrigare voluiſſe, haud incongruis conjecturis aſſeveramus. Atque hæc eſt mea quidem ſententia, quam non improbabilem futuram ſperamus apud eos, qui rationes à me propoſitas rectè expenderint, nec deſunt authores huic meæ ſententiæ ſubſcribentes. Sic enim *Hugo Victorinus* in hujus loci expoſitione, *Scimus*, inquit, Paradiſum *eſſe quendam locum determinatum in parte Terræ, & flumina illa ortum habere in* Paradiſo, *quæ è Terra ibidem abſorpta, & extra* Paradiſum *iterum oriri, qui ſecundi ortus nobis in* Tigri & Euphrate *noti ſunt.* Idem ſentit *Severianus* apud *Lipomanum.*

Quæritur quartò. *Quænam ſint Regiones illæ* Hevilak & Chus, *quæ à fluminibus* Phiſon & Gehon, *irrigari dicuntur.*

Cum hæc ad verum *Paradiſi* ſitum intelligendum, non parvi momenti ſint, illa hoc loco, eâ, quâ fieri poteſt brevitate, exponemus. Multi *Havila*, Indiæ Regionem eſſe, eò quòd per *Phiſon*, nil aliud denotetur, quàm *Ganges Indiæ*, fluvius; *Gehon* verò *Nilum Æthiopiæ* interioris, quam irrigat, flumen eſſe ſibi perſuadent; Sed enim *Paradiſum* in tantam amplitudinem ſe extendiſſe, ut vel ipſam *Indiam*, *Æthiopiamque* in ſe includeret, quis tam credulus eſt, ut id in animum ſuum inducere queat; hoc enim pacto univerſam *Africam majorem*, *Armeniam*, *Perſidem*, *Majoricam*, ac denique *Chinam* ipſam ex *Oriente* & ex *Occidente* totam *Aſiam minorem*, *Ægyptum*, verbo, univerſam *Africam* circuitus *Paradiſi* continuiſſet; favetque hæc ſententia iis, qui cum hanc amplitudinem concipere non poſſent, univerſum terrarum Orbem, *Paradiſum* fuiſſe audaciùs aſſeruerunt; Verùm cùm hæc expreſsè *Sacro Textui* repugnant, eam non refellendam duxi, cum vel ipſa *Sacra Scriptura* determinatum locum, videlicet *Hortum* dicat, & *Adam* indè expulſum, in vicina *Regione Edenia*, cum reliquis Patriarchis habitaſſe, *ſuprà* retulerimus.

Cum itaque dicta flumina extra *Paradiſum* evoluta, primus, quidem *Phiſon* Regionem *Havila*, *Gehon* verò ſecundus *Terram Chus*, ſeu *Æthiopiam* alluiſſe *Sacra Geneſis* tradat. Jam explorandum reſtat, ut quænam illæ Regiones fluxus ſui ſitum alveoſque ſortitæ ſint, exponamus. Dico igitur Terram *Hevilak* neque eſſe, neque poſſe intelligi *Indiam*, quam *Ganges* irrigat, quod flumen ipſi pro *Phiſone*, *Paradiſi* flumine perperàm ſumunt: *Hevilah* itaque regionem aliam eſse non poſſe, quàm tractum illum littoris maritimi, quem à deſerto *Sur* & *Pharum* in *Topographia Paradiſi* protendimus; quod quidem ex *Sacris Scripturæ* locis clarè oſtenditur: ſiquidem Sacra Geneſis c. 25. de *Iſmaële* loquens: *habitavit*, inquit, *ab* Havilah *uſque* Sur, *quæ reſpicit* Ægyptum *ad introitum* Aſſyriæ. Limites autem *Havilah* opponuntur, uti dixi, finibus *Sur*, undè *Havilah*, eam cenſemus Regionem, quam *Geographi Suſianam Perſidis* partem vocant, eſt neceſſariò inferior illâ *Aſſyriæ* parte, quæ *Sinui Perſico* adjacet: id confirmat lib. 1. Regum, ubi dicitur: *Percuſſit* Saul Amelec *ab* Havilah, *donec venit ad* Sur, *quæ eſt è regione* Ægypti. Quis jam *Saulem* contra *Amalecitas Indiæ* populos, uti quidam ex *Phiſon*, quem *Gangem* putant, pugnaſſe credat? Eſt igitur, *Hevilah*, ut tandem concludam, illa, uti *ſuprà* dixi regio, quæ *Maris Perſici* Oſtio adjacet, in quod & hodiè *Tigris* & *Euphrates* paulò infra *Babylonem* uniti ſe exonerant; Olim verò *Tigrim* in duos ramos ibidem diviſum, quorum unus *Phiſon*, alter *Gehon* dicebatur, *Sinui Perſico* ſe commiſcuiſſe, quos & *Phaſin*, & *Phatiſirin* dictos fuiſse, *Plinius* in *Hiſtoria ſua naturali* tradit. Sed hæc ex *Topographia* hîc appoſita meliùs intelligentur, quàm egomultis verbis exponere non

non queam. Jam verò quam Regionem extra *Paradiſum Gehon* fluvium irrigaſſe putemus, aperiamus. Textus ita habet :

Geneſ. 2. verſ. 13. ושם הנהר השני גיחון הוא הסובב את כל ארץ כוש.

Et nomen fluvii ſecundi Gehon, *ipſe circuit omnem terram* Chus. Ubi Terram *Chus* paſſim pro *Æthiopia* ſumitur, uti & *Gehon* pro *Nilo*. Sed quiſnam *Nilum Æthiopiæ* flumen, tantà terrarum *marisque Mediterranei* ab *Edenia Regione* diſtantià, inter flumina *Paradiſi* numerari poſſe credat ? Ut verò, quænam illa Terra *Æthiopiæ*, ſive *Chus* ſit, quam *Gihon* irrigare dicitur, explicetur; Dico duplicem hoc loco *Æthiopiam* intelligi debere ; unam, *Æthiopiam* illam magnam in meditullio *Africæ* conſtitutam, & hanc à *Nilo* irrigatam, quam negamus eſſe *Æthiopiam* illam vaſtam, de qua hìc ſermo eſt ; Eſt itaque ultra *mare Rubrum* alia regio, quæ pari nomine *Æthiopia*, ſive Terra *Chus* dicitur, ſive *Madianitarum* incolatus fuit, & eſt Regio illa, quæ ab ortu montem *Sinai*, & *Arabiam deſertam*, à Meridie *Felicem*, ab occaſu *Ægyptum*, à Septentrione *Palæſtinam* & *Aſſyriam* reſpicit, & ideò *Terra Madianitica* dicitur, quod uxor ejus *Madianitis* genere, & alio loco *Æthiopiſſa* quoque vocetur ; cum enim *Chus*, *Chami* filius, præter *Ægyptum* non interiorem ſtatim *Æthiopiam*, ſed illam *Madianiticam* vicinam occupaverit, quod ex innumeris *Sacris profaniſque Literis*, niſi Libri moles obſtaret, oſtendere poſſem. Interim Lector adeat *Cornelium*, *Pererium*, *Oleaſtrum*, cæteroſque innumeros, qui hoc de tranſmigratione gentium argumentum fuſiùs deſcribunt : Atque hanc quam deſcripſi Regionem dico, fuiſſe illam *Æthiopiam*, quam *Gehon Paradiſi* fluvius irrigabat, uti *Topographia* clarè monſtrat.

Gehon quiſnam fluvius.

Æthiopia Madianitica.

Quæſitum quintum. *Quid per Cherubim flammeo & verſatili gladio ante* Paradiſum *conſtitutum*, & *aditum ad arborem Ligni vitæ cuſtodiendum intelligatur ?*

Cherub cuſtos *Paradiſi* quid ſit ?

Multi ex hiſce verbis perſuaſi, putant *Paradiſum* in hoc uſque tempus adhuc exiſtere, eò quòd aditus ad eum per Cherubim impediatur. Duo, hoc loco expendenda occurrunt : *Primò* Arbor vitæ in medio *Paradiſi*, *deindè* Cherubim, ſive Angelus, qui aditum ad eam flammeo, & verſatili gladio impediat ; ubi ſic legitur in Chaldaica Paraphraſi *Onkelos :*

ותרך ית אדם ואשריה ממדנח לגינתא דעדן ית כרוביא למטר ית ארח אילן חייא.

Et ejecit Adam, & *collocavit ad* Orientem Horti voluptatis *Cherubaia*, & *gladium acutum verſatilem*, *ad cuſtodiendam viam ad Arborem vitæ*. De utroque *Interpretes* validas ineunt velitationes. Quidam hæc puro myſtico ſenſu accipienda eſſe ſentiunt. Alii verò Arborem vitæ Phyſicas habuiſſe virtutes & proprietates vitæ perpetuandæ inſitas, & in uſum ſtatus juſtitiæ originalis à Deo conceſſas non incongruè opinantur, quibus & ego ſubſcribo ; potuit enim præpotentis Dei virtus fructui arboris implantare talem facultatem, quæ homines in ſtatu innocentiæ ad nonnulla millia annorum tam diù conſervaret, uſque dum Deo placeret, ad Viſionem beatificam illos admittere ; Et hujuſmodi Arborem in medio *Paradiſi* plantatam fuiſſe, non myſticè, ſed literaliter intelligi debet, non enim aliàs poſt lapſum, Cherubim ad cuſtodiendam viam ad Arborem vitæ, poſuiſſet Deus. Verùm de hiſce qui plura deſideraverit, is conſulat *Pererii* in *Geneſin*, *primum Tomum*, ubi totam hanc controverſiam pulchrè & ſcitè dilucidat. Hoc tantùm infero, ex *Textu Chaldæo*, luculentiſſimè concludi poſſe, *Paradiſum* non alio loco, quàm quo eum nos conſtituimus ; in *Edenia* videlicet regione, quæ & *Agrum Damaſcenum*, *Aſſyriam* ſive *Meſopotamiam* in ſe includit, uti *paulò* ante allegatus

Onkelos clarè docet; & collocavit ex *Oriente Eden*, ſive *Horti voluptatis* Cherubim, ad cuſtodiendam viam ad Arborem vitæ.

Quæritur Sextò. *Utrùm homines in ſtatu innocentiæ omnes in* Paradiſo *victuri fuerint?* Reſpondeo. DEUM *Opt. Max.* in eo ſtatu, uti Orbem Terrarum ab omni corruptionis labe immunem reliquit, ita quoque homines totum Orbem peragrare potuiſſent, tum ad admirandam Operum Divinorum, quæ hominum cauſâ produxiſſet, magnitudinem, copiam, varietatemque contemplandam, tum ut infinitâ DEI bonitate, & ſapientia cognita, cujus amore ſuccenſi continuis laudibus, & gratiarum actionibus uſque ad conſtitutum à DEO tranſitus tempus, proſequerentur. Sufficiebat iis ad perpetuandam vitam, vel ſemel fructus Arboris vitæ deguſtaſſe, & ex *Textu Sacro* clarè patet: quemadmodum enim poſt conſummationem ſeculi præter Cœlum Empyreum propriè dictum, totum Mundum Empyreum, & hominibus jam gloria æterna beatis pervium futurum, luculenter in *Itinerario* noſtro *Extatico* docuimus; pari pacto in ſtatu innocentiæ, qui *Paradiſi* cœleſtis non niſi typus erat, præter *Hortum* ſeparatim manu DEI in *Eden*, conſitum, totum reliquum Orbem Terrarum, *Paradiſum* fuiſſe, iiſdem ubique naturæ dotibus inſtructum quibus *Hortus voluptatis* à DEO imbutus erat in *Eden*, veritate non abludit. Atque hæc de *Paradiſo*, quantum propoſitum nobis argumentum permiſit, dicta ſufficiant.

CAPUT V.

Utrum ante Diluvium *de variis Artibus & Scientiis ſcripti fuerint libri, & utrum illi ad poſterum Mundum fuerint propagati.*

NOn poſt *Diluvium* duntaxat, ſed & ante illud Scripturæ & literarum uſum fuiſſe, oſtendit primo omnium ferè *Latinorum*, *Græcorum*, *Hebræorum*, *Chaldæorum*, *Arabum*, *Samaritanorum*, *Ægyptiorumque* conſenſus, & ut in hoc Opere majori ſinceritate, ingenuitate & candore procederemus, ſingulorum verba, ea lingua & charactere, quo ſcripta fuerunt, adducemus. Atque ut ab *Adamo* protoplaſto incipiam, fuiſſe illum uti literarum omnium, artium, ſcientiarumque inventorem & Authorem infuſa à DEO ſcientia præditum, ita quoque & Librorum Scriptorem, apertiſſimè Suidas tradit his verbis: Τούτου τέχναι καὶ γράμματα τούτου ἐπιστῆμαι λογικαὶ καὶ ἄλογοι. Τούτου προφητεῖαι, ἱερουργίαι, καὶ καθαρμοὶ καὶ νόμοι γραπτοίτε καὶ ἄγραφοι· τούτου πάντα εὑρήματα. *Hujus*, inquit, *ſunt Artes, & litteræ, hujus ſcientiæ rationales, & non rationales, hujus prophetiæ, Sacrorumque operationes, hujus leges ſcriptæ, & non ſcriptæ; hujus inventiones, &c.* Cui *Hebræi* adſtipulantur, qui in hunc locum *Geneſ. Liber generationum* Adam commentantes; plerique librum *Adamo* à DEO dictatum interpretantur *Rabboth:* ואמרו ז"ל רבותינו שאדם אבינו ז"ל חבר את ספר כל מצות שמסרו אלהים בגן עדן. *Dicunt Rabbini noſtri, quod* Adam *Pater noſter, benedictæ memoriæ, compoſuit librum præceptorum, quæ* DEUS *ipſi dedit in Horto* Eden. Rabbi *Tanakus Bar Haja, in Rabboth*, dicit fuiſſe librum, in quo omnia à principio Mundi uſque ad conſummationem ejus explicarentur, & in virtute ejus filios *Adam*, *Seth*, & *Henoch* prædixiſſe *Diluvium*, & in illo, uti *Zohar* quoque innuit, continebatur, quòd non venturus ſit Rex *Meſſias*, donec omnia,

Suidas.

Adamus Author omnium artium, & ſcientiarum.

Rabboth Commentarius in Geneſim.

Rab. Tanakus, Bar Haja in Rabboth.

Quis liber fuerit ab *Adamo* ſcriptus, & quid continuerit.

omnia, quæ in mente Creatoris conceptæ erant, crearentur animæ: Verba ejus sunt:

אין מלך משיח בא עד שיבראו כל הנשמות
שעלו במחשבה להבראות אלה הנשמות
האמרות כספר של אדם זה ספר תלדות אדם,

Non venturus est Rex Messias, *donec creatæ fuerint omnes animæ, quæ ascenderunt in cogitatione* DEI, *ut crearet eas, & hæ sunt animæ in libris* Adam *insinuatæ hisce verbis*: Et hic est liber generationum *Adam*: Quod si de secundo *Messiæ* adventu intelligatur, tolerari potest; ultimum tamen à *Rabbinis* in gratiam plebis Judaicæ appositum, affictumque facilè elucescit. Vide *R. Abarbanel, Rambam, Akiba, Ialkuth in hunc locum.* Chaldaicum Thargum Uzielidis hoc loco quoque habet: הדה ספרא דזכרונא בני אדם *hic est liber memoriæ gestorum à filiis hominum. Mor Isaac in Philosophia* sua *Syriaca* idem affirmat, ut *paulò* post videbitur. Huic adstipulatur traditio *Arabum*, ita *Abulhessan, Mahumed Abn Abdalla Elhassadi* in *Historia Saracenica*:

Thargum Chaldaicum Jonathan.

Mor Isaac in Philosophia sua Syriaca M. S.

ثم انزل الله عليه احدو عشن بن صحيفه
كان فيها صورة الاحرف وهو اول كتاب
انصاه الله وهو اول لغه فيه من الفرايض
والشرايع والسنن وتفسير الحروف والوعد
والوعيد واخبار الدنيا وكان الله تعلي قد
بين في ذلك اهل كال زمان وصورهم وسيرهم
مع ملن كهم وماجر ثون في الارض حتي
الما كول والمشروب قال فالما نظر ادم
غم الى ذلك كله عرف ما يكون في اولاده كا
بكا تسديدا رحمه لهم ثم امره الله
ان يكتبها بقليم وبحلود الاضان تسعه
وعسرين حرفا ۞

Id est, *Deindè tradidit ipsi* DEUS 21. *paginas suis exaratas, & incisas literis; fuit hic primus liber, & prima lingua conscriptus; continebat autem præcepta & traditiones in generationes secuturas; & interpretationem literarum, pacta, statuta, & promissiones, & historias mundi totius exhibebat, & repræsentavit* DEUS *Excelsus in hisce generationes hominum singulas, & figuras eorum, & directiones eorum cum Regibus eorum, cum omnibus, & singulis, quæ in terra gererentur usque ad cibos & potiones. Deinde cùm* Adam *vidisset in hisce ea, quæ filiis suis debebant accidere, flevit planctu magno. Tunc præcepit illi* DEUS, *ut scriberet ea calamo, & accepit, pelles ex pecoribus, & præparavit ipsas, usque dum fierent albæ & scripsit in eis 29 literis, &c.* Porrò ab *Adamo* literarum, scriptionisque inventum ad *Sethum* devolutum est, cujus libri etsi inter apocryphos numerentur, ingens tamen horum librorum fama per omnia Authorum monumenta volans, illum aliqua jussu patris scripta reipsa tradidisse verisimile est. Scripsisse autem illum libros septem, in *primo Panarii* recitat *Epiphanius*, atque à *Gnosticis Sethianis Archonticis* falsò suppositos esse probat; Occasionem autem hujus figmenti accepisse videntur ex eo, quòd, ut refert *Josephus lib.* 1. *Antiq.* filii *Seth* sideralem scientiam ad cœlestium rerum cognitionem excogitarunt; & cùm scirent, prædixisse *Adamum* duos universales rerum interitus; alterum incendio, alterum *Diluvio*; veriti, nè inventa sua priùs perirent, quàm pernoscerentur, excitatis duabus columnis, utrique sua inventa inscripserunt: ut si lateritiam *Diluvio* deleri contingeret, lapidea superstes hominibus discendi copiam faceret; & illa, quæ ex lapide fuerat extructa, per ignem pereunte, lateritia restaret. Has refert *Josephus*, suis adhuc temporibus in *Asia* extitisse. Author Operis imperfecti in Matthæum exponens illud: *Vidimus stellam ejus in* Oriente, meminit cujusdam Scripturæ *Seth de stella apparitura in Ortu* Messiæ, his verbis: *Audivi aliquos referentes de quadam Scriptura gentis cujusdam sitæ in ipso principio* Orientis *juxta* Oceanum, *apud quos ferebatur Scri-*

Quid continuerint libri *Adam* ex opinione *Arabum.*

Lib. 7. *Seth* attributi.

Josep. l. 1. Antiquit.

Filii *Seth* columnis committunt Sideralem scientiam.

Scriptura Seth *de Stella apparitura in Ortu* Messiæ.

Scriptura quædam inſcripta nomine Seth, de ſtella apparitura in Ortu *Meſſiæ, quæ per generationes ſtudioſorum hominum, patribus referentibus filiis ſuis, habebatur deducta.* *Caſſianus.* *Caſſianus* verò Collatione 8. cap. 21. introducit Serenum Abbatem Authorem antiquiſſimum, dicentem: *Scientiam omnium naturarum per ſucceſſiones generationum, ſemen* Seth *ex paterna uſque ab ipſo* Adamo *traditione ſuſcipiens, donec diviſum à ſacrilega propagine* Cham, *perduravit, quemadmodùm ſanctè præceperat, ita etiam vel ad utilitatem vitæ communis exercuit. Cùm verò fuiſſet impiæ generationi permiſtum, ad res prophanas & noxias, quæ piè didicerat, inſtinctu quodam dæmonum deriVavit, curioſaſque ex ea maleficiorum artes, atque præſtigias, magicaſque ſuperſtitiones audacter inſtituit, docens poſteros ſuos, ut ſacrâ illâ culturâ Divini nominis derelictâ, vel elementa hæc, vel ignem, vel aëreos dæmones venerarentur, & colerent. Hæc igitur curioſarum rerum notitia quomodò* Diluvio *non perierit, ac ſuperVenientibus ſeculis innotuerit, perſtringendum breViter puto. Quantum itaque antiquæ traditiones ferunt,* Cham *filius* Noë, *qui ſuperſtitionibus illis & ſacrilegis artibus infectus fuit, ſciens nullum ſe poſſe ſuper his librum in* Arcam *prorſùs inferre, in qua erat unà cum patre juſto, ac ſanctis fratribus ingreſſurus, ſceleſtas artes, ac profana commenta diverſorum metallorum laminis, quæ ſcilicet aquarum non corrumperentur injuriâ, & duriſſimis lapidibus inſculpſit, quæ* Diluvio *peracto, eâdem, quâ illa celaVerat, curioſitate perquirens, ſacrilegiorum, & perpetuæ nequitiæ ſeminarium tranſmiſit in poſteros. Hac itaque ratione illa opinio vulgi, quâ credunt, Angelos maleficia hominibus tradidiſſe, in veritate completa eſt.* Hæc ille. Huic congruunt, quæ *S. Auguſtinus lib.* 18. *de Civit. Dei*, & *Petrus Comeſtor* recitat de quatuordecim Columnis, ſeptem æreis, & totidem lateritiis, artium ſcientiarumque Canonibus inſignitis, à *Cham*, *Noë* filio erectis. *Epiphanius* in *Panario* ſuo mentionem quoque facit certi libri intitulati *Revelatio Adæ*; quandò Deus immiſit ſoporem in illum; & ut *Auguſtinus contra Fauſtum* meminit certi *Libri Genealogiæ filiorum Adæ*, uti & pœnitentiæ *Adam*, qui tamen à Papa *Gelaſio* ſunt declarati tanquam Apocryphi.

Cham impius res piè traditas ad uſum profanum convertit.

D. Auguſt. l. 18. *de Civit. Dei. Petrus Comeſtor.* 14. Columnæ à *Cham* erectæ, in quibus doctrinam traditam exhibuit.

Epiphan. in Pan. Liber intitulatus *Revelatio Adæ.*

Enoch verò ſcripſiſſe libros adeò probabile eſt, ut de eo dubitare, præſumptuoſum ac temerarium eſſe putem. Cùm & hujus mentionem faciat *S. Judas in Epiſtola* ſua *Canonica*, imò *S. Auguſtinus lib.* 15. *de Civit.* id palàm fateatur; verba ejus ſunt: *Scripſiſſe quidem nonnulla Divina* Enoch *illum ſeptimum ab* Adamo, *negare non poſſumus.* Et alibi: Henoch *ſeptimus ab* Adam *in* Canonica Apoſtoli Judæ *prophetaſſe prædicatur; cujus Scripta, ut apud* Judæos, *& apud nos in authoritate non eſſent, nimia fecit antiquitas, propter quam videbantur eſſe ſuſpecta, nè proferrentur falſa pro veris. Nam & proferuntur quædam, quæ ipſorum eſſe dicuntur ab eis, qui pro ſuo ſenſu paſſim quod volunt, credunt; ſed caſtitas Canonis, non recipit, non quòd eorum hominum, qui* Deo *placuerunt, reprobetur authoritas, ſed quòd iſta eſſe non credantur ipſorum.* Hæc S. Auguſtinus. *Tertullianus* in libro de habitu mulierum, occurrens iis, qui dicunt librum hunc, ſi ante *Diluvium* fuit ſcriptus, conſervari non potuiſſe. *Scio*, inquit, *Scripturam* Enoch, *quæ nunc Ordinem Angelis dedit, non recipi à quibuſdam; quia nec in armarium Judaicum admittitur. Opinor, non putaverunt illam ante cataclyſmum editam, poſt eum caſum orbis omnium rerum abolitorem ſalvam eſſe potuiſſe; ſi iſta ratio eſt, recordentur pronepotem ipſius* Enoch *fuiſſe ſuperſtitem cataclyſmo* Noë, *qui utique domeſtico nomine, & hæreditariâ traditione audierat, & meminerat, de proavi ſui penes* Deum *gratia, & de omnibus prædicatis ejus; cùm* Enoch *filio* Matuſalæ *nihil aliud mandaverit, quàm ut notitiam eorum poſteris ſuis traderet. Igitur ſine dubio potuit* Noë *in prædicationis delegatione ſucceſſiſſe, vel quia & aliàs non tacuiſſet, tam de* Dei *conſervatoris ſui diſpoſitione quàm de ipſa*

Quid *S. Auguſtinus* de Libris *Enoch* ſentiat.

Tertulliani de Libris *Enoch* judicium.

ipsa domus suæ gloria. Hoc si non tam expeditè haberet, illud quoque assertionem Scripturæ illius tueretur: proindè potuit abolefactam eam violentia cataclysmi, in spiritu rursùs reformare, quemadmodùm & Hierosolymis *Babylonicâ expugnatione deletis, omne Testamentum Judaicæ literaturæ per* Esdram *constat restauratum. Sed cùm* Enoch *eâdem scripturâ etiam de Domino prædicârit, à nobis quidem nihil omninò reticendum est, quod pertinet ad nos. Et legimus omnem Scripturam ædificationi habilem, divinitus inspirari, à* Judæis *posteà, jam videri rejectam, sicuti & cætera ferè quæ* Christum *sonant. Neque utique mirum hoc, si scripturas aliquas non receperunt de eo locutas, quem & ipsum corâm loquentem non erant recepturi. Ideò accidit, quòd* Enoch *apud* Judam Apostolum *testimonium possidet.* Ex quo quidem testimonio luculenter apparet, *Judæos* hosce non recipere ideò, quod nimis apertè de *Messia*, *Christo* videlicet, DEO & homine in carne venturo vaticinarentur, sicuti eandem ob causam *Rabbi Hakadosch* Sacrosanctam Triadem apertiùs confitentem rejiciunt. Visis igitur & recensitis libris, qui ante Cataclysmum scripti à primis Patribus memorantur, jam videndum quoque est, quod hi libri continuerint & de qua materia tractârint.

Cur Libros *Enoch Hebræi* non recipiant.

De *Libris Enoch*, *Origenes* & *Procopius*, eos continuisse ajunt multa vaticinia, videlicet de his, quæ eventura erant filiis ac nepotibus Patriarcharum, de futuris *Hebræorum* sceleribus & pœnis, de Mundi Salvatore ab eis occidendo, de eorundem eversione, captivitate, & dispersione inter gentes perpetua. *Annius in Commentariis super Berosum Apocryphum* ex *Josepho* scribit, in eodem *Enoch* volumine fuisse celebre vaticinium de geminis totius terræ cladibus, altera per inundationem, altera per incendium futuris. *Origenes* apud *Sixtum Senensem in* 28 *homil. lib. Num.* unà cum *Tertulliano* tradunt argumentum *Libri Enoch* fuisse præter prophetias, de numero & nominibus stellarum, & ipsarum secretis virtutibus, de descensu filiorum DEI ad filias hominum, de Gigantibus ex Angelorum coitu progenitis, de Extremo judicio DEI erga impios; de quo præsens testimonium prolatum est. Verùm hæc omnia fusiùs in *secundo Tomo Oedipi* & in 1. *lib. hujus Operis* aliquot ex *Libris Enoch Græca* & *Arabica fragmenta*, quæ mira continent, produximus.

Quid *Libri Enoch* continuerint.

Annius Pseudo-Berosus.

Origenes.

Porrò non desunt, qui ex illo *Geneseos loco*, ubi *Enos* filius *Seth* primus nomen DEI invocare cœpisse dicitur, apertè Scripturam nominis DEI tunc viguisse velint; textus enim Hebræus ita habet: אז הוחל לקרא בשם יהוה *Tunc cœpit invocare nomen* DEI *Tetragrammaton, sive quatuor literarum.* Aut ut in paraphrasi Chaldaica habetur:

Genes. 4. ult.

בכין שריאו בני אנשא לצלאה בשם דייי:

Tunc inceperunt filii hominum orare in nomine DEI *mysterioso.* Vel ut luculentiùs adhuc *paraphrasis Chaldaica Ionathan.*

בכין שריאו בני אנשא לצלאה ולכתבה
בשמא דיהוה.

Cui consentit alius *Codex Syriacus* in hunc locum:

ܗܝܕܝܢ ܫܪܝ ܒܢܝܢܐ ܕܐܢܫܐ ܠܡܨܠܐ ܘܠܡܟܬܒ ܒܫܡܐ ܕܝܗܘܕ.

Tunc cœperunt homines legere & scribere nomen DEI. Quasi *Enos* primus Divini cultus jecerit fundamenta, ritusque inceperit cœrimoniis colendi DEUM per signa externa, sive per imagines quasdam, aut characteres per quos Orationum devotio excitaretur; ac verisimile est, nomen illud ineffabile DEI beneficiorum Divinorum veluti mnemosynon quoddam à Sanctis Patriarchis portarum superliminaribus, aliisque locis sanctioribus fuisse inscriptum incisumvè, ut docet *citatus Codex*; Accedit hisce, quod *Iosephus lib.* 2. *Antiq. cap.* 11. mentionem fecit *Epistolæ cujusdam ab Alexandro Magno ad Aristotelem præceptorem suum scriptæ de sepulchro* Cainan *filii* Enos *in Civitate Persiaca invento*, cujus Epita-

Epitaphium literis Hebraicis ſcriptum fuiſſe de *Diluvio* futuro *Alexander* teſtatur ; Sed hæc uti prorſus Apocrypha, ita iis meritò reprobatis ad alia progrediamur. Atque ex hiſce adductis teſtimoniis ſat ſuperque patet, literarum ſcriptioniſque inventum ante communem orbis cataclyſmum in uſu fuiſſe, à primævis Patribus inventum, propagatumque. Cùm enim ab *Adamo* uſque ad *Diluvium* Mundus in immenſum amplificatus, & totus penè non ſecùs ac modo, *Orientis* anguſtiis tantam, tamque fœcundam humani generis propaginem minimè continentibus habitaretur, fieri certè non potuit, quin uti genus humanum, ita & artes vitæ humanæ neceſſarias maxime propagarent ; maximum prætereà commercium, ſine quo humana Societas conſervari minimè poſſet, vigeret ; hoc vero ſine literarum invento inſtitui haud quaquam poſſet, rationi prorſus conſentaneum eſt, credere, ante *Diluvium* nullibi tam neceſſarium inventum defuiſſe. Iterum cum potentium à ſæculo Virorum, Gigantumque ambitio magna ubique locorum incrementa ſumeret, veriſimile quoque eſt, ad laudem, nominis famam, divinitatemque apud poſteros adipiſcendam, geſta ſua, inventaque ſaxis & lapidibus, uti *paulò ante* ex *Joſepho* oſtendimus, incidiſſe. Imo *Camum* filium *Noëmi* centum circiter annos ante *Diluvium* natum, cum curioſiſſimus, & ſuprà quàm dici poteſt, nominis gloriam apud poſteros conſequendi cupidiſſimus eſset, normam & rationem, quam primævi iſti homines, cum in Politica vivendi ratione, tùm in artium reconditarum uſu tenerent, diligentiſſimè ſignatam, *Arcæque* illatam, ad alterius Mundi poſteros transfudiſſe, in *ſequentibus* oſtendetur. Patet igitur propoſitum.

Cham aviditſſimus Arcanorum explorator.

CAPUT VI.

De Libris & Scriptoribus primis poſt Diluvium.

LIteras, Scriptioniſque inventum ante *Diluvium* in uſu fuiſſe, ſatis ſuperque, ni fallor, in *præcedentibus* oſtenſum eſt, neque id aquis periiſſe, credibile eſt ; ſed per *Noëmum*, ejuſque filios utriuſque Mundi ſpectatores, ad poſteros propagatum, etiam poſt *Diluvium* uſque ad *Moſen* (quem multi neſcio quibus frivolis rationibus adducti, Scripturæ primum inventorem perperàm faciunt) nullo non tempore viguiſſe, cùm Sacræ, tùm profanæ eruditionis monumenta ſatis teſtantur. *S. Clemens in libro Recognitionum* apertè ait, *Cham* poſteris reliquiſſe libros ; cui adſtipulantur *Hebræi*, qui volunt, *Chamum* ſcientias, arteſque, quas ante *Diluvium* à *Kainitis* didicerat, libris commendaſſe, & in *Arca* conſervatos poſteris tradidiſſe :

S. Clemens.

Libri *Chami* poſt *Diluvium.*

Pardes in Sevioth.

אמרו כו"ל כי חם בן נוח למד חכמת השמים ומדעת הטבעת מבני קין וכתבם בלוחות הנחש והביאם אל אחורנות מבול :

Dicunt Rabbini *noſtri*, *quòd* Cham *filius* Noë *didicit artes*, *& ſcientias à filiis* Kain, *eaſque ſcripſit in tabulis æneis*, *tradiditque poſteris poſt* Diluvium. *Beroſus Apocryphus lib.* 5. docet : Anno quinto *Nini* literis & legibus *Germanos* formaſſe *Tuiſconem Gigantem*, *Sallam Samnites*, & *Celtiberos Tubalem.* Nonnullos quoque *Pſalmos Davidis*, diverſis ante *Moſen* Patriarchis adſcribunt, ita *centeſimum nonum* compoſitum à *Melchiſedech* volunt *Hebræi*, ab *Abrahamo* verò *Pſalmum octuageſimum octavum*. In *Libro Iob cap.* 8. *Baldad Suites* remittit *Iobum* ad generationem priſtinam & diligentem memoriæ

riæ Patrum inveſtigationem; ubi *Rabbi Meir* expreſsè ait, eum ad *Annales Patrum* remiſſum; quaſi diceret *Baldad Suites* ad *Iobum*:

תקרא ספרי ראשי אבות וזכרונות הקדמונים :

Conſule libros primorum Patrum, & memoriam ſive monumenta antiquorum. Moyſes quoque Num. 21. *Libri bellorum Domini* meminit his verbis:

על כן יאמר בספר מלחמות יהוה :

Undè dicitur in libro bellorum Domini. Ubi paraphraſtæ ita habent:

בספרא קרבין דעביד יהוה :

Ideò dicitur in libro bellorum, quæ fecit Dominus. Quod clariſſimum teſtimonium eſt librorum ante *Moſen* ſcriptorum.

Libri Apocryphi. Non ignoro quoque multos paſſim Apocryphos libros circumferri, cujusmodi ſunt, *Teſtamentum duodecim Patriarcharum*, uti & *Pœnitentia Adam*, apud *S. Auguſtinum contra Fauſtum. Revelatio Adæ*, *Librique Seth* à *S. Epiphanio* damnati, quos ad authoritatem perfidiæ ſuæ conciliandam *Sethiani hæretici* falsò ſuppoſuerunt, quibus, inquam, fidem haberi nolim, cùm quivis judicio pollens, neſcio quid adulterinum, & ſpurium ſub iis latere facilè deprehendere poſſit. Hinc tamen inferri quoque nolim, libros ante aut poſt *Diluvium* immediatè ſcriptos non fuiſſe, cum id conſtanti, ut dictum eſt, *Authorum vetuſtiſsimorum* traditioni repugnet. Verùm ut hanc rem ſolidiùs adſtruamus, jam alteram partem hujus materiæ aggrediamur, in qua nobis incumbit demonſtrare, à *profanis* quoque *Authoribus* libros ante ipſum *Moſen* exaratos, quod dùm facimus, primò quinam proprie fuerint celebres illi tot Authorum monumentis agitati; *Zoroaſter*, & *Mercurius Triſmegiſtus*, quid & quomodò ſcripſerint, videamus. A *Zoroaſtro* initium ducturi.

Zoroaſtres quis? *Arnobius* quatuor *Zoroaſtres* ponit, primum *Chaldæum*, alterum *Bactrianum*, tertium *Pamphylium*, qui & *Erus* dictus, quartum *Armenium Hoſtanis* filium, ut & *Clemens lib. 4. Recognitionum*. *Suidas* quintum *Perſomedum*, ſextum *Proconneſium*, de quo vide *Plinium*, *Lactantium lib. 2. cap. 14. Manaſſem in Politicis*. *Sixtus Senenſis* duos fuiſſe *Zoroaſtres* refert. Alterum ex *Diogene Laërtio Perſam* Magorum Principem, Magiæ verum inventorem; alterum *Bactrianorum* Regem, à *Nino* in bello victum, veræ Magiæ primum corruptorem, ita *Iuſtinus*. His tertium adjungit *Clemens Alexandrinus Zoroaſtrum Erum*, qui de ſeipſo hoc ſcriptum reliquit: *Conſcripſi* Zoroaſter Arimanius, *genere* Pamphylius, *qui in bello mortuus ad inferos deſcendi, & à Diis hæc didici.* Hunc *Erum Plato* refert *lib. 15. de Rep. cap. 12.* eo die, quo mortuus fuerat, ſupra pyram poſitum revixiſſe. Alii nullum *Zoroaſtrum* unquam fuiſſe volunt: ita *Goropius Becanus*; ſed hæc opinio cùm omnibus bonis *Authoribus* contraria ſit, meritò repudianda eſt. *Goropius Becanus.*

Porrò *Iuſtini* ille *Zoroaſter* magnam *Auctoribus* induxit perplexitatem: ſiquidem illum *Bactrianorum* Regem à *Nino* devictum, *Diodorus Siculus* non *Zoroaſtrem*, ſed *Oxyartem* appellat: ita in *manuſcriptis Iuſtini Codicibus* quoque ſe vidiſſe teſtatur *Ligerius* apud *Franciſcum Patricium in Zoroaſtro*. Nos relictâ hac *Authorum* altercatione, quis ille *Zoroaſtres* fuerit, tùm manifeſtabimus, ubi priùs de Etymologia nominis quædam præmiſerimus.

Etymon Zoroaſtris. *Zoroaſter* itaque nomen alii derivant à Ζῶον & ἄστρον, quaſi diceres, *vivens aſtrum*. Quidam, ut *Laërtius*, eum Chaldaica voce, ἀστροθύτην dici vult *Sacrificatorem aſtrorum*; ſed cum non videam, quomodò hæc vox Chaldaica eſſe poſſit, meritò ejus originem reprobandam judicavi. Nonnulli ex utraque lingua confuſum derivant, à *Chaldæo* quidem, צורא *tſura*, quod figuram, ſignum, imaginem interpretamur, & à Græca

ca voce ἀστὴρ, quod *ſidus* ſignificat; quaſi diceres, figura, imago, ſignum aſtrorum; alii ab aliis nominibus, & linguis falſò deductis derivarunt, de quibus vide *Goropium*. Nos dicimus Chaldaicum vocabulum eſſe, & derivari à verbo צורא, *Tſura*, vel צ"ר *Tſaiar*, quorum illud nomen, *figuram*, hoc verbum, *figurare* ſignificat, ex אש, & סתר, quod *ignem abſconditum* ſignificat, quaſi diceretur צירא סתר *Zairaſter*, formans idola ignis abſconditi, vel etiam צוראסתר *Tſuraſter*, id eſt, ſignum, figura, ſimulacrum rerum ſecretarum abſconditarumque, cui congruit etymon Perſicum ∴∴. Quæ omnia quàm aptè quadrent *Zoroaſtri*, in *ſequentibus* patefiet. Fuit igitur hoc nomen commune omnibus iis, qui abſtruſarum rerum ſcientiam ac magiam exercebant, & non ſecùs ac *Oſiris* omnibus iis, qui Religionem, & politicam vivendi rationem primis temporibus in *Ægypto* introduxerunt, excoluerunt-que, commune fuit, ut *poſteà* dicetur. Undè conſequenter, ſicuti plures *Oſirides*, *Saturni*, *Beli* (quæ cognomina fuerant eorum, qui præclarè & inſigniter de humano genere meruerunt) ita plures fuère *Zoroaſtres*, id eſt omnes ii, qui magicarum artium, aliarumque ſecretiorum ſcientiarum inventores, cultoreſque primis iis ſeculis fuerunt; ut *Beroſus Euſebianus*, & *Xenophon*, quisquis ille fuerit, in æquivocis ſuis apprimè demonſtrant, & nos fusè egimus de iis in *primo Tomo Oedipi cap. de Oſiride*, & *Iſide*. His igitur ita ſuppoſitis,

Vera *Zoroaſtris* derivatio ex Chaldaica lingua.

Zoroaſter Cham fuit, & cur ita dictus.

Dicimus primò, *Zoroaſtrem* illum famoſum Magiæ inventorem alium non fuiſſe, niſi *Cham* filium *Noë*; fuiſſe autem ei hoc nomen impoſitum, ob admiranda, quæ vi magicâ operabatur; quod nomen alii poſtmodum ſimile profeſſionis inſtitutum ſectantes tanquam magnificum, & quod, neſcio quid Divinum præſeferret, affectarunt; ſicuti in *Ægypto* occulta & abſtruſa revelantes ψονθομφανὴχ appellatos in *Prodromo* oſtendimus; uti & *Oſirides* quoque dicti ſunt, qui variis inventionibus rerum, religioniſque cultu homines ad meliorem vitam reduxerunt, obque id Divinos honores meriti ſunt.

Cham primus *Zoroaſter*.

Chamum igitur primum *Zoroaſtrem* fuiſſe ita probamus; *Cham* primò Chaldæus fuit natione, deindè primus poſt *Diluvium* Magiæ introductor; ut fusè alibi docuimus; Tertiò immediatè hic poſt *Diluvium* vixit, quo omnes *Authores Zoroaſtrem* vixiſſe volunt. Huic adſtipulatur Gregorius Turonenſis lib. 1. Hiſtor. Franc. *Primogenitus*, inquit, Chami *filius* Chus *fuit*, Cham *autem fuit totius artis Magicæ imbuente Diabolo*, & *primus Idololatriæ repertor, primuſque ſtatuam adorandam ſtatuit, ſtellas & ignem de cœlo labi magicis artibus, ei adſcribunt, vocatuſque eſt, cùm ad* Perſas *tranſiſſet*, Zoroaſter, *quod* Stellam viventem *interpretantur*, ſive ut nos derivamus, formans idolum ignis abſconditi, ſive ſignum, & figura rerum abſconditarum. Huic favet *D. Clemens lib.* 4. *Recognit.* Ignis enim cultum *Chamum Zoroaſtrem* primùm docuiſſe homines, *Agathias* author eſt, de quo nos pluribus *de Pyrolatria Ægyptiorum*. Boiſſardus in Apollonio Tyanæo, expreſſe hoc idem è variis *Authoribus* docet his verbis: *Audiverat* Nini *tempore* Zoroaſtrem Bactrianorum *Regem, multa de Magia docuiſſe, & ſcripſiſſe, quæ apud* Babylonios *ſervabantur. Is autem fuit* Cham *filius* Noë, *qui ante Cataclyſmum magicam artem didicerat, & poſteà exercuit, & alios docuit, ſtatimque à* Diluvio *patris ebrii Virilia contrectans, faſcino illum incantavit, nè poſſet impoſterùm gignere. Quidam* Zoroaſtrem *ſecundum fuiſſe volunt eum, qui in Sacris literis vocatur* Miſrim, *vel ejus filium* Chami *nepotem, qui artem Magicam mirabili efficacia exercuit. Aſtrorum enim peritiam noverat perfectiſſimè, & ex iis omnia humana, & inferiora corpora regi, & foveri cenſebat.*

Zoroaſter primus Magiæ, & Idololatriæ poſt *Diluvium* inventor.

Gregorius Turonenſis.

Clemens lib. 4. recognit.

Boiſſardus.

Chami impudentia.

Ex

Ex aſtris ſcintillas quaſdam carmine magico elicere ſtudens, à Dæmone ſuccenſus eſt, & interfectus; cùmque hac violenta morte à Dæmone ſublatus eſſet, nihilominus ejus diſcipuli illius diſciplinæ pertinaciter adhæſerunt, illumque Deorum amicum crediderunt, aſſerueruntque vehiculo fulminis in cœlum fuiſſe ſublatum; corpus illius in Aſſyria *conditum eſt; prædixerat enim* Aſſyriis, *tamdiù eos Orbi Terrarum cum ſummo imperio imperaturos, quamdiù ſuos cineres, & reliquias integras, & inviolatas conſervarent.* Quæ omnia congruunt iis quæ *Plinius, Suidas*, aliique de *Zoroaſtre* ſcripſerunt.

Verùm cùm de *Zoroaſtribus* maxima ſit concertatio, nec facilè ſeſe *Authores* ex tanta perplexitate evolvere poſſint. Nos cum *Latinis, Hebræis, Arabibus, Græciſque, Orientalium* comparantes *Authorum monumenta*, quid tandem de *Zoroaſtre* ſentiendum ſit, aut quiſnam fuerit primus ille Magiæ inventor, intimiùs ſcrutari conabimur. Et ex probatis quidem probabile eſt, primum *Zoroaſtrem Chamum* fuiſſe; reliquos autem vel ipſi Synchronos, vel ſaltem non remotos ab hujus ætate fuiſſe. Inter cæteros autem celebris admodum habetur *Zoroaſtres Perſomedes* ſapiens apud eos, qui in Aſtronomia, teſte *Suidâ* excelluit; Qui etiam primus nomen dedit iis Magis, qui civilia tractârunt; de quo *Authores* mira referunt, teſte *Plinio*; Eum eodem die, quo natus eſt, riſiſſe; eidemque cerebrum ita palpitaſſe, ut impoſitam pelleret manum, futuræ præſagio ſcientiæ; eundemque in deſerto, caſeo vixiſſe annos 20, ita temperatè, ut vetuſtatem non ſentiret. Obiiſſe autem cœleſti igne concrematum, ſicuti optaverat: ita *Suidas*: Ζωροάστρης Περτομήδης σοφὸς τοῖς ἐν τῇ ἀστρονομίᾳ ὃς ἐπρώτος ἤρξατο τῶν ἑαυτοῦ πολιτευομένων ὀνόματος τῶν μάγων, ἐγένετο περὶ τῶν τρωϊκῶν ἔτεσι φ΄: Etſi porrò *Suidas* hoc loco *Zoroaſtrum* ſub *Nino* Rege igne concrematum, diverſum à *Perſomede* videatur facere, examinatis tamen *Chronologorum monumentis* geſta reperi utriuſque prorſus eadem, etſi non in idem prorſus tempus videantur coincidere. Nam & *Epiphanius*, eum Aſtrologiæ, doctrinæ pravæ, & Magiæ inventorem *Nembrodi* Gigantis ætate fuiſſe aſſerit. Fuit enim *Ninus Nembrodi* Nepos, ex filio ejus *Belo* genitus. *Nembrod* autem fuit filius *Chus*, hic autem filius *Chami* fuit, qui etiam avus *Nembrod*, Atavus *Beli*. *Euſebius* affirmat eum iiſdem temporibus cum *Semirami*, & *Abrahamo* vixiſſe; *Semiramin* verò nemo ignorat, *Nini* fuiſſe uxorem; qui *Niniven* urbem condiderit anno à *Diluvio* 291: & ſequenti 292. dicitur, teſte *Joſepho*, *Abraham* natus: Conſonant itaque tempora. Undè luculenter patet *Eudoxi*, & *Ariſtotelis* error maximus; Quorum uterque, teſte *Plinio*, *Zoroaſtrem* 6000 annorum *Platonis* mortem præceſſiſſe, opinatur. Hoc autem prorſus erroneum, & *Chronicis Authorum* tàm *Sacrorum*, quàm *profanorum monumentis* rectà contrarium, ita oſtendo.

Zoroaſter Perſomedes qualis, & mira de nativitate ejus.

Dicimus itaque, verum illum, & primum *Zoroaſtrem* fuiſſe filium *Noëmi Chamum*, totius Magiæ, & Idololatriæ inventorem, qui illicitas artes, & ſcientias, quas ab improba *Kainitarum* propagine ante Cataclyſmum didicerat, poſt eum poſteris ſuis ſollicitè traditas docuit, ut in *præcedentibus*, *variis in locis* oſtenſum fuit. Cùm enim mira à *Mathuſala*, cum quo ante *Diluvium* pluribus convixerat annis, de patre ſuo *Enoch* tranſlato audiſſet, artes quoque improbas *Kainitarum* ſollicitè quæſiſſet, poſt *Diluvium* divinitatem raptumque ex hoc mundo affectans, eorum opera talia præſtitiſſe traditur, ut omnes eum tanquam Numen quoddam venerarentur. *Ægypto* igitur numeroſa ſobole repletâ, is relicto Regno

Cham primus *Zoroaſter.*

Chami Coloniæ quænam.

filio ſuo *Miſraim*, alias colonias quæſiturus in *Chaldæam*, *Perſiam*, *Mediam* ad *Aſſyriæ* populos ſe contulit, ubi Aſtrologiam, & Magicas artes profeſſus, iſtiusmodi nomen apud Indigenas meruit, ut ubique Numinis loco habitus paſſim *Zoroaſter*, hoc eſt, *ignis Arcani ſimulacrum* audiret. Apud *Perſas* quoque, & *Medos*, *Chaldeæ* contiguas gentes, ignis cultum docuit, qui & in hunc uſque diem permanſit. Hinc factum eſt, ut *Authores* duos *Zoroaſtres*, unum *Chaldæum*, alterum *Perſomedum* fuiſſe paſſim arbitrentur, perperàm tamen. Fuit enim unus *Cham*, qui primò nominis ſui famam magicis artibus, & Aſtrologicæ divinationis peritiâ, longè latéque diffundens, ſubſtitutoque in locum ſuum filio *Chus*, ipſe in vicinam *Perſidem*, novam propaginis ſuæ Coloniam introducturus migravit, ubi eam nominis gloriam variis ſuis præſtigiis apud populum adeptus eſt, ut mortuus inter Numina *Perſidis* relatus, Μυθρὸς, hoc eſt, *Candefactus Lapis*, *Zuraſter*; *Vivum Sidus*; *Sol*, *Ignis vivens*, Σοφὸς, *Magus*, id eſt, *Sapiens* vocaretur. Qui demùm prout *Perſis* prædixerat, cœleſti igne conſumptus in conſervationem Regni, cineres ſuos conſervari præcepit. In *Bactriam* quoque *Perſidi* contiguam, coloniam introduxiſſe, verifimile eſt, undè poſteà fama dimanârit *Bactrianorum* Regis Magiæ Inventoris; quamvis faciliùs crediderim, hunc Regem *Bactrianorum* non *Zoroaſtrem*, ſed *Oxyartem*, uti *ſuprà* quoque ex *Iuſtini Codice* oſtenſum eſt, appellatum, unumque è poſteris ejus Magià clarum fuiſſe, qui primi *Zoroaſtris* nomine, & artibus aſſumptis, Thaumaturgi famam apud poſteros mereri affectârit.

Chaldæus & *Perſomedus Zoroaſter* unus & idem *Cham* fuit.

Μυθρὸς, quid apud *Perſas*.

Secundus *Zoroaſter* *Chus* filius *Cham*.

Secundus *Zoroaſter* fuit *Chus*, filius *Cham Chaldæus*, diſciplinarum paternarum ſedulus inveſtigator, imò hæres, qui & nomen patris ſui *Cham* affectans, artes dæmonis ope partas docuit filium ſuum *Nembrod* Gigantem, qui primus

Nembrod filius *Chus*,

ope earum Regnum *Babyloniæ* invaſiſſe fertur, à quo, & per quem traduce manu propagatæ noxiæ diſciplinæ, totam *Aſſyriam* ſenſim replevêre; *Chus* autem *Zoroaſtrem* fuiſſe dictum, *ſuprà* ex *Gregorio Turonenſi* probatum eſt; *Nembrodum* autem Magum, & Idololatram fuiſſe, *paulò poſt* probabitur. Hinc poſtmodùm omnes ii, qui magicâ arte admiranda patrarent, *Zoroaſtres* ſunt vocati. Quod, ut *ſupra* diximus, idem ſonat in lingua Chaldaica (quæ toti paſſim *Aſſyriæ*, ejuſque partibus *Chaldææ*, *Mediæ*, *Perſiæ*, viciniſque Regionibus vernacula erat) ac *figura ignis arcani*, ſive *ſignum abſconditum*; quod nomen, ut erat grande, & magnificum, ita non niſi rerum ſecretiſſimarum, ſive licitarum, ſive illicitarum inventoribus indebatur, nomenque ſolis in *Chaldæa* competebat Magis, non ſecùs ac in *Ægypto* Ψονθομφανὴχ, nomen de humano genere optimè, uti *ſupra* diximus, meritis competebat viris, arcanorum Revelatoribus. Porrò in hac Magica arte præſtantes *Ninum* filium *Nembrod*, *Sarug*, *Nachor*, imò *Thare* patrem *Abrahami* fuiſſe, omnes ferè *Rabbini* docent, qui ignis cultum, quem *Cham* pater eorum inſtituerat, unà cum Magia, & Aſtrologia tradita, inſigniter promoverunt; Undè & Urbem ignis cultui deputatam, *Ur*, id eſt, ab igne dictam, omnes ferè *Interpretes* ſentiunt; *Abrahamum* quoque juſſu DEI de *Ur Chaldæorum* eductum, ne impiis ſceleratiſſimorum hominum ſacrificiis pollueretur, præter *S. Hieronymum*, plerique alii *in hunc locum commentatores* aſſerunt. Verum cum hujusmodi cultus nullibi ſcitius, quàm à *Rabbinis* deſcribatur, ad eos Lectorem remitto.

propagator Idololatriæ.

Pſontomphanechi quales apud *Ægyptios*.

R. Becchai in 8. *Gen.*

R. Becchai quoque eum hoc loco impium, & Idolis deditum dicit, ideoque in voce, נמרד, *Num*, inverſum eſſe, de quo varia *Rabbinorum* contentio eſt. Vide quæ de hoc fuſius ſcribunt *Baal Haturim in Mickra Haggedolah in locum Joſue*, *c. ult.*

Baal Haturim.

R. Manahem. *c. ult. R. Manahem hoc loco in fine Peraſchath. Tractatus Sopherim. Iochai in Librum Zohar*, aliique.

Ex quo tertiò patet, ignis cultum in *Babylone*, *Meſopotamia*, *Perſide*, inſtitutum, à nemine, niſi à *Cham*, *Zoroaſtro* illo famoſiſſimo, & totius Idololatricæ ſuperſtitionis inventore, & propagatore originem habuiſſe, quem ſuperſtitem fuiſſe hoc tempore, *in præcedentibus* oſtendimus, quemque à *Nino* demum interfectum *profanæ* tradunt *hiſtoriæ*; Nonnulli cœleſti igne tactum periiſſe volunt. Quicquid ſit, cum hoc eodem tempore *Chus*, alter *Zoroaſter*, atque in Arte Magica ſingularis viveret, facile unius geſta cum alterius, à Scriptoribus confundi potuerunt: Sufficit igitur, nos hîc oſtendiſſe, *Zoroaſtros* omnes *Chaldæos*, & ex familia *Chami* deſcendentes fuiſſe. Quòd verò quidam *Zoroaſtrem* ex familia *Semi* deducant, iis non facile aſsenſerim; cum *Zoroaſtres* omnes caſtæ iſtius, ac Divinæ Religionis, quam *Semi* filii omni ſtudio propagare ſolebant, corruptores fuerint, & exſtirpatores.

Libri *Chami*, ſive *Zoroaſtris.* Dico igitur fieri non potuiſſe, ut *Cham* peritiſſimus Aſtrologiæ, ac univerſæ Naturæ conſultus, ad inſtantiam ſuorum filiorum *Chus* & *Miſraim* chariſſimorum pignorum non aliqua ſcripſerit; cùm ut per regulas, & præcepta in Magica arte operandi, labili filiorum memoriæ, tot in primæ vi Mundi rebus addiſcendis occupatæ conſuleret; tùm ut ad nominis ſui famam, & immortalitatem, cujus avidiſſimus erat, conſequendam, poſteros in admirationem raperet eorum, quæ in primo ante *Diluvium* ævo, haud dubiè à primis Patribus miranda fieri viderat, didiceratque. *Suidas* hiſce conſentit, imò de quibus ſcripſerit, his verbis refert: Ζοροάστρης Περσομήδης σοφὸς ὃς καὶ ἐν τῇ ἀστρονομίᾳ, ὃς καὶ πρῶτος ἤρξατο τὸ παρ' αὐτοῖς πολυθρυλλούμενον ὄνομα τῶν Μάγων, φέρεταί τε αὐτοῦ καὶ φυσιολογίας βιβλία δ'. καὶ λίθων τιμίων ἐν καὶ ἀστρολογικὰ ἀποτελεσματικὰ βιβλία έ. Zoroaſtres Perſomedes *cæteros Aſtronomos ſapientiâ ſuperans, qui etiam primus fuit Author Magorum nominis apud ipſos recepti. Circumferuntur autem ejus libri quatuor de Natura, de Lapidibus pretioſis, unus; prædictionum ex inſpectione ſtellarum libri quinque.* Neque intereſt, quod *Suidas* eum vocet *Perſomedum*, quem nos paſſim *Chaldæum* diximus. Siquidem *Perſomedus*, & *Chaldæus* unus & idem eſt, ut *in præcedentibus* diximus, neque etiam tunc temporis lingua Perſica à Chaldæa diſtincta uſurpabatur; ſed Regiones tantum erant nomine diſtinctæ, *Perſia* quidem dicta ob equorum in ea provenientium præſtantiam; *Chaldæa* autem, ſive Regio *Chaſdim* à primo Duce *Chus*, quaſi diceres *Chuſdim*, quæ unà cum *Meſopotamia*, *Media*, ſub uno nomine *Aſſyriæ* comprehendebantur, uti ex *Chorographia noſtra primo Tomo Oedipi* propoſita patebit. Linguâ igitur eum Chaldæâ maternâ, quæ toti paſſim *Aſſyriæ* vulgaris erat & vernacula, quæcunque ſcripſit, exaraſſe certum eſt. Conſentitque meis rationibus Picus Mirandulanus in Epiſtola quadam ad Marſilium Ficinum datâ, in qua ſe Chaldaicos quoſdam libros adeptum gloriatur. Verba ſubjungo: *Chaldaici*, inquit, *hi libri ſunt, ſi libri ſunt, & non theſauri. Audi inſcriptiones: Patris* Ezræ, Zoroaſtris, & Melchiar Magorum Oracula. *In quibus, & illa quoque, quæ apud* Græcos *mendoſa, & mutila circumferuntur, leguntur integra, & abſoluta. Tum eſt in illa*, Chaldæorum *Sapientum brevis quidem, & ſalebroſa, ſed plena myſteriis interpretatio. Eſt itidem & libellus* de Dogmatis *Chaldaicæ Theologiæ*, *tàm* Perſarum, Græcorum, & Chaldæorum *in illam divina, & locupletiſsima enarratio.* Scripſiſſe quoque, *Plinio* teſte, de Agricultura fertur. *Hermippus* ille, quem ſæpè *Athenæus* citat, eum inter alia vicies centena millia verſuum (qui tamen manifeſtus error eſt, quem

Suidas.

alibi refutamus) ſcripſiſſe tradit. *Æthiopici Authores*, hujus quoque dùm mentionem faciunt, *Libros ejus de Magia, & Dæmonibus* citant, quos *alibi* allegamus.

Gelaldin Arabs in Hiſtoria ſua *de Viris Illuſtribus*, ſæpè meminit libri *Zoroaſtri de Somniis*, eorumque interpretatione. *Armeni* quoque hujus famoſiſſimi Magi *in ſuis Hiſtoriis* mentionem faciunt. Tempus me deficeret, ſi ſingula, quæ de hoc ſcripſerunt, aut ejus libros citaverunt Authores, hìc adducenda forent.

Porrò, cùm, ut *in præcedentibus* dictum eſt, Libri *Zoroaſtris* Chaldaicâ Linguâ ſcripti ſint, non immeritò hoc loco quæri poteſt; à quonam poſtmodum Græci facti fuerint? Certè inter alios antiquiores Scriptores *Beroſum* horum uti indefeſſum ſcrutatorem, ita & accuratum eorundem Interpretem egiſſe reperio, cui & *Joſephus* adſtipulari videtur. Quis porrò fuerit hic *Beroſus*, & qui in *Chaldæorum* Arcana penetraverit, idem *Joſephus* tradit his verbis contra *Apionem*: Λέξω δὲ νῦν ἤδη τὰ παρὰ Χαλδαίας ἀναγεγραμμένα, καὶ ἱστορούμενα περὶ ἡμῶν, ὑπερέχει πολλὴν ὁμολογίαν καὶ περὶ τῶν ἄλλων τοῖς ἡμετέροις γράμμασι· μάρτυς δὲ τούτων Βηρωσσὸς, ἀνὴρ Χαλδαῖος μὲν τὸ γένος, γνώριμος δὲ περὶ τῶν Χαλδαίων φιλοσοφουμένοις αὐτὸς εἰς τοὺς ἕλληνας ἐξήνεγκε τὰς συγγραφάς. Τοῦτος τοινῦν ὁ Βερωσσὸς ταῖς ἀρχαιοτάταις ἀπακολουθῶν ἀναγραφαῖς, περὶ δὲ τοῦ γενομένου κατακλυσμοῦ, καὶ τῆς ἐν αὐτῷ φθορᾶς τῶν ἀνθρώπων, καθάπερ Μωυσῆς οὕτως ἱστόρηκεν, καὶ περὶ τῆς λάρνακος ἐν ᾗ Νῶχος ὁ τοῦ γένους ὑμῶν ἀρχηγὸς διεσώθη· προσενεχθήσης αὐτῆς τῶν ἀκρωρείαις τῶν Ἀρμενίων ὀρῶν. εἶτα τοὺς ἀπὸ Νῶχα καταλέγων καὶ τοὺς χρόνους αὐτοῖς προστιθείς. *Nunc itaque dicenda ſunt ea, quæ apud* Chaldæos *noſcuntur eſſe conſcripta, & de nobis in* Hiſtoria *ſunt relata, quæ multam habent concordiam cum noſtris voluminibus etiam de aliis rebus. Teſtis autem horum eſt* Beroſus, *Vir genere quidem* Chaldæus, *notus autem eis, qui doctrinæ eruditionique congaudent, quoniam de Aſtronomia, & Chaldæorum Philoſophia ipſe Græcas conſcriptiones edidit. Igitur* Beroſus *antiquiſſimas ſecutus hiſtorias de facto* Diluvio, *& hominum in ea corruptione, ſicuti* Moyſes, *ita conſcripſit; ſimul & de* Arca, *in qua generis noſtri Princeps ſervatus eſt, devectâ ſcilicet eâ in ſummitatem montium* Armeniorum; *deinde ſcribens eos, qui ex* Noë *progeniti ſunt, tempus eorum adjicit.* Et paulo poſt: *Ipſam verò* Chaldæorum *conſcriptionem fide dignam exiſtimandam eſſe, quandò cum Archivis* Phœnicum *concordare videntur, quæ ex* Beroſo *conſcripta ſunt.* Meminit *Gorionides, aliique Rabbini in Libris Milchamoth Adonai* hujus *Beroſi.* Inter cæteros autem *Liber Halichoth Olam*, in quibus paſſim allegantur:

Beroſus, quo tempore vixerit, & quid ſcripſerit.

Gorionides.

בר הושיע בספר זכרונות כסדיים.

Bar Hoſea in libris hiſtoriarum Chaldæorum.

Arabes quoque eum vocant براسا *Baraſa*; ita *Abenephi*, quem *alibi* citavimus. Fuiſse autem *Beroſum Chaldæum*, ipſum nomen oſtendit; *Bar* enim Chaldaicè idem ſignificat, ac filium הושע *Hoſea* autem nomen Patris ejus eſt, quaſi diceres *Barhoſea*, filius *Hoſeæ*, ſicuti *Abenſina Arabes* vocant filium *Sina*; Fuit autem Sacerdos, quia (teſte *Diodoro lib.* 3.) eundem gradum in ſua Republica tenent *Chaldæi*, quem Sacerdotes in *Ægypto*; fuit etiam Scriba publicus, ſive Notarius, quia penes ſolos Sacerdotes erat publica fides Annalium, temporum, geſtorum Regum, ut *Metaſthenes in Libro de Judiciis temporum*; hunc ſolum *Metaſthene* teſte, *Perſæ* in Monarchiæ *Aſſyriorum* temporibus ſequuti ſunt. Floruit autem multò ante *Alexandrum Magnum*, quod inde conſtat, quòd *Metaſthenes Perſa* Sacerdos, qui frequentem facit *Beroſi*

Etymon Beroſi.

Metaſthenes Perſa.

Quo tempore floruerit Beroſus.

Berosi in suis libris mentionem, sub ipsum initium Regni *Græcorum* floruerit, quique, *Plinio* teste, apud *Athenienses* disciplinas Chaldaicas Olymp. 46. professus, statuam aureâ linguâ in Gymnasio publico constitutam, ob insignem rerum, historiarumque antiquissimarum peritiam meruit, *Græcosque* proindè æternum literarum usum credere coëgit: Ab hoc, ni fallor, sua habuit *Julianus* Chaldæus Philosophus dictus *Theurgus*; de quo ita Suidas: Ιȣλιανὸς Χαλδαῖος φιλόσοφος πατὴρ τȣ̃ κληθέντος θεȣργȣ̃ Ιȣλιανȣ̃ ἔγραψε περὶ δαιμόνων βιβλία δ', ἀνθρώπων ἢ ἐστὶ φυλακτήριον πρὸς ἕκαστον μόριον, ὁποῖα τὰ τελεσιȣργικὰ Χαλδαϊκά. *Scripsit de Dæmonibus libros quatuor, sunt autem ad custodiam cujuscunque hominum membri, qualia sunt* Chaldaica *illa Sacra, quæ* Telesiurgica *vocantur*. Cujus & filius quædam *Theurgica* versibus scripsisse fertur, videlicet, initiatoria & oracula, & alia quæcunque hujus Scientiæ arcana, quæ *Suidas* vocat λόγια θεȣργικὰ, ex quibus *Proclum* sua quæque sumpsisse ipsemet fatetur, dùm ejus λόγια adducta explicat, ut suo tempore videbitur. *Librum* quoque *de zonis*, quæ quid fuerint, suo loco in *Theologia Chaldaica* declaratur. Adducuntur etiam à *Porphyrio Symbolus*, & *Pallas* quidam, qui res Magorum Græcè conscripserunt. Porrò *Chaldæorum* libros in Arabicam Linguam conversos, Author est Averroës:

Julianus Chaldæus Philosophus.

وفلسفة بزمان كلديون هى الكمالة من
فلسفة التي بزمات ارسطلس ✿

Philosophiam apud Chaldæos *perfectiorem fuisse, eâ quæ apud* Græcos *tempore* Aristotelis. Sed hæc omnia Oracula, magicaque scripta aliundè originem non habuerunt, nisi à *Zoroastro* è *Chaldæo* in *Græcum*, vel à *Beroso*, vel *Juliano*, aut quovis alio traducta. Non nescio *Berosum* ab *Annio Viterbiensi* prolatum supposititium partum, & nullius apud Eruditos auctoritatis esse; Unde quandocunque de *Beroso* loquimur, de vero illo *Beroso*, non de *Anniano* nos loqui hoc loco protestamur. Certe hi libri Zoroastræi (teste *Clemente*) in tanta fuêre veneratione, ut eos *Christianos*, qui *Prodici* hæresin sequerentur, gloriari solitos, ejus se arcanos Libros possidere referat. Et *Porphyrius in Plotini Vita* narrat, *Christianos* multos ex antiqua Philosophia profectos, *Adelphii* & *Acylini* fuisse sectatores, eosque *Alexandri Lybici*, *Philocomi*, *Demostrati Lydi*, plurimos libros circumtulisse, & Revelationes quasdam *Zoroastris*, *Zostriani*, *Nicothei*, *Allogenis*, *Mesi*, aliorumque hujusmodi palàm ostendentes, multos decipientes, & ipsi ante decepti. Qui assererent *Platonem* intelligibilis essentiæ profundum minime penetrasse, eaque de causa *Plotinum* multas in ea argumentationes intulisse, atque contra eos *Librum* scripsisse, qui *contra Gnosticos* est. *Amelium* quoque Auditorem ejus libros quadraginta composuisse contra librum Zostriani, ipsumque *Porphyrium* multis argumentis ostendisse, Librum *Zoroastri* ab illis inscriptum adulterinum, novumque esse, & ab illis confictum, qui struebant hæresin, ut eorum institutiones esse *Zoroastris* Veteris crederentur. Ex quo loco apparet manifeste, in tam magna *Zoroastrùm* fuisse æstimatione, ut multi, vel rationibus, vel authoritate, quâ ejus esse crederentur, *Platonis* dogmata Theologica posse convelli, & novam in Theologia Christiana hæresin, vel constituere, vel constitutam confirmare se posse, confiderent. Dubium igitur nullum est, de Zoroastræorum monumentorum veritate, cum multis ante *Christum* annis, à diversis Authoribus, *in præcedentibus* citatis non infrequens fiat mentio. Ex quorum officina postmodùm innumera alia monumenta prodierunt: Hujus gentis videntur esse *Syriani Oracula*, quem *Suidas* decem libros in λόγια, hoc est, in *Zoroastris Oracula* scripsisse refert; *Juliani*

Clemens in Libris Recognitionum.

Porphyrius in vita Plotini.

Magna authoritas librorum *Zoroastris* apud veteres.

Syrianus in Zoroastris Oracula.

Juliani quoque Chaldæi Philosophi, in quem 28 libris commentatum *Iamblichum* ejus Auditorem Damascius bis recitat, sub titulo perfectissimæ Theologiæ Chaldaicæ his verbis: ὡς ἐν τοῖς Χαλδαϊκοῖς ὁμολογέμφῳ ὁ Ἰάμβλιχος. *Sicuti in Chaldaicis fatetur* Iamblichus. Hujus *Zoroastris Oracula* fusis Commentariis prosecuti sunt *Psellus* & *Plethon*, qui penes nos sunt, & quos haud infrequenter citamus, ab *Opsopæo* Parisiis primùm editos anno 1608. Verùm hæc de *Zoroastre*, ejusque Origine, gestis, libris scriptis sufficiant. Nunc ad *Trismegistum* declarandum nos conferamus.

Damascius. Iamblichus in eadem.

CAPUT VII.

De Mercurio Trismegisto, *ejusque libris.*

Varii *Mercurii.*

MErcurios Antiquitas tres numeravit. Primus *Cœli* & *Himeræ*, hoc est DEI filius habitus est. Secundus, *Liberi Patris* & *Proserpinæ*. Tertius, *Iovis* & *Majæ*, quibus alii addunt quartum, *Iove* & *Cyllene* genitum. Quintus citatur à *Cotto* Pontifice, ut est apud *Ciceronem*; & hunc dicit *Argum* occidisse; Undè & Ἀργοφόντης dicitur, propter cujus cædem *Iovis* jussu factam, ut ab *Argi Actæonis* filii custodia, *Io Inachi* filiam in vaccam mutatam liberaret, relictâ *Græciâ* cum *Io* fugere coactus est. Hanc fabulosam narrationem Macrobius interpretatur. *Agrum*, inquit, *esse Stellarum fixarum Orbem*, Mercurium Solem, *cujus ortu interimatur* Argos, *id est, luce sua intensa evanescant reliquæ stellæ. Mercurius* igitur Astronomiæ famâ ubique conspicuus in *Ægyptum* veniens ab omnibus honorificè propter eruditionem, literarumque cognitionem, & politicæ peritiam, exceptus est; Leges enim dedisse *Ægyptiis*, & modum vitæ tranquillæ, & ad conservationem Societatis, vitæque humanæ accommodatæ præscripsisse; ritus item Sacrorum literis Ægyptiacis mandâsse, Sacerdotum Collegia instituisse, quorum singuli peculiaribus cærimoniis DEOS patrios colerent, iisque pro anni temporibus Sacrificia facerent. Atque ita *Græcorum* nobis referunt monumenta, apud *Ciceronem*, *Clementem*, *Arnobium* aliosque: *Sanchoniaton Berythius*, qui paulò post *Moysen* vixit, *Phœnicumque historiam* scripsit, ut est apud *Diodorum*, eum qui apud *Phœnices Thauthus* diceretur, apud *Ægyptios Thoth* vocatum fuisse tradit; præterea eundem *Saturni* scribam fuisse, atque inter DEOS relatum, literas invenisse, multa circa *Deorum* honores, Sacra, Astrologiam, Musicam, & naturam primùm observasse; palæstram, Choræam, & Lyram reperisse, atque ob eloquentiam, quam docuit, à *Græcis* Ἑρμῆ, id est, *Interpretem* dictum. An verò *Hermes* ille, qui, ut *Diodorus* ait, *Osiridi* & *Isidi* à consiliis fuit, is idem sit, qui *Argum* occiderit, etsi nullo antiquitatis, vel indicio, vel testimonio affirmare, aut negare possimus; Si tamen *Diodoro*, aliisque fides habenda est, dicerem *Orpheum* primò, deindè alios *Græcos*, quæ *Ægyptiorum* erant, (quod & *Strabo l.* 17. fatetur) ad suos transtulisse, ac proinde literarum inventionem non *Mercurio Argi* occisori, sed *Theutho Ægyptio* cum *Platone* sentio tribuendam, ut in sequentibus fusè demonstrabimus. An autem *Theutus* hic, seu *Hermes* inventor literarum idem fuerit cum *Mercurio Trismegisto*, de quo disputamus, in dubium vocari potest. Certè *Mercurium* hunc *Osiridis* & *Isidis* temporibus fuisse, *Diodorus* ostendit hac inscriptione, *Isidis* sepulchro incisa.

Mercurius Ἀργοφόντης, quis?

Mercurius Legillator & Literarum inventor.

Sanchoniaton Berythius vetustissimus Scriptor.

Thautus quis?

Hermes, sive *Thautus.*

An *Thautus*, & *Trismegistus* idem sit.

Ἐγὼ

Εγὼ εἰμὶ ἡ βασίλισσα πάσης χώρας, ἡ παιδευθεῖσα ἀπὸ Ερμοῦ. *Ego* Isis *sum Regina totius Regionis, edocta ab* Hermete. Et in *libro Sacro Hermetis*, ubi colloquium est inter *Isidem*, & *Horum* filium, multa fit de *Hermete* mentio; ubi eum sæpè appellat Mentem, fingitque aliquandò DEUM, universi Principem cum *Hermete* loquentem, eumque *animæ suæ animam* vocantem, atque ipsi hominum formationem assignantem.

Βουλῆς δ' ὁ πατὴρ πάντων καὶ καθηγητὴς ὁ Τρισμέγιστος Ερμῆς. *Consilii pater omnium, & Magister* Trismegistus Hermes. Ex quo luce clariùs videri posset, eum *Hermetem*, qui à consiliis *Isidi* fuerat, eundem fuisse *Trismegistum*; cùm verò ipse *Trismegistus* suis *in Dialogis* fateatur, alium fuisse ante se hujus nominis, certè unum & eundem dicere nequimus. Sed ut veritas per partes innotescat; quid *Hebræi*, *Chaldæi*, *Syri*, *Arabes*, *Ægyptii*, de primo & secundo *Hermete* senserint, jam tandem aperiamus.

Est *Vetus* quidam *Commentarius* hîc *Romæ* in *Collegio Neophytorum*, cui nomen, בית מלכיצדק, *Domus Melchisedech*; qui, ubi tractat de vita, moribus & origine *Melchisedech* Regis *Salem*, mentionem quoque frequentem *Hermetis* nostri facit, quem & *Idaris* vel *Adaris* vocatum, multiplicem fuisse vult: ita ut primum *Hermetem* sive *Adris* dicat *Henochum*, filium *Iared*, literarum, rerumque omnium ad humanam vitam conservandam necessariarum fuisse inventorem: Justitiæ & pietatis cultorem eximium; veræ in DEUM fidei, cultusque Divini primum Assertorem, qui ob virtutes, & DEO *Opt. Max.* beneplacita opera ante commune mortalium conditioni præfinitum tempus raptus ambulaverit cum DEO, perpetuâ admirandorum operum ab ipso in terris gestorum relictâ memoriâ, ita ut qui ex posteris *Noë* mira viderentur facere, *Adris* dicerentur. Verum verba ipsa allego:

Henoch Adaris vocatus ab Hebræis, ab Arabibus Idris.

ויש לחנוך שם אדריש ויהי אדריש אחר אחרו שמו בלעץ הכמים והוא חיה רישון שהקים המד רושות והוא מוצא האותיות הלימדות הוא מוסר לאנשים התיכות ומצות להיות בטוב והעברות האלהות לפיכך לקת אותי אלהים ויתהלך את האלהים בגן עדן ואחלו כל מיבקי בחכמת האלהות הנא נקרא בשם אדריש:

Idest, *Fuit autem* Henoch *nomen* Adris, *& post eum alius* Adris, *cui nomen in lingua barbara* Hermes, *quoniam is primus constituit Scholas, in quibus Scientias à Protoplasto, ejusque filio* Seth *sibi traditas docuit; ipse inventor literarum, & Mathematicarum artium, is tradidit leges, & benè vivendi disciplinam, cultumque Divinum, ideò abstulit eum Dominus, & ambulavit cum* DEO *in horto* Eden; *hinc factum est, ut omnes, qui scientiis, & secretiorum artium notitiâ ex posterioribus in Mundo clarerent,* Adris, *hoc est, rerum occultarum Investigatores dicerentur.* Putat autem talem *Hermetem* fuisse *Melchisedechum* ex *Chananæorum* genere oriundum, qui ob summam sapientiam, & rerum Divinarum notitiam publicus sit factus Divinæ Legis instructor, Sacrorumque Præsul. Verba subjungo:

והיה מן אדרשין אחד מלכיצדק מבית כנען מלך שלם והו הכהן גדול ומשמש אל אילאה:

Et unus ex hujusmodi Adrisin *fuit* Melchisedech, *Rex* Salem *ex domo* Chanaan, *erat enim Sacerdos* DEI *excelsi, & juxta* Thargum Babylonicum, *Minister coram Domino* DEO *excelso.* Vel ut hoc loco pulchrè habet Syriacum exemplar:

ܘܗܘ ܒܘܡܪܐ ܗܘܐ ܕܐܠܗܐ ܡܪܝܡܐ

Et fuit religiosus Sacerdos DEI *excelsi.* Atque huc usque memoratus *Commentarius*; Quæ omnia conveniunt *Arabum* traditionibus; Nam & hi primum *Hermetem Henoch* fuisse

volunt, quem & *Idris* vocant. Clariſſimè autem præ omnibus aliis, *Alkandi* apud *Gelaldinum* Author Arabs, capite de Sapientibus Ægypti:

Alkandi apud *Gelaldinum. M. S.*

في زمان ابوهيم كان بمصر هرميس وهو
ادريس الثنية عم رهو مثلث لانه نبي
وملك و حكيم وهو الذي صب الرصاص
ذهبا خالصا وكان فيها ولد من العلوم
صنعة الكيميا والنجوم والسحر وعلم
الروحنيين والطلسمات البرايين والسرار
الطبيعة ☆

Tempore Abrahæ *fuit in* Ægypto Hermes *ipſe* Idris *ſecundus*, & *ipſe* Triſmegiſtus, *quia Propheta, & Rex, & Sapiens, ſeu Philoſophus, & is qui docuit Scientiam metallorum, Alchimiam practicam, & Aſtrologiam, Magiam, Scientiam Spirituum, & Apoteleſmaticam, ſive Amuletariam, & Secreta Naturæ, ex quo deindè* Pythagoras, Empedocles, Archilaus *Sacerdos*, Socrates *Orator*, & Plato *Philoſophus*, & *Politicus*, & Ariſtoteles *Metaphyſicus*, *reliqui denique Aſtrologi ſua deſumpſerunt.* Similia hiſce profert *Salamas Arabs* libro, quem *Hortum mirabilium* vocat, quem *alibi* fusè citavimus. *Henoch* itaque primus *Adris* fuit dictus; primus verò poſt *Diluvium Hermes*, ſive ſecundus ab *Henoch*, qui de DEO multa ſapienter pronunciavit. *Mor Iſaac in Philoſophia* ſua *Syriaca M.S.* quæ penes me eſt, facit *Hermetem*, quem *Jovanithun* vocat, totius Aſtronomiæ Authorem, originemque ejus deſcribit.

His igitur ita ritè præmiſſis, dico primò, ab *Enocho* ante *Diluvium*, omnem Sapientiam *Ægyptiorum* principium habuiſſe, erat enim is, qui præ omnibus aliis ante *Diluvium* à Protoplaſto ipſo inſtructus, veram rerum Divinarum notitiam hauſerat, Poſteriſque ſuis tradiderat, tantique fuiſſe non ſolùm ob admirabilem Sapientiam, rerumque humano generi neceſſariarum inventionem, ſed etiam ob impenetrabilem ex hoc mundo raptum nominis, ut multi ex poſteris eum tanquam Numen quoddam colendum proponerent. Undè veriſimile eſt, quod *Arabes* tradunt, *Chamum* rerum exoticarum, curioſiſſimarumque ante *Diluvium*, non tantum improbas artes à *Kanaïtis* (*ut ſuprà* quoque probatum eſt) didiciſſe, ſed & Scientias de DEO, & Angelis, de Arcanis denique Naturæ ab ipſo *Mathuſala* filio *Henoch* paternarum traditionum hærede accepiſſe, artiumque licitarum cum illicitis commixtione à paterna traditione prorſùs degenerem legem condidiſſe; quam deindè *Triſmegiſtus* quidam ex *Chananæa* ſtirpe *Chami* deſcendens, ſeparatis ab illicitis licitis, in meliorem, & Religioni Divinæ conformiorem, quantum Ethnico Philoſopho, ſolo naturæ lumine fulto, in tanta rerum depravatione, licuit, redegerit; quem quidem verum illum, & tantopere ab Authoribus celebratum ſecundum *Hermetem Triſmegiſtum* fuiſſe, *infrà* probabitur. *Hermetem* autem *Triſmegiſtum* dictum fuiſſe ob ſimilitudinem, & Analogiam quandam operum primi *Hermetis Triſmegiſti*, veriſimile eſt, quem *Idris Arabes*, *Hebræi Hanoch* dicunt; quem & *Triſmegiſtum* dicunt citati *Arabes* ob tres inſignes prærogativas. *Primò*, quòd Sacerdos DEI eſſet, & primus Vias Domini juſtas perverſis monſtraret mortalibus, *Deindè* ob ſummam rerum naturalium peritiam, quâ rerum humanarum neceſsitati omnibus modis, ſuis inventionibus ſuccurrere ſtudebat; cùm nullam Rempublicam ſine legibus, & ordinationibus conſiſtere diu poſſe noſſet. *Tertiò*, *Maximum* quoq; dictum ob civilis vitæ cultum, legumq; conditionem, quæ ſunt veluti ſal quidam humanæ Societati conſervandæ neceſſarius. Prætereà *Henochum*, primum illum *Hermetem*, primum poſt filios *Seth* Aſtronomiam excoluiſſe; Temporis, Annorumque rationem docuiſſe, ex cujus monumentis poſtero Mundo relictis, ſecundus *Adris* ſive *Hermes* noſter ſua de diviſione temporum principia deduxerit, atque ad poſteros tranſtulerit, *Ægyptii* cum *Arabibus* volunt. Habent enim

Cham Mathuſalæ filii *Henoch* diſcipulus doctrinam ſacram poſt *Diluvium* propagavit.

Hanoch cur *Triſmegiſtus* ſit dictus.

Ægy-

Ægyptiorum arcaniores Aſtrologi pro certo, Annum Civilem *Ægyptiorum* fuiſſe diviſum in tot dies, quot primus *Adris* inter homines vixerit. Nam *Sacra Scriptura*, eum expreſsè trecentos ſexaginta quinque annos, quot videlicet annus civilis *Ægyptiorum* dies habet, vixiſſe ait: ſic enim 23. *verſ. cap.* 5. *Gen.* habet:

Geneſ. 5. verſ. 23. ויהי כל ימי חנוך חמש ושׁשים שׁנה ושׁלשׁ מאות שׁנה׃

Tot annos vixit *Henoch*, quot dies in anno. Καὶ ἐγένοντο πάσαι αἱ ἡμέραι Ενὼχ ἔτη τριακόσια ἑξήκοντα πέντε. *Et facti ſunt omnes dies* Enoch *trecenti ſexaginta quinque anni, &c.* Cùm verò *Adris* ſecundum hanc eandem partitionis anni rationem docuerit poſteros *Ægyptios*, ut *in Aſtronomia Ægyptiorum* fusè oſtendimus, veriſimile eſt, eum hæc habuiſſe ex prioris *Hermetis* monumentis per *Chamum* poſtero Mundo communicatis. Cùm itaque hoſce *Adris* vitæ annos myſterio vacare minimè cognoſcerent, hinc Arcanum illud *Ægyptiorum* hieromanticum de Mundi revolutione prodiiſſe probabile eſt, videlicet cœleſtes DEOS ſtationes ſuas in Arce magna ſingulis centenis annis mutare, & poſt peractum circuitum 36500 annorum, omnia in priſtinum ſtatum reſtitui. Quod & *Platonem* ſubolfeciſſe, certum, dùm circulum παλιγγενεσίας, quem & in hunc uſque diem *Platonicum* appellamus annum, dictorum ferè annorum numero definit. Cùm enim firmamentum ſingulis ferè centenis annis unum in circulo magno, hoc eſt, Zodiaco, minutum conficere obſervarent, 100 in 360 ducta dabunt 36000, quibus ſi quinque dies ἐπαγαμφώς in 100 annos ductos adjeceris, habebis 36500 annorum numerum, rerum omnium complementum, Jubilæi magni numerum, & Monadis in multitudinem abeuntis in monadem reditum, id eſt, in priſtinum rerum omnium ſtatum, ut *Plato* ita ab *Ægyptiis* edoctus, opinatus eſt, hi ex myſtico annorum vitæ numero *Idris*, ſpeculati ſunt. Quem & nonnulli ex recentioribus ſecuti ſunt in firmamenti revolutione, ſed vide, quæ de hiſce curioſa quævis *in Aſtronomia noſtra Hieroglyphica* tradidimus. Cùm igitur talis, tantuſque fuerit *Henoch*, veriſimile eſt, poſteros ejus exemplo excitatos operum magnitudine famam aucupantes *Oſires*, ſeu *Idris* termaximos, id eſt, Summorum Sapientum nomen ambiiſſe, ac inter cæteros *Chamum* præ omnibus *Noëmi* filiis ambitionis labe infectum, tam ſpecioſi nominis titulo triumphaſſe: Certè non deſunt luculentiſſima hujus Aſſertionis veſtigia. Ut proindè intrepide inferre audeam, primum omnium, antiquiſſimumque *Triſmegiſtum* fuiſſe *Henochum*, uti *Arabes* ſentiunt. *Chamum* verò, quem & cum *Zoroaſtre* confudimus, utroque nomine jactabundum, ambitioſum illum *Adris* titulum ſibi per ſuperbiam, vel inſolentiam ſummam vendicaſſe. At *Tautum* è *Chami* progenie prodeuntem, verum ſcilicet *Mercurium* illum *Triſmegiſtum*, de quo tractamus, communi omnium ſuffragio ſecundum *Hermetem*, ſive *Adris*, exiſtimatum, *Chamo* ambitioſo tantum hujus nominis titulo triumphante inſoleſcenteque. Verùm ne quicquam proprii ingenii conjectura aſſeruiſſe videar, aſſertionis meæ rationes ex ipſis probatis *Authoribus* comprobandas duxi. Primò, *Diodorus lib.* 1. *Biblioth.* *Diodorus.* expreſſe narrat; fuiſſe *Mercurium* Scribam, Notarium Sacrorum, ſeu Conſiliarium *Oſiridis*: Καὶ τὸν Ἕλληνας διδάξαι τοῦτον τὰ περὶ τὴν Ερμαϊκὴν καλουμένην Ἑρμῆν αὐτὸν ὀνομάζειν. Καθόλου δὲ τὸν περὶ τὸν Οσίριν τοῦτον ἔχοντας ἱερογραμματέα ἅπαντι αὐτῷ παρακοινωνεῖν, καὶ μάλιστα χρῆσθαι τῇ τούτου συμβουλίᾳ. *Undè* Hermes, *id eſt*, *Interpres*, *& Enunciator vocatur*; Oſiridis *denique Notarius erat Sacrorum, cum quo is omnia communicabat, & cujus maximè conſilio utebatur.*

Poſteri quoque *Hermetis* nomen *Oſiris* & *Adris* ambierunt.

Porrò quo tempore post *Diluvium* vixerit noster ille *Mercurius*, dubiè tradunt Authores: Recentiores quidam testantur eum floruisse annis 21. ante Legem *Moysi* datam in deserto, ita, qui *Hermetem* Synchronum *Moysis* fuisse, perperam putant; nam apud antiquos receptum est, *Mercurium* hunc ideò Termaximum dici, quod juxta vetustos *Ægyptiorum* mores à maximo Philosopho in Sacerdotium vocatus, à maximo deinde Sacerdote in Regem accitus esset, ac proindè in *Ægyptios* imperium obtinuisse, & apud eos litterarum, seu Scripturæ primordia comperisse constat. Literarum verò Author esse non poterat, quin *Moysis* tempora præcederet. *Moysen* namque in incunabulis omni *Ægyptiorum* doctrinâ, *Scripturâ* teste imbutum, quod absque literis fuisse difficilè creditur. Nec insuper *Ægyptiorum* imperium consequi: cùm hic vixerit propriè sub Dynastia *Deorum*, quæ Dynastiam *Pharaonum* & Pastorum longè præcessit, ut *paulò post* dicetur. Prætereà cùm ante, & post *Moysen* alii *Ægyptiis* imperantes in historiis enumerati sint, *Trismegistum* anteà Regnum tenuisse necessarium apparet. Non enim aliàs esset *Mercurius*, uti *suprà* probatum est, *Saturni* filius & Scriba, qualem se *cap.* 10. profitetur.

Trismegistus floruit tempore *Abrahæ*.

Dicendum igitur est, tempore *Abraham* ipsum floruisse; nam ante *Pharaonem* ipsum vixisse, *Suidas* tradit. *Pharaonem* autem illum fuisse *Ægypti* Regem, qui sequentibus nomen indidit, idem memorat *Suidas*: neque is unus ex *Pharaonibus* esse potuit, omnibus penè *Scriptorum monumentis* contradicentibus, neque post eos, nisi eum *Moyse* juniorem asserere velimus, quod etiam communi traditioni repugnat. Manet ergò, eum ante *Pharaones* fuisse, atque consequenter tempore *Abrahæ*, quo prima Pharaonici imperii fundamenta jacta sunt, ut fusius in nostra *Chronologia in Oedipo* ostendimus. Huic nostræ opinioni favent Orientalium traditiones, qui ipsum cum *Misraim* filio *Cham* passim confundunt, ita tradunt tùm *Arabes*, quos *suprà* citavimus, tùm Alkandi & Altiphasi apud Gelaldinum his verbis:

ادريس هو بصبح بن بطير بن حم بن نوح

Idris *ipse* Misraim *filius* Beither, *filius* Cham, *filius* Noë. Et *suprà* idem Author clariùs rem exponit:

Tempore Abraham *fuit in* Ægypto Hermes, *ipse* Adris *secundus*, & reliqua quæ sequuntur; quæ confusio nata ex eo, quod singuli *Chami* posteri, hujusmodi ambitiosos titulos sibi assumerent. Si qui verò eum paulò ante *Moysen* vixisse cum *Eusebio* ponunt, non equidem facilè magnæ authoritatis Viro contradixero; potuit enim fieri, ut hoc tempore fuerit alius quidam hujus nominis *Hermes*, vel ut *Hebræi* in *Zohar* innuunt *Jethro* gener *Moysis*, Vir sapientiâ illustris, quem tamen verum istum *Trismegistum* primum Scientiæ Ægyptiacæ fundatorem fuisse, ut credam, induci vix possum: cùm hanc scientiam multo ante *Moysis* tempora in *Ægypto* viguisse *alibi* fusè ostendamus. Noster igitur ille *Hermes* primus Ægyptiacæ Sapientiæ fundator, alio vixisse non potuit, nisi eo, quo ostendimus tempore. Hoc enim eodem tempore verisimile est, *Chamum*, *Chusium*, *Chanaanum*, *Misraim*, cæteramque *Zoroastris* progeniem, quorum omnium nepos, pronepos, abnepos *Hermes* noster erat (videlicet tempore Regni *Deorum*, quorum ipse unus numerabatur) viguisse, præ omnibus aliis sententiis tanquàm veriorem, historiisque omnibus magis concordem amplectimur; Eundemque esse in *Ægypto Thoth*, *Theutum*, *Adris*, *Saturnum*; in *Babylonia* & *Chaldæa Zoroastres* dicti sunt, à quo omnes postmodum rerum cœlestium notitiâ clari, inventionumque gloriâ celebres, in *Chaldæa Zoroastres*, in *Ægypto* & *Phœnicia Thoth*, *Adris*, *Saturni*, *Mercurii* appellati sunt. Atque hæc unica æqui-

Hermes nepos, pronepos, abnepos *Chanaan*, *Chami*.

æquivocorum nominum varietas, & multitudo unica fuit tantarum apud *Historicos* & *Chronologos* controversiarum causa. De annis, quibus *Hermes* noster vixit, non minorem apud *Authores* controversiam reperio; sunt qui illum cum *Noë* velint conversatum, & eodem Duce in *Italiam* venisse autument; ita *Chronicum Alexandrinum*, quod in *sequentibus* adducemus. Huic sententiæ subscribunt omnes ii, qui *Noëmum* ab ortu *Abrahæ* anno quinquagesimo mortuum volunt; tametsi nos meliores Chronologos secuti, mortem *Noëmi* triginta annis *Abrahæ* ortum antevertamus; utraque sententia cum iis, quæ de *Trismegisto* tradimus, suam tueri potest authoritatem.

Suppono itaque primò illos Patriarchas Noëmidas, *Sem*, *Cham* & *Japhet*, eorumque progeniem longissimæ vitæ fuisse, adeò ut nonnullos ex *Sacris literis*, ad ipsa usque *Josephi* tempora pervenisse demonstrari possit; Quod seculum & *Hermetem* nostrum prope accessisse, ex gestis ejus luculenter ostenditur. Quem nonnulli 180 annos vixisse putant, ita *Rosselius in Trismegistum Commentator*; At eum 190 annis vixisse, in suo *Mercurio Trismegisto* opinatur *Boissardus*. Quidam *Trismegistum* cum *Zoroastre* confundentes, eum 100 annis in deserto, contemplationi rerum vacantem vixisse, & totidem humano generi erudiendo superfuisse, ita *Xanthus Lydius*. Alii eum tot annos vixisse existimant, quot prior ille ante *Diluvium Hermes*, quem *Enoch* diximus, videlicet 365 diebus. Ita *Abenvaschia* de Agricultura Ægyptiorum:

وكان خميعا الا بلع هرميس الشنية ثلثما
ده وحمس رستين سنه وهو بزمات
اجياته يتسطوي الرمان والسنة حنوح
هو ادريس اول ✡

Et fuerunt anni dies Hermis, *ipse est* Adris *secundus*, *trecenti sexaginta quinque anni, quibus æquavit annos & tempus* Henoch, *ipse* Adris *primus*. Hanc sententiam utpote mysticis rationibus turgentem, ideò libentius receperunt *Ægyptii*, quòd animam prioris *Hermetis*, id est, *Hanuch*, in hunc nostrum *Hermetem* κατὰ τὴν μετεμψύχωσιν transvolutam superstitiosius opinarentur: Nos eorum sententiæ adstipulamur, qui *Hermetem* 190 annos attigisse memorant; huic enim innixi, sive eum ante, sive post *Abrahami* ortum dicamus, semper tamen, eorum quæ de ipso retulimus, gestorum insignem cum temporibus assignatis consonantiam exhibebimus.

Iamblichus in Libro de Mysteriis Ægyptiorum refert, *Mercurium* hunc *Trismegistum*, non tantum Philosophiæ, sed & totius Ægyptiacæ Sapientiæ, quam & linguâ Ægyptiacâ tradiderit, fuisse Authorem & Principem, producitque testimonium *Seleuci* & *Manethi* veterum Authorum asserentium, scripsisse eum de universa Ægyptiorum sapientia in Lingua Ægyptiaca; Libros triginta sex millia & quingentos viginti novem: quorum in particulari recensentur *de Diis Empyreis* Libri centum: *de Diis æthereis* libri centum: *de Diis cœlestibus* libri mille, quorum plerique ex Lingua Ægyptiaca in Græcam translati sunt à Viris Philosophiæ non imperitis. *Clemens* 6. *Stromat.* scribit ætate sua apud *Ægyptios* extitisse infrascriptos libros, hoc est, *de Universa* Ægyptiorum *Philosophia*, Libros triginta sex; *de Medicina* libros sex; *de Sacerdotalibus*, decem; *de Astrologia*, libros quatuor. Nolim tamen quemquam hoc loco existimare, *Trismegistum* integra volumina triginta sex millia scripsisse; Sed per hujusmodi libros intelligi proprie in lingua Ægyptiaca Νιχὼμ, hoc est, certa quædam Systemata hieroglyphica, quibus varias artes, & scientias indigitabat, ut alibi in decursu Operis ostendetur, vel etiam Νιχὼμ subinde sumuntur pro certis conclusionibus Scientificis, seu Scientiis,

Libri *Mercurii Trismegisti* ex *Seleuco* & *Manetho*, apud *Iamblichum*.

Clemens Alexand.

Libri *Hermetis* sua ætate superstites.

36000 Libri ab *Hermete* conscripti, quomodò accipiendi.

tiis, ac gnomis de qualibet materia propositis, atque ita sumendi sunt isti triginta sex mille libri, quos *Authores* referunt. Quorum deindè ex selectioribus propositionibus, seu thesibus aliquæ fusiorem dederint separatim tractandi materiam, qui commentariorum loco fuerint.

Literarum usualium inventum *Mercurii* & ante *Moysen* viguit.

Hinc falsum quoque esse patet, dicere, *Ægyptios* ante *Moysen* præter hieroglyphicas, nullas alias literas habuisse; Nam uti ostendimus, unanimis omnium Orientalium opinio, imò traditio fuit, *Trismegistum* eos libros, quos citavimus, in papyro, vulgari linguâ, hoc est, Ægyptiacâ scripsisse, & secretiora Columnis quoque inscripsisse. Cùm verò *Trismegistum* ante *Moysen* vixisse demonstraverimus, imò *Moysen* universâ *Ægyptiorum* Sapientiâ ab eodem *Trismegisto* traditâ, imbutum constet; Certè ipsum & scripsisse, saxisque insculpsisse adeò certum est, ut de eo ampliùs dubitare nemo debeat. Imò ipsemet id testatur in libro sacro, ubi Avus *Hermes* ita inducitur loquens: Οὗτοι τὰ κρυπτὰ, φήσιν Ἑρμῆς, τῶν ἐμῶν ἐπιγνώσονται γραμμάτων πάντων, καὶ διακρινοῦσι καί τινα μὲν αὐτοὶ κατεσχῶσιν· ἃ δὲ πρὸς εὐεργεσίας Θνητῶν φθάνει, στήλαις καὶ ὀβελίσκοις χαράξουσιν. *Isti arcana, ait* Hermes, *meorum Scriptorum omnium agnoscent, & discernent, & aliqua ipsi continebunt. Quæ verò ad mortalium beneficium tendunt, (hoc est, quæ ad evitanda mala, & acquirenda bona Geniorum ope sapienter instituta sunt) columnis, & Obeliscis insculpent.* Et in eodem citato libro ita de suis libris loquitur: Ὦ ἱεραὶ βίβλοι τῶν ἀφθάρτων, αἳ τετείχατε ἀπὸ μοῦ χείρονας τῆς ἀφθαρσίας φαρμάκω χορηγίας, ἐπικρατῶ ἀσαπεῖς διὰ παντὸς αἰῶνος καὶ ἄφθαρτοι διαμείνατε χρόνους καὶ ἀθεώρητοι ἀνερεύνητοι παντὶ τῷ ταύτῃ παροδεύειν μέλλοντι παιδείᾳ. *O libri sacri rerum incorruptibilium, qui sortiti estis à me deteriora dona, quàm incorruptionis pharmacum, immarcescibiles toto tempore & incorruptibiles permanete inconspicui, atque incomperti ab omni, qui hanc disciplinam transgressus fuerit.* Quibus verbis materiem, de quibus libri tractant, adeò sublimem esse innuit, ut nemo eam ingenio assequi possit, nisi vivendi præcepta in sacro sermone tradita ad amussim servaverit.

Qualis doctrina lapidibus incisa fuerit.

Atque ex his fusiùs forsan, quàm par erat, adductis, clarè patet, post *Diluvium* omnes scientias Divinas, humanas, politicas, licitas & illicitas apud posteros *Noë*, tum per *Chamum*, tum per *Hermetem*, eorumque sequaces & discipulos longe latéque disseminatas fuisse, quin & mechanicas artes tunc temporis apud *Ægyptios* potissimùm ita floruisse, ut non contenti plurimas extruxisse urbes, sed vastissimas fabricarum & sumptuosissimas moles, ad contestandam apud posteros gestarum rerum magnitudinem, quemadmodum in *Babylone Turris*, de qua *in sequenti libro*, ex professo, & post *Turrim* stupenda *Nini* & *Semiramidis* progidiosæ fabricæ; deinde quoque in *Ægypto* per *Chami* progeniem erecta pyramidum aliarumque fabricarum monumenta fide humanâ superiora, abunde testantur. Verùm qui minutiora exactioraque de hisce desiderat, is adeat *Opera nostra Hieroglyphica, Oedipum Ægyptiacum*, & *Obeliscum Pamphilium*, ubi cum admiratione primævorum post *Diluvium* hominum subtilissimum, ad res novas inveniendas ingenium, nec non incredibilem earum rerum, quas invenerunt, in executionem deducendarum, animi magnitudinem contuebitur. Sed hisce jam præmissis, jam ad Orbis Terrarum, quem *Noë* tribus filiis suis *Sem*, *Cham* & *Japbet*, eorumque filiis filiorum distribuerat, partitionem progrediamur.

CA-



TABULA GEOGRAPHICA DIVISIONIS GENTIUM ET POPULORUM PER TRES FILIOS NOE, SEM, CHAM, JAPHET, POSTEROSQUE EORUM, IN UNIVERSUM TERRARUM ORBEM EUROPAM, ASIAM, AFRICAM ET TANDEM IN AMERICAM FACTA.

Septentrio

Benevolo Lectori Salutem.

Ne quicquam considerationè dignum in hoc Opere omissè videretur, hic assumpsi Chartam Geographicam in qua diversæ Gentium et Populorum per tres filios Noe, Sem, Cham et Japheth per orbem terrarum sunt expositæ spectentur; at hoc eo fine quod à nemine Interpretum id præstitum præter Arium Montanum. deprehenderim, quam et incredibili sane labore tum ex variis Sacrorum literarum, versionè Latina, Græca, Hebræa, Chaldæa, Syriaca, Arabica; tum ex complurium Interpretum methodis non contemnendis, ut ipsum, errorum qui à Sacris literis et Geographia delectentur, colligendorum Lectoris autem hoc deinde Auro mundi ope. Post Diluvium 534 an. Montanus quem, ex confusione Linguarum, qua dicuntur ab invicem mortales, quæ quemque impetus ferat et fortuna rapiebat, ea se cenubit. Et Japheto quidem Europæi, Semo Asiani, ex Chamo Africani, obtigisse ita fertur unanimus Authorum esse consensus. Quæ ex his tabulis ordine exposita reperies, ea ne legenti confusa nascatur somy et Scitibus et Colonis primævorum ducum, nunc eius nomina, regionum, quæ hodiæ in usu sunt, vale Lector.

SCOTIA. HIBERNIA. ANGLIA. GERMANIA. GALLIA. HISPANIA. ITALIA. GRECIA. THRACIA. MARE MAGNUM. REGNUM FILIORUM JAPHET ET POSTERORUM. MOSCOVIA. TARTARIA. PONTUS EUXINUS. MARE CASPIUM. ASIA MINOR. ARMENIA MAJOR. REGNUM FILIORUM SEM ET POSTERORUM. PERSIA. ELAMITÆ. SINUS PERSICUS. ARABIA PETRÆA. ARABIA FELIX. ÆTHIOPIA. REGNUM CHAM. MARE ROBRUM. MAROCCA. REGNUM MAGNUM FILIORUM CHAM ET POSTERORUM. ÆTHIOPIA Transmarina Major. MARE MAGNUM. AFRICA.

Meridies

CAPUT VIII.

De Numerosa progenie filiorum Noë, Sem, Cham, Japhet.

DEcimo Capite *Geneseos*, *Moses* numerosam trium filiorum *Noë* progeniem, multiplicemque posteritatem describit, in quo tamen eos tantummodò, qui veluti Capita, principes, ducesque aliquarum gentium commemorat. Reliquis, qui eorum dominio subdebantur, consultò, ne historia in infinitum procederet, silentio suppressis. Quare filios *Japhet* solummodò septem recensет, neque eorum posteros omnes, sed duorum tantùm *Gomer* tres, & *Javan* quatuor, ita ut tota *Japhet* progenies quatuordecim viris à *Mose* circumscripta videatur. *Cham* verò quatuor filios enumerat, & de his trium tantùm posteros, omnesque qui à *Chamo* progeniti fuerunt, ad 31 numerum redegit. Denique *Sem* quinque filios enumerat, de quibus trium tantùm posteritatem exponit, ita ut omnes filiorum *Noë* posteri 72. non excedant.

Itaque *Sacra Scriptura* hanc progeniem commemorari posterorumque memoriæ perpetuæ commendari per *Mosem* voluit, ut ex illis benedictionis *Noëmo* filiisque impertitæ vis & efficacia pateret; dùm dixit: *Crescite & multiplicamini, & replete terram.* Quamvis verò earum regionum quas possidebant, nomina à *profanis Scriptoribus*, variis fabularum figmentis depravata fuerint, nonnulla tamen adhuc restant vestigia, quibus in veritatis antiquæ semitas introducamur. De hac nominum rerumque depravatione scitè sanè Josephus lib. 1. Antiq. differit: *Post divisionem*, inquit, *linguarum, passim dispersi sunt homines, coloniis nusquàm non deductis, & quo quemque fors, & DEUS tulit, eam terram cum suis occupavit, ut tam maritima quàm mediterranea cultoribus replerentur; nec defuerunt, qui conscensis navibus ad insulas habitandas trajicerent. Porrò gentium quandam adhuc diu servabant derivatam à suis conditoribus appellationem, quam tamen posteris temporibus mutaverunt, nonnullæ autem in familiarem accolis notioremque vocem deflexerunt*, Græcis *potissimum talis nomenclaturæ authoribus; hi enim posterioribus seculis veterem locorum gloriam sibi vendicantes, gentes nominibus sibi notis insignierunt, & quasi sui juris essent, mores rituque proprios in eas invexerunt.* Sed & de hisce legat, qui volet, *nostra Opera, Latium*, & *Hetruriam*, ubi quinam harum regionum primi coloniarum duces fuerint, reperiet.

Græci primi primæva nomina gentium corruperunt.

CAPUT IX.

De Transmigratione gentium per progeniem Japhet *filii* Noë.

Japhet septem filios habuisse, *Gomer, Magog, Madai, Javan, Thubal, Mosoch, Tiras*, *suprà* ostendimus, & *Gomer* quidem *Gallus* genuit *Aschenez*, *Riphat*, *Togorma*; *Javan* verò genuit *Elisa*, *Tharsis*, *Cethin* & *Dodanim*, omnes posteri *Japhet* quatuordecim; *ab his*, ait Moses *divisæ sunt familiæ gentium in regionibus suis*; fuitque *Japhet* adeò celebris etiam apud *profanos Scriptores*, ut *Japetum* cœlo terràque natum finxerint, & ex Titanibus unum cum *Jove* belligerantibus fuisse memorent; verùm quid de hisce sentiendum sit, amplè deduximus in *primo* & *secundo Tomo Oedipi Ægyptiaci.* Certum est, quemadmodum *in præcedentibus* quoque insinuavimus, veteres Poëtas omnia ferè, etsi miris modis contaminata,

nata, ex *Sacra Scriptura*, occaſione *Diluvii Arcæ Noë*, *Turris Babylonicæ* aliorumque mirabilium à primis illis hominibus geſtorum deprompſiſſe.

Genealogia Japhet.

Filii *Iaphet* ſeptem:

- *Gomer.* — *Aſcenez.*, *Riphath.*, *Togorma.*
- *Magog.*
- *Madai.*
- *Iavan.* — *Eliſa.*, *Tharos.*
- *Tubal.* — *Cethim.*, *Dodanim.*
- *Moſoch.*
- *Thyras.*

Primus filius. *Japhet Gomer* גומר.

Primus itaque filius *Japhet*, fuit *Gomer*, cujus poſteri *Gomeritæ* nuncupati fuerunt, *Ioſepho* teſte, quorum hic primus Colonias in *Galatiam*, quam & *Gallogræciam* dici volunt, traduxiſſe, undè *Gomerus Gallus* dictus; ab hiſce profecti ii, qui *Delphos* ſpoliarunt, & poſtea in *Aſia minori* propè *Troadem* conſederunt, & *Phrygiæ* partem majorem occuparunt, unanimis *Geographorum* ſententia eſt; primùmque latera Aquilonis obtinuiſſe, *Ezechiel* 38. teſtatur: Quænam verò fuerint latera Aquilonis, *Joſephus* ex vaticinio *Danielis* c. 11. videlicet *Aſiam* & *Syriam* fuiſſe docet. Sunt enim hæ regiones reſpectu *Judeæ*, Aquilonares, non tamen remotæ à *Palæſtina*.

Fil. II. *Magog*, מגוג.

Alter *Japheti* filius fuit *Magog*, qui in Septentrionales Regiones, ad *Getas*, *Maſſagetas*, *Sarmatas*, *Europæos*, poſteros ſuos traduxiſſe, melioris notæ Authores, *Ioſephus*, *Hieronymus*, aliique ſenſerunt.

III. *Medai*, מדי.

Tertius *Japheti* filius fuit *Medai*, pater *Medorum*, ad quos colonias ſuas primò deduxiſſe, inter omnes convenit.

IV. *Javan*, יון.

Iavan, quartus *Iapheti* filius, *Ionum Græcorumque* parens. *Hecatæus* apud *Strabonem Iones* ex *Aſia* in *Græciam* venisſe ait, undè Origo ſit *Athenienſium*, quos ſe antiquitùs *Iones* dictos, & *Atticam* eorum regionem appellatam eſſe, *Ioniam* *Plutarchus* in *Theſeo* tradit.

V. *Tubal.* תובל.

Quintus filius *Iaphet*, *Tubal*, quem ferè plerique *Interpretes* & *Geographi* in *Hiſpaniam*, quam olim *Iberiam*, ſeu *Heſperiam* dicebant, colonias duxiſſe; qui verò dicunt *Tubulæos*, putantque fuiſſe *Aſiaticam* gentem, iis non facilè contradixerim, cum & poſteri tam in *Aſiam* quàm in *Hiſpaniam* colonias ſuas traducere potuerint.

VI. *Moſoch.* משך.

Sextus *Iapheti* filius *Moſoch* dicitur, quem ego *Moſchorum*, ſive *Moſcovitarum*, imò & *Scythiæ* vicinæ patrem fuiſſe autumo, tametſi *Joſephus* ex nomine *Moſecha* in *Cappadocia* urbis pervetuſtæ, *Cappadocum* parentem fuiſſe exiſtimet, cum *Moſochæorum* in *Moſcoviam*, ſeu *Sarmatiam* ſive *Scythiam*, tanquam ex primaria Sede *Moſecha* expeditionem non impediat; certum enim eſt, habuiſſe hujuſmodi expeditiones ſemper in aliqua provincia ſedem primariam, ſive curiam, ex qua deindè coloniæ in remotiores provincias traductæ fuerint. Quis enim neſcit accolas fuiſſe *Ponti Euxini Cappadoces*, ad cujus oppoſitum littus *Sarmatia*, ſive *Scythia*, aut *Moſcovia* incipiat.

VII. Filius *Japhet Tyras*, תירש.

Septimus filius *Japhet*, *Thiras*, quem ego *Thracibus* originem dediſſe, non aliâ ratione ad id aſſerendum inductus aſſero, quàm ex ipſo nominis etymo, quaſi diceres, *Thiras*, *Tiraces*; ſed de hoc *in ſequentibus* pluribus.

Gomer 1. *Japheti* filius, 4 filios habuit quorum. 1. *Aſchenaz.* אשכנז.

Sed jam ad *Gomeri* progeniem progrediamur, quem quatuor filios, *Sacer Textus* habuiſſe dicit, quorum primus *Aſcanez*, quem omnia ferè *Rabbinorum monumenta Germaniæ* parentem aſſerunt, ita ut, vel ipſi *Rabbini* è *Germania* oriundi non alio ſe nomine inſigniant, quàm אשכנזים *Aſchenazim*, quin vel ipſam *Germaniam* אשכנז *Aſchenaz*, de quo vide *Rab. Eliam Aſchenazi*, quicquid alii dicant contrà.

2. *Riphath.*

Secundus filius *Gomeri Riphath*, plerique *Riphæorum* primò *Paphlagonum*, deindè

indè quoque *Scytharum* ad *Riphæos montes* accolarum patrem esse sentiunt.

3. *Togorma.* Tertius filius *Gomer*, *Togorma* nomine, *Josephus* putat fuisse *Phryges*, *Rabbini Turcas*, eò quod Imperator *Turcarum Thogar* dicitur; *Chaldæus* verò interpres *Germanos* ex *cap.* 27. *Ezechielis*, fuisse asserit. Sed de his *alibi*.

Javan 4 filios habuit. *Javan* filius *Japhet*, quatuor filios progenuisse *Sacra Genesis* refert; quorum

1. *Elisa.* primus nomine *Elisa*, quem aliqui *Æolum* in *Græcia*, quidam *Italiæ*, alii totius *Maris Mediterranei Insularumque* patrem, haud incongruè fuisse putant.

2. *Tharsis.* Alter *Tharsis* nomine filius *Javan* dicitur, à quo ortos fuisse *Cilices*, ex nomine Urbis celeberrimo, quam *Tarsum* dicunt, ad id credendum inducti; alii per *Tharsis* vocem, vel ipsum *Mare Mediterraneum* intelligunt; alii *Carthaginem*, alii urbem ad *Mare Rubrum*, undè novas in *Pontum* colonias trajecerint: verùm hoc dici non posse, vel indè patet, quod ex *Mari Rubro* in *Pontum* trajicere, non mediante *Ægypto*, impossibile sit.

3. *Cethim.* Quis porrò tertius *Javani* filius *Cethim* fuerit, exponendum est. *Cethim* posteri *Iavani* triplicem significationem habent. Aliqui *Cyprum* & incolas ejus Insulæ *Cithim* vocatos fuisse putant; ut *Josephus*, ex nescio qua Urbe *Citium* persuasus; quidam pro *Italia*, sive pro *Italis* & *Romanis* sumi ex 24 Numerorum colligunt: *Venient in* Trioribus *de* Italia, ubi *Hebræa* lectio *Kittim* habet, & *Chaldæus*, *Romani* superabunt *Assyrios*, vastabuntque *Hebræos*, & ad extremum ipsi peribunt. Eadem leguntur apud Danielem c. 11. *Et venient super eum* Trieres & Romani, & *percutietur*, ubi enim *Hebræus* habet קטים: *Chaldæus* habet רומי *Romi*. *Cethim* sanè *Italos* esse, unanimem *Rabbinorum* sententiam esse constat; vide *Ioseph*, *Ben Gorion in sua Historia*. Qui verò per *Cethim Macedoniam* vel *Græciam* intelligunt, iis non refragamur. Fieri enim potuit, *Cethim* in *Græcia* primam habuisse sedem, ex qua deindè ductæ in *Italiam* coloniæ, ibidem *Cethim* vocitatæ sint.

4. *Dodanim.* Quartus filius *Javani Dodanim* dictus est, quem plerique *Rhodiorum* parentem dicunt, quasi diceres, D. in R. conversò, *Rhodanim* non desunt, qui *Dardanim* posteros *Dodonam Epiri* urbem Templo, & oraculo celebrem condidisse velint; Qui verò incertis incongruisque conjecturis *Galliæ* incolas fuisse *Dodanim*, ob similitudinem nominis *Rhodanim* ad *Rodanum* fluvium *Galliæ*, illi audiendi non sunt. Ab his itaque divisæ sunt, uti *Moses* ait, Insulæ gentium in regionibus suis, unusquisque secundùm linguas suas, & familias suas in nationibus suis, ubi intelligas velim Insulas gentium à *Judæis* dici omnes transmarinas *Mediterranei Maris* regiones, adeóque vel totam *Europam* à filiis *Japhet*, *Gomer* & *Javan* fuisse occupatam; quæ confirmantur ab *Hieronymo in Traditionibus Hebraicis*, *Sirmio*, *Phlegonte*, *Ario Montano*, aliisque. Sed hæc in *apposita Charta* exactè expressa luculentiùs patebunt.

De Coloniis Cham *filiorumque.*

Filii *Chamo* fuerunt quatuor: *Chus*, *Misraim*, *Phuth*, *Canaan*. Deindè horum omnium præter *Phuth* posteri enumerantur, uti hìc vides.

Genealogia Cham.

Chus Æthiopum parentem omnes *Interpretes* ex omnibus *Sacræ Scripturæ* locis, ubi *Chus* nominatur, intelligunt, ut proindè de eo dubium esse non possit, sed & præter *Æthiopiam* omnium circumjacentium Regionum terminos sui juris per posteros suos fecisse, ex Originibus etymologicis facilè colligitur, uti sequitur.

Tabula Filiorum Chami, *Sediumque.*

A.	כוש	*Chus.*	*Æthiopiam* tenuit, qui כושים *Chusym*, *Æthiopes* à plerisque *Interpretibus* dicuntur.
B.	מצרים	*Misraim.*	*Ægypto*, cujus possessor fuit, nomen in hunc usque diem dedit; de quibus legatur *Tomus* I. *OEdipi Ægyptiaci.*
C.	פוט	*Phut.*	*Africam Mauritaniam*, quam & *Ptolomæus Phutæam* vocat.
D.	כנען	*Chanaan.*	Nomine retento ad multa secula, *Palæstinam* occupavit, quæ est propria *Chanaan* sedes.
E.	שבא	*Seba.*	*Sabæa* Thurifera *Arabiæ felicis* Regio est, quam possedit.
F.	סבתא	*Sabtha.*	Regio est supra *Sinum Persicum*, & quicquid à *Sinu Persico*, in *Africam* usque extenditur.
G.	רעמא	*Regma.*	Plerique ex *Ptolomæo Carmaniam* intelligunt.
H.	שבה	*Seba.*	*Arabiæ felicis* Thuriferam Myrrhiferamque Regionem intelligunt.
I.	דדן	*Dedan.*	Ex *Ptolomæo Palmyrinam* putant esse, monte præcelso *Alsadano* celebrem.
L.	בבל	*Babel.*	*Babyloniæ* regio est, cum Urbe ejusdem nominis, de qua pluribus *in sequentibus.*
M.	ארך	*Arach.*	*Chyrrestica* Regio est, in qua *Edessa* urbs, quam *D. Hieronymus Arach* vocat.
N.	אחד	*Achad.*	Regio est à *Ptolomæo Achadene* dicta, in qua *Nisibis* urbs, quæ à *D. Hieronymo Achad* dicitur.
O.	כלנה	*Chalne.*	*Chalcitis* Regio supra *Edessam Ptolomæus.*
P.	לודים	*Ludim.*	Populi sunt *Lybiæ Cirenaicæ*, sive *Lybies Ægypti.*
R.	ענמים	*Chanamim.*	*Troglodytarum* putant esse Regionem, ex *Ptolomæo*, & *Strabone.*
S.	להבים	*Lehabim.*	*Lybia* propriè dicta, Regio in *Africa.*
T.	נפתוחים	*Nephthuim.*	*Numidiam* interpretantur plerique.
V.	פתרוסים	*Pethrusim.*	*Arabiam Petræam* esse, sentiunt plerique.
X.	כסלוחים	*Chasluhim.*	Putant esse *Saracenos*, qui littus *Maris Rubri*, ubi modò *Mecha* est, inhabitabant.
Y.	פלשתים	*Pheliſtim.*	*Palæstinam* propriè ab ipsis sic dictam, *Sacri* intelligunt *Geographi.*
Z.	כפתורים	*Caphtorim.*	*Cappadociam* intelligunt, ex Paraphraste *Onkelos* & *Jonathan* persuasi.

Canaan verò undecim filiorum filii, *Sidoniorum*, *Hellæorum*, qui ex stirpe *Enacim*, gigantes fuerunt, reliquamque totam ferè Terram promissionis, & partem *Syriæ Damascum* usque tenuerunt, & à *Canaan* Terra *Cananæorum* dicta fuit.

Filii

ARBOR GENEASOGIÆ NOËTICÆ

Aram

Ælam

Assur

Arphaxad

SEM.

Canaan

Misraim

Phuth

CHAM.

Chus

Javan

Madai

Magog

Gomer.

JAPHETH

NOE.

C. Decker, jn. & f.

Filii Sem, *eorumque Coloniæ.*

Filii *Sem*, fuerunt, teſte *Sacra Geneſi*, *Ælam*, *Aſſur*, *Arphaſſad*, *Lud* & *Aram*; Filii *Aram*: *Hus*, *Hul*, *Gether* & *Mes*, quorum ſedes in *ſequenti Tabula* conſidera.



עילם *Elam.* Genitor *Elamitarum*, qui propriè *Perſæ* ſunt, & ex *Daniele cap.*8. colligitur, ubi *Suſan Perſidis* urbs in *Ælam* ponitur.

אשור *Aſſur.* *Aſſyrii*, *Chaldæi*, *Meſapotamii.*

ארפכשד *Arphaſſad.* *Suſii*, ſive *Suſiana* Regio.

לוד *Lud.* *Lydi*, ſive *Lydia* Regio *Aſiæ minoris.*

ארם *Aram.* Uti ex etymo patet, *Armenia.*

Filii Aram *ſunt ſequentes.*

עוץ *Guz.* *Armenia minor*, *Armenii.* *Iberi*, hodiè *Georgiani.*

חול *Hul.* *Æolii.*

גתר *Gether.* *Ætholia*, *Mela* teſte, celebris urbibus *Aſſon*, & *Gargara.*

מש *Mes.* *Miſia*, ſive *Miſii*, *Thraciæ* Regio.

Filii Heber *hi ſunt.*

אלמודד *Elmodad.* *Theometha*, *Meta*, & *Ptolomæo* teſte, pars *Scheleph.*

שלף *Scheleph.* *Selebii.*

חצרמות *Hazarmavet.* *Sarmathæ*, *Sauromaithæ*, *Sarmatia Aſiatica.*

ירח *Iarahh.* *Arai*, & *Arachaſia*, circa montem *Imaum*; vide *Ptolom.*

הדורם *Hadoram.* Aliqui *Hircaniam* putant indicari.

אוזל *Uzal.* *Oxia Bactriana*, cujus cultores *Oxii Ptolom.*

דיקלה *Dikela.* *Scythia* intra *Imaum.*

עיבל *Ebal.* Populi inter *Caucaſ.* & *Parapomiſum Bolitæ* ſive *Obolitæ* dicti.

אבימאל *Abimael.* *Imaenſes*, ſive *montis Imai* accolæ.

שבא *Seba.* *Sacarum* Regio. Vide *Ptolom.* & *Melam.*

אופיר *Ophir.* *Populi* ad *Cherſoneſum auream Indiæ* trans *Gangem.*

חוילה *Hevila.* *Indiæ Orientalis* regiones.

Duo Filii *Jectam.*

{ יובב / ספר. } Putat *Arias Montanus*, *Jectan* cum ſuis filiis *Iobab* & *Sepher*, *Perù Americæ* parentes fuiſſe, incertâ utique conjecturâ ex urbe *Iuctam*, quæ ea in regione adhuc reperitur, à *Iectam* filio *Heber* ſic dicta. Ego veriſimiliùs crediderim, *Tartariæ*, *Chinæ*, *Iaponiæ* primò parentes fuiſſe, & progreſſu temporis per *Iſthmum Tartaricum*, *Aniam* dictam, per quem aditus in *Americam Borealem* dabatur, progreſſos, dictas regiones temporis ſucceſſu coluiſſe.

Atque hæc eſt progenies trium filiorum *Noë*, *Sem*, *Cham*, *Japhet*, per quos genus humanum per univerſas Orbis partes ſparſum fuit. Verùm ut hæc luculentiùs pateant, hìc *Chartam Geographicam* apponam, ex qua, quam quiſque ex hac numeroſa progenie partem Orbis obtinuerit, patebit. Fuit autem hæc prima expeditio trium filiorum *Noë*; de ſecunda expeditione *in ſequentibus* uberiùs agemus.

CAPUT Erotematicum.

In quo plurima dubia, quæ in Expeditionibus Noë *triumque filiorum occurrere poſſunt, diſſolvuntur.*

EROTEMA, ſeu QUÆSITUM I.

Quamdiù Noë, *ejuſque tres Filii poſt* Diluvium *vixerint?*

UT temporum & expeditionum à *Noë* filiiſque peractarum ratio, ſeries & ordo tibi conſtet, plurimaque indè in recta coloniarum per orbem Terræ, *Europam*, *Africam*, *Aſiam* deductarum diſpoſitione, & profanorum Authorum traditione dependeant, ordine, hoc ultimo Operis capite exponenda duxi.

Ex *Sacro* itaque *Geneſis* textu habemus *cap.*7. *Noë* ante *Diluvium* vixiſſe ſexcentis annis, ſexcenteſimo enim anno ejus contigiſſe *Diluvium*. Ab exordio Mundi, poſt *Adæ* creationem, uſque ad *Diluvium* numerantur, teſte *Sacra Geneſi*, anni 1656. ipſe verò Protoplaſtus vixit annos 930, ergò mortuus eſt ante *Diluvium* 726 annis: cùm verò *Noë* natus fuerit 600 annis ante *Diluvium*, clarè patet, ipſum natum eſſe 126 annis poſt obitum *Adæ* protoplaſti; *Henoch* verò annis 242 ante obitum *Adæ* genuit *Mathuſalem*, & poſt 365 annos vitæ tranſlatus è terris ambulavit cum DEO; *Mathuſalem* verò vixit annos 969, & ipſe anno, quo *Diluvium* accidit, mortuus eſt;

Quot quiſque Patriarcharum cum aliis vixerit annis.

Ergò *Noë*, qui natus eſt 600 annis ante *Diluvium*, ortus fuit 69 annis poſt translationem *Henoch*, & 369 anno avi ſui *Mathuſalem*. Ex quibus colligitur, *Mathuſalem* verſatum eſſe cum *Adamo* annis 242; *Noë* verò cum ipſo *Mathuſalem* 600 annis; Doctrinam itaque rerum naturalium & Divinarum vivæ vocis oraculo, ex ipſo *Adamo Mathuſalem* didiciſſe quis negaverit? quin & filius ejus *Sem*, 100 annis ante *Diluvium* natus, eandem rerum cognitionem commodè ab ipſo *Mathuſala* diſcere potuit.

Poſt *Diluvium* verò *Noë* vixit 350 annos; cùm autem à *Diluvio* uſque ad ortum *Abrahæ* juxta *Hebraicæ Lectionis computum*, non plures ducentis 92 annis præterierint, luculenter patet, *Noë* poſt *Abrahæ* ortum vixiſſe adhuc annos 58, ad generis humani directionem. Quoniam verò *Sem* filius *Noë* poſt *Diluvium* vixit annos duos & quingentos, certum eſt, *Semum* ad 50^{m} annum *Jacob* Patriarchæ perveniſſe. Quemadmodùm igitur in primævis illis Mundi temporibus, veri DEI fides & cultus rerumque ad animæ ſalutem conſequendam neceſſariarum obſervata, cuſtodita & perpetuata fuit ab initio Mundi uſque ad *Jacob*, per

tres

tres tantùm perſonas, *Adamum*, *Mathuſalem* & *Sem*, per annos autem 2000, & inſuper 156; nulli dubium eſſe debet, *Jacob* Patriarcham, omnem ſuprà memoratam rerum cognitionem & doctrinam à *Sem* diſcere potuiſſe, quemadmodum *Sem* à *Mathuſala*, & hic ab *Adamo*.

QUÆSITUM II.

Quidnam Noëmum *poſt* Diluvium, 350 *annis ſuperſtitem, egiſſe putemus?*

Reſpondeo, Quamvis nihil de *Noëmi* poſt *Diluvium* vita rebuſque geſtis *Sacra Scriptura* dicat, veriſimile tamen eſt, & rectæ rationis dictamini congruum, eum otioſum minimè fuiſſe, ſed de propagata progenie ſua per Orbem ſummâ curâ & ſollicitudine novas colonias fundaſſe; Orbem Terræ in tres partes, *Europam*, *Africam*, *Aſiam* tribus filiis diviſiſſe, leges præſcripſiſſe, & ſi *Beroſo* credimus, finito *Diluvio* *Arcâ* in montibus *Armeniæ* relictâ, deſcendiſſe in loca planiora, & brevi mirum in modum multiplicatâ progenie, adeò ea loca hominum multitudine repleta fuiſſe, ut cùm ſimul conſiſtere non poſſent, novas ſibi ſedes quærere coacti fuerint; *Noëmum* verò, uti erat humani generis poſt *Diluvium* parens, Rector & Legiſlator, naturalis Mundi Hæres & Rex; ita quoque neceſſe fuit, nè antequam in omnes Orbis terrarum regiones diſpergerentur, neceſſariis ad vivendum, ſeque propagandas, ſubſidiis deſtituerentur, ut legibus benè beatéque vivendi præſcriptis rectè inſtituerentur; Ante omnia verò veri DEI Religioniſque cultum docuiſſe, timorem *Dei Opt. Maximi*, ex formidabili per *Diluvium*, mundi perditi exemplo, inculcâſſe, ſimiliaque quæ ad ad Religionem pertinerent, tradidiſſe. Cùm verò videret, genus humanum ſine neceſſariis ad vitam ſuſtentandam auxiliis, propagari non poſſe; primò eos agrorum colendorum rationem, inſtrumentorum utenſilium ex ferro, ære, cupro, argento, auroque, prout ipſe à *Methuſala Adami* diſcipulo, à Patre ſuo *Lamech*, & à *Iabal*, qui fuit, ut habetur 4. *Geneſ.* v. 20. pater habitantium in tentoriis, & à *Iubal*, qui fuit pater canentium cithara & organo; & à *Tubalcain*, qui fuit malleator & faber in cuncta opera æris & ferri, didicerat; videlicet arandi, ſeminandi, plantandi, domus fabricandi, paſtoritiæ artis modum tradidit; præterea cum hæc ſine exacta temporis & Aſtronomicæ ſcientiæ ſubſidio confici non poſſent, Aſtrorum curſus docuit, annum in duodecim menſes, annum curſum ſolis in duodecim domicilia diſtinxit; quibus apprimè inſtructus, homines familiarum Duces adhortatus eſt, ut novas ſedes quærerent, civitates conderent; quin & ipſemet, uti ex profanis authoribus patet, relictâ *Armeniâ*, vel *Edeniâ Regione*, aſſumptis ſecum *Iaphet* filiiſque *Gomero*, & Nepotibus *Aſchenez*, *Riphat*, *Tagorma*, ac reliquis *Iavani* filiis, *primùm* in *Græciam*, quæ ab eo *Ionia* poſteà dicta fuit, movit, *deindè* ulterius in Terram *Kittim*, quam omnes tum *Sacri*, tum *profani Geographi Italiam* dicunt, ubi Regionem habitatoribus adhuc expertem, incoluit, ubi primus Rex, & dominator multiplicatis per filios nepoteſque poſteris, prima Religionis, cultuſque Divini fundamenta eos docuit, Phyſiologiam, ſive naturalium rerum ſcientiam, reliquaſque vitæ humanæ neceſſarias artes tradens, tandem apud poſteros tantum nomen meruit, ut eum *Chaos*, ſemen mundi, Patrem *Deorum*, Animamque Mundi, *Saturnum* & *Ianum*, vocaverint, eò quod duplicem Mundum ante & poſt *Diluvium* viderit, duplici facie & ſtatuas illi erexerint. Primò verò *Latium*, ſive *Latinum Agrum* poſteà dictum, quam & ab ejus nomine *Saturniam* dixere, incoluit, mirâ utique Divinæ providentiæ diſpoſitione ut, ibi *Noë* primus poſt *Diluvium* parens, primas utique occulto DEI impulſu, ibi-

Noë poſt *Diluvium* legitimus Mundi Hæres, Rex & Dominus.

In *Græciam Noëmi* expeditio 1.

In *Italiam Noëmi* cum filiis ſuis expeditio 2.

dem fundaret colonias, ubi poſt *Romanum Imperium* toti Orbi dominaturum, nec non DEI Eccleſiæ Thronus præpararetur ſine fine, uſque ad conſummationem ſeculi duraturus. Deindè regionem quæ poſteà *Hetruria* dicta fuit ab *Aſſyria* ſive *Hatturia* Noëmi patria, dictam, *Latio* conterminam, introductis coloniis, inhabitavit. Verùm cum hæc in *Opere noſtro, quod Latium, ſive de Latini Agri Antiquitatibus*, & in altero *Opere*, quod *Iter Hetruſcum, ſive Hetruriæ Univerſalis Deſcriptio* inſcribitur quàm ampliſſimè, ex *Sacris profaniſque Auctoribus*, depromptis teſtimoniis demonſtraverimus, ad ea Lectorem remittimus.

QUÆSITUM III.

Quinam fuerint primi Urbium celebriorum fundatores Imperiorumque Erectores?

Cum jam *Noëmi* per *Iapheti* filios, expeditiones deſcripſerimus, reſtat, ut quinam celebres urbium, Imperiorumque fundatores fuerint, exponamus.

Nembrod mores & ingenium.

Dico itaque, *Nembrod* è filiis *Chus* ſextum, primum poſt everſionem *Turris Babylonii* Imperii & urbis cognominis fundatorem fuiſſe; erat enim naturâ audax, ac magnarum rerum peragendarum ambitione plenus, poſtquam ſibi incredibilem nominis celebritatem comparaſſet, prætereà gigantæâ corporis mole præditus; quod Sacra Scriptura cap. 10. verſu 8. his verbis innuit: *Porrò* Chus *filius* Cham *genuit* Nembrod, *ipſe cœpit eſſe potens in terra, & erat robuſtus venator coram* Domino; ut proindè, qui ſextus filiorum *Chus* fuerat, primus inter ſex filios ob corporis robur, & maximam animi in rebus feliciter aggrediendis audaciam *potens in terra* nominaretur; quæ pulchrè ſanè per *venatorem* ſignificantur; Erat enim, uti *Ioſephus* tradit, homo crudelis, ſanguinarius cædiſque hominum per potentiam, violentiamque avidiſſimus, & inſidioſus hominum oppreſſor, & Tyrannus; Feras enim venando, id eſt, homines aſtu & inſidiis partim per vim cepit, ſuoque ſubjecit imperio. *Coram Domino*, intelligitur in conſpectu Domini, id eſt, ſine timore DEI, & uti apud Job habetur: *In furorem erupit coram Domino.* Et quemadmodum Divus Auguſtin. de eo ait: *Quid autem eſt venator, niſi Animalium Terrigenorum deceptor, oppreſſor, extinctor? erigebat itaque cum ſuis populis Turrim coram Domino, per quam impia ſignificatur ſuperbia*; quamvis *Cajetanus* & *Rabi Eliezar*, contrarium dicant, eum feras, quas capiebat, in ſacrificium DEO obtuliſſe; Verùm cùm omnes ferè *Interpretes*, eum ſuperbiſſimum Tyrannum, & oppreſſorem hominum, ambitioſiſſimum Imperii affectatorem fuiſſe aſſerant, certè vel hoc ipſo oſtendi poteſt, eum nullam cultus Divini rationem habuiſſe, qui potius nihil non agebat, quàm ut homines à DEO diverteret, omni Divini nominis gloriâ contemptâ, ſuo ſubjugaret imperio.

Nembrod itaque, uti author Turris ædificandæ fuiſſe dicitur, ita quoque Urbis *Babylonicæ* quam Imperii ſui ſedem conſtituit, ducentis ferè annis poſt *Diluvium*, Fundatorem dicunt, dictumque fuiſſe linguâ Chaldaicâ בעל *Bel*, à profanis *Belum*, ſive *Iovem* filium *Saturni*, patrem *Nini*; quæ confirmantur ab omnibus ferè *Hiſtoricis*, *Ioſepho*, *Euſebio*, *Auguſtino*, aliiſque; qui verò *Semiramidem Babyloniæ*, conditricem aſſerunt, id intelligi debet, quod magnæ Urbis molem à *Belo* cœptam, à *Nino* filio jam auctam, *Semiramis* tandem ſummæ magnificentiæ operibus inſtruxerit. Verum cum poſt *Semiramin* qui conſecuti ſunt Reges *Aſſyriorum*, poſthabitâ *Babylone*, coluerint *Ninive*, eamque fecerint Regiam, id eſt, Sedem caputque Imperii *Aſſyriorum*, hinc accidit, *Diodoro* teſte, ut *Babylon* à Regibus deſerta, & inſuper *Euphratis* eluvionibus, hoſtiumque incurſionibus vaſtata, diu obſcura & ignobilis fuerit, donec poſt everſam *Niniven* Rex *Nabuchodonoſor Babylonem* de integro inſtauravit, & latiſſimè amplificatam

Nimbrod, Belus dictus *Pater Nini.*

Nimbrod, Saturnus.

tam magnificentiſſimis operibus adornatam, *Babyloni*, uti olim, ſedem Imperii, reſtituit. Verùm cùm hæc ex profeſſo, & quàm fuſiſſimè *in ſequenti libro de Turris Babyloniæ erectione* ſimus acturi, eo Lectorem relegamus.

Ninus conditor *Ninive* & Imperii *Aſſyriorum.*

Ninum autem filium *Nembrod*, ſive *Beli*, *Niniven* ædificaſſe, Sacra Scriptura docet his verbis: *De Terra illa egreſſus eſt* Aſsur, & *ædificavit* Niniven, & *plateas civitatis* & Chale; Reſem *quoque inter* Niniven & Chale, *hæc eſt Civitas magna*; Quænam verò ſit illa terra, de qua egreſsus *Aſſur*, controvertitur; Dico eſse Terram *Sennaar* ubi non ferentibus ſe *Nembrod*, & filio *Nino*, hic ambitionis œſtro perculſus, uti pater ejus *Babylonem*, ita & ipſe filius aliud Regnum ordiri attentans, *Niniven* ad *Euphratem* fluvium, vel ut alii volunt, ad *Tigrim*, ſedem Regni *Aſſyriorum* ædificavit; quomodò verò *Aſſur* dicatur Conditor *Ninive*, cùm is non ex *Chami*, ſed ex *Semi* filiis unus fuerit, undè *Aſſyrii*, poſteà dicti ſunt. *Reſpondeo*, *Aſſur* hoc loco non propriè ſumi pro *Aſſur* filio *Sem*, ſed pro Rege Aſsyrio; Dum itaque *Sacra Geneſis* dicat, de Terra illa egreſsum *Aſſur*, intelligi *Ninum* Regem *Aſſyriorum*, qui non contentus *Regno Babylonio*, quod pater ejus *Belus* fundaverat, ad alias gentes ſubjugandas proceſſit, & inter alia ejus præclara opera dico ædificatorem fuiſſe *Ninive* Civitatis magnæ, ab ejus nomine ſic dictæ; vel ſi alicui hæc ſententia non placeret, aliam ſubdo; fieri enim potuit, ut *Aſſur* filius *Sem*, ab impia *Chami* gente divulſus ex terra *Sennaar* in remotiorem Regionem receſſerit, & ibidem fundamenta *Ninive* poſuerit, poſteà vero *Ninus* filius *Nembrod*, ſive *Beli* eam jam ab *Aſſur* cœptam in tantam magnitudinem & magnificentiam erexerit, quantam tam *Sacri*, quàm *profani Scriptores*, ſumma legentium admiratione deſcribunt: Quam itaque *Divina Scriptura* vocat *Niniven*, eandem *Herodotus*, *Strabo*, *Plinius* Ninum, *Diodorus* Nineam vocat. Meritò itaque *Ninive* & hìc, & apud *Jonam* prophetam appellatur civitas magna: ſi enim ejus magnitudinem ex prima ejus origine cum à *Nino* fuit perfecta, totius Orbis maximam civitatem fuiſse reperies, ut nec ante, nec poſt habuerit parem; nam *Diodoro* teſte, ambitus ejus erat 480 ſtadiorum, id eſt, 60000, ſexaginta millia paſsuum, continet autem ſtadium *Plinio* teſte, unam octavam mille paſsuum partem; eo quod 125 paſsus noſtros efficit, hoc eſt pedes 625. quæ menſura octies ſumpta efficit mille paſsus. Porrò altitudo murorum erat pedum centum; latitudo, quà tres currus ſimul incederent; turres 150, ſingulæ altitudinis 200 pedum. *Strabo lib.* 16. aſserit *Babylone* fuiſse majorem. Si verò magnitudinem ejus, prout fuit tempore *Jonæ* Prophetæ, id eſt, plus 1200 annis, poſtquam à *Nino* ædificata fuit, æſtimare libet, invenies, tantam ejus fuiſse intra mœnia amplitudinem, ut tota vicatim obiri & luſtrari non minus triduò poſſit; undè apud *Jonam* dicitur civitas trium dierum, atque adeò 600000, ſexcentis millibus habitatorum conſtitiſse, *Diodorus* aſserit. De ſitu hujus urbis variant *Authores*. *Herodotus* eam *Tigri* impoſitam vult, & ex *Libro Tobiæ* patet; alii verò *Euphrati* apponunt: Quicquid ſit, ego puto, utrumque dici poſse, eò quod tunc temporis ex triduani itineris amplitudine, quâ eam deſcribit *Sacer Textus*, in utramque & *Euphratis* & *Tigris* littus in longitudinem extenſa fuerit, tunc forſan dictorum fluminum alveis non ita procul diſſitis, uti illa hodie deſcribuntur; alveis fluminum ſucceſsu temporis mutatis, uti *in præcedentibus* diximus: unde *Diodorus* eam non incongruè apponit *Euphrati*, & patet ex relatione eorum, qui dicta loca quàm curioſiſſime inſpexerunt. Referunt enim immenſa & ſine fine rudera ad littus *Euphratis*, tùm extra, tùm intra terram reperiri, quam omnes Indigenæ *Ninives* rudera indubiè aſserunt, hodie

Ninive urbis magnæ deſcriptio.

Ninive hodie *Muſul* dicta ad *Euphratem* fluvium ſita.

hodiè verò *Muſul* dicitur, & à *Babylone* ſeu *Bagadet* triduo diſtat, uno circiter gradu, unà ab altera, *Ptolomæo* teſte, diſtante.

QUÆSITUM IV.

Quamdiù ſteterit Imperium Aſſyriorum *à* Nino *fundatum?*

Reſpondeo, cùm apud cunctos ferè *Scriptores* & *Chronologos* ſumma de Imperii *Aſſyriorum* duratione, controverſia ſit, & cuinam ſubſcribere debeamus, ignoremus; combinatis tamen Auctorum inter ſe ſententiis, ſecurè inferimus, non uno & eodem tempore *Niniven* fuiſſe totaliter deſtructam, ſed uti Regnorum Imperiorumque revolutio varia eſt, ita quoque diverſis temporibus, à diverſis vicinis Regibus vaſtatam, ſed iterum reparatam inſtauratamque fuiſſe, quæ unica litis inter Scriptores natæ origo fuit; ſi tamen ultimam ejus ruinam unà cum Imperii abolitione penitiùs diſpexerimus, certè tùm ex meliorum *Authorum* ſententia, tùm ex ipſius *Sacræ Scripturæ* variis lectionibus colligimus, *Ninive*, Imperiique *Aſſyrii* everſionem fuiſſe eam, quam regnante *Ozia* minatus eſt *Jonas* Propheta, etſi ea ob *Ninivitorum* pœnitentiam aliquandiù fuerit dilata, quam tamen multis poſt annis, regnante *Ezechia*, quam futuram *Nahum* Propheta prædixerat, & *Tobias* paulò ante mortem ſuam, jam proximam denunciavit, quam nos circa quadrageſimum *Manaſſis* Regis annum contigiſſe exiſtimamus; atque adeò Imperium *Aſſyriorum* à *Nino*, & ab exordio Urbis *Ninive*, uſque ad *Sardanapalum* ultimum Regem, ejusdemque civitatis occaſum, 1290 circiter annos ſtetiſſe reperimus, id eſt, 250 annos poſt *Diluvium*, & 142 annis ante ortum *Abrahæ*, tametſi *Diodorus* 1320 annis ſtetiſſe putet: Alii aliter ſentiunt, quas tamen differentias non aliundè, quàm ab incertis temporum computationibus, quibus *Authores* Regum *Aſſyriorum* exordia deſcribunt, proceſſiſſe putamus. Verùm cum hæc *in ſequenti Libro de Turri Babylonica* uberiùs ſimus proſecuturi, non ultrà hiſce immorabimur.

Deſtructio *Ninive* quando.

De *Noë* meritò quiſpiam mirari poſſet, cur *Divina Scriptura* vix rei alicujus ab eo poſt *Diluvium* geſtæ, niſi egreſsûs ex *Arca*, Sacrificii, & plantationis uvæ, ebrietatis, maledictioniſque *Chami* propter impudentiam ejus, nullam aliam mentionem faciat, cum is tamen omnium tunc viventium hominum uſque ad 350 annos Pater, Rex, Director fuerit.

Cur tam exigua mentio fiat de *Noë* poſt *Diluvium*.

Reſpondeo primò, hoc Divinâ providentia factum eſſe, ne is tanquam Monarcha omnium unà ſemper ſede commoraretur, ſed totus eſset juxta præceptum Domini, in diſtribuendis Orbis Terræ partibus, filiis & nepotibus ſuis, totus in fundandis novis coloniis, atque in edocendis iis artibus & ſcientiis, ſine quibus generis humani propagatio ſubſiſtere non poſset.

Reſpondeo ſecundò. *Moſen* relictis omnibus iis, aut ſaltem obiter ſignificatis, quæ à *Noë* tribuſque filiis geſta erant, ad illud ſe argumentum explicandum ſubitò, quod Eccleſiam DEI, id eſt, Ortum *Abrahæ* Patriarcharumque geſta concerneret, ſe accinxiſe.

CA-

CAPUT ULTIMUM.

De Morte Noë.

ANNO Mundi 2006, poſt *Diluvium* 350, vitæque *Noë* 950, tranſactis annis *Semi* 448. *Arphaxad* 348. *Cainan* 313. *Sabæ* 283. *Heber* 253. *Phaleg* 219. *Reu* 189. *Sarug* 157. *Nachor* 127. *Tharæ* 98. *Abrahæ* 57. *Nini* 10. Imperii *Aſſyriorum* 75. ante *Chriſtum* 2047. Ad extremam tandem Curriculi vitæ ſuæ longævæ ſanè, pervenit metam Magnus Patriarcha *Noë*, qui uti unicum hujus Operis argumentum fuit, ita quoque cum eo Operis colophonèm imponimus.

Noë *typus eſt figura* Chriſti.

1. *Noë* datus eſt Mundo in ſalutem, tempore omnium corruptiſſimo, & profligatiſſimo. *Chriſtus* à Patre datus, hominibus in ſalutem, quandò cum reliquo Terrarum Orbe in Judaica gente Pietas, Juſtitia, Fides, Legis Moſaicæ diſciplina cum libertate defecerat.

2. In ortu *Noë Lamech* vaticinatur. *Ipſe conſolabitur nos ab operibus & laboribus manuum noſtrarum.* In *Chriſti* ortu Angelus vaticinatur : *Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.*

3. *Noë* dicitur Requies. *Chriſtus* Salus, quia non eſt requies niſi in ſalute, & redemptione à peccatis.

4. *Noë* fuit Mediator inter DEUM & homines, tam nomine, quàm opere; nomine quia requies; Requies autem noſtra verè eſt ipſe, qui dicit : *Tollite jugum meum ſuper vos, & invenietis requiem animabus veſtris.*

5. Solus *Noë* invenitur juſtus, in illa gente, cui ſeptem homines donantur propter juſtitiam ejus. Solus *Chriſtus* juſtus eſt, atque perfectus, cui ſeptem Eccleſiæ propter ſeptemplicem ſpiritum illuminantem in una Eccleſia condonantur.

6. *Noë* fit peccatoribus præco juſtitiæ DEI, & ſuperventuri *Diluvii*. *Chriſtus* pœnitentiam prædicat, & terribilem judicii diem prænunciat; non reſipiſcentibus hominibus donec iis inopinatus ſupervenerit interitus.

7. Deplorat *Noë* Mortalium ruinam. *Chriſtus* flet ſuper Civitatem *Jeruſalem*, & populum Judaicum, horribili clade periturum.

8. *Noë* quaſi horizon Mundi præcedentis, & ſubſequentis, primum & ſecundum ejus ætatem inter ſe colligat. *Chriſtus* Lapis angularis, qui facit utraque unum.

9. *Noë* poſt *Diluvium* humani generis factus eſt Author. *Chriſtus*, Pater futuri ſeculi, Princeps pacis, & multò magis quàm *Noë* in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio, ille non niſi ſeptem animas ſecum eripuit à morte; *Chriſtus* omnes, qui voluerint à morte æterna.

10. *Noë* plantans vineam, & epoto largiùs vino inebriatur, nudatur, irridetur. *Chriſtus* plantans Eccleſiam meritis & laboribus ſuis, & tanquam potens crapulatus à vino amoris ſui erga homines, vel iræ furoris Domini, quo fuit potatus in Cruce, nudatur & irridetur.

11. *Noë* ex filiis unum habuit improbum in contumeliam Patris intentum, cujus maledictionem incurrit. *Chriſtus* in Apoſtolis ſuis habuit *Judam* filium perditionis, in quem fulmen vibratur illud : *Bonum erat ei, ſi non natus fuiſſet homo ille.*

12. *Sem* & *Japhet* probroſam Patris nuditatem non aſpexerunt, ſed averſis vultibus pallio operuerunt, & iidem bene-

benedictionem consecuti sunt. *Sem* & *Japhet* tanquam duo populi ex circumcisione & præputio credentes, uti *Isidorus* dicit, cognitâ nuditate Patris, quâ significabatur passio Salvatoris, mysterii rationem reddentes detractionem *Judæorum* operuit. *Sem* ipse est, ex quo Patriarchæ, Prophetæ, & Apostoli geniti sunt, *Japhet* autem Pater gentium est, cum ingenti enim multitudine dilatatus est populus ex gentibus, qui cum Prophetis, & Apostolis erat habitaturus. Benedictionem igitur *Christi* parentis nostri, quem Judaicus populus amisit, *Christianus* ex duobus populis conflatus accepit. Sed jam ad *Noëmi* vitam regrediemur.

Elogia *Noë.*

Magnus & Mirabilis; inquam, Patriarcha *Noë* fuit, quomodocunque tandem ejus vitæ tenorem consideres, multis & stupendis casibus, si quispiam ex hominibus totâ vitâ vehementer exercitus; quamvis enim subindè uberi consolationum delectamento, à DEO visitatus fuerit, multum tamen tot adversarum rerum casus, quibus ille tot annis, totque seculis jactatus est, & numero, & magnitudine præponderâsse videntur, ut proindè de eo illud Divi Pauli applicari possit: *Vas electionis est mihi ille; Ego ostendam ipsi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Si porrò bona fortunæ, quibus fruebatur, consideramus; *Noëmum* totius Mundi post *Diluvium*, hæredem ac dominum fuisse eumque in filios suos jure quodam absoluto orbem distribuisse, reperiemus, quos & *Europæ*, *Asiæ*, *Africæ*, *Indorum*, omniumque marium, fluminum, Insularumque Principes & Monarchas constituit, utpotè, solum DEUM ipsis superiorem agnoscerent; Si longitudinem vitæ, quæ apud mortales tanto in pretio habetur, attendamus, is 950 vitæ annos magnâ gestarum rerum gloriâ explevit, solo *Mathusala* & *Irad* inferior. Quis nescit, nihil glorioſius esse posse, quàm cujuspiam parentis amplam filiorum, nepotumque multitudinem, uti ex benedictione *Abrahæ* patet. *Noë* sanè præ omnibus mortalibus, imò præ ipso *Adamo* majorem progeniem, incredibilemque & prorsus prodigiosam mundi propagationem, vidisse inde patet. Quod *Noë* intra 350 annos, quibus vixit à *Diluvio*, totum Terrarum Orbem potentissimis populis, coloniisque repletum vidit; vidit & Imperiorum *Babyloniæ*, & *Assyriæ* post *Turris* erectionem; Urbes omni exceptione majores & magnificentia haud pari exstructas, *Babyloniam* & *Niniven* intuitus est. Verùm hanc felicitatem non parùm interturbavit hominum perversissimorum, tum ante, tum post *Diluvium* impietas; ante *Diluvium* quidem, ad 600 annos enormes immanium gigantum mores, Satanicam *Cainitarum* improbitatem, *Sethi* progeniem ab avita disciplina longissimè aberrantem; postquam videt filios DEI cum filiabus hominum inito conjugio, belluinis moribus in conclamatum vitiorum barathrum ruere, omnem carnem corrumpere viam suam, cunctamque humani cordis cogitationem intentam esse ad malum omni tempore, omni DEI timore excluso, paterna salutis monita spernere & subsannare, atque adeò DEUM ipsum ad Orbem per *Diluvium* ob inemendabilem hominum malitiam perdendum sollicitare; quonam sensu optimum Senem tantam hominum perversitatem deploraſſe arbitramur? Sed hæc nihil comparatione eorum, per quæ tempore *Diluvii* acciderunt, fuisse videntur; quo timore, quâ mentis consternatione perculsum credemus? cum aquarum *Diluvium*, tot tantasque ædificiorum ruinas, tot camporum calamitates, cunctarumque animantium interitum, & cum nocentibus stragem parvulorum secum expendit; quæ mens, qui sensus, quis animus ejus fuit, cùm inundante terram *Diluvio*, tum Virorum, Fœminarum, Fratrum propinquo-

Noë vivens adhuc totum orbem habitatum se vidit.

Labores & dolores *Noë.*

Dolor *Noë* ex malitia hominum ante *Diluvium.*

Afflictio *Noë* ex *Diluvio.*

quorumque opem fruſtrà implorantium, jam ab undis abreptorum, modò ex undis emergentium, innatantium, & catervatim pereuntium voces & clamores planè formidabiles audiret, quantoperè eum ſenſiſſe exiſtimabimus illud Divinæ iracundiæ incendium, ad quod extinguendum omnes cœli cataractæ aperiri, & fontes magnæ abyſſi perrumpi neceſſe fuit.

Noë cura de alendis intra *Arcam* animalibus.

Arcæ verò incluſus, quantis curis & ſollicitudinibus in gubernatione animalium, de cunctis, ad ea conſervanda, neceſſariis rebus providendis oppreſſus fuerit? Adde horrendos annui carceris pædores, junge tenebras & caliginem peſſimis impreſſionibus infectam, omnes denique diuturnæ navigationis ærumnas, pericula & ſexcenta triſtitiæ luctuſque argumenta.

Poſt *Diluvium* luctuoſa terræ facies.

Nec hìc deſtitit animi dolor, & mœſtitia, dum ex *Arca* egreſſus, luctuoſiſſima ſpectacula mox obviam invenit; dum inanem terrarum vaſtitatem, ſqualorem, lutulentamque ubique Terræ faciem, montes marinis oſtreis aſperatos, valles montium ruinis oppletas, ubique ſolitudinem, & triſte ſilentium, rudera domorum, murorum parietinas, humanorum cadaverum ſtrues fluctibus congeſtas, cæterorumque animalium olentes acervos, denique communem totius Mundi calamitatem comperit. Acceſſit poſt novam vini paulò liberiùs guſtati lætitiam, novus mœror ex ebrietate, nuditate, & indigniſſimi filii irriſione, quæ Patri maledictionis in genus ſuum, & imprecandæ ſervitutis neceſſitatem extorſit, quæ in omnium penè ſeculorum poſteritatem redundaret.

Quid illa Filiorum Nepotumque *Noë* in DEUM pervicacia, illa ſuperbiæ monumenta, quæ non niſi confuſione linguarum caſtigari poterant; An non ingentem doloris intimi ſenſum ſenilis pectoris viſcera commovere? dolebat is de rixis, Filiorumque diſſidiis, ac ambitionis œſtro, quo dominandi libidine abrepti in ſeipſos crudeli manu, incredibili hominum ſtrage ſæviebant. Acceſſit tandem hiſce ultimus malorum cumulus: Apoſtaſia à DEO, & publica ſervitus Idolorum, quam ſub *Nini* dominio propalatam afflictiſſimo Seni curis, anniſque confecto, præ triſtitiæ magnitudine, mortem attuliſſe credibile eſt; ut proindè pro ſuo in DEUM amoris & reverentiæ abundantiori affectu abſorptus cum Matathia dicere potuerit: *Væ mihi, ut quid natus ſum*, *videre averſionem populi mei*; & cum Jeremia: *Duo mala fecit populus meus; dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non poſſunt aquas; Obſtupeſcite cœli ſuper hoc, & portæ ejus deſolamini vehementer.* Et cum Moſe: DEUM, *qui te genuit, dereliquiſti, & oblitus es Domini creatoris tui, mutâſti gloriam tuam in Idolum, dixiſti ligno, Pater meus es tu, & lapidi, Tu me genuiſti.* Ne videam Domine, ultra inſaniam iſtam, ne ultrà ſpectator ſim execrandi ſtuporis, quid mihi prodeſt adhuc vivere? nimium jam, nimium incolatus meus prolongatus eſt; tolle animam meam, & pone eam juxta te, quia credo videre bona in Terra viventium. Dixit & mortuus eſt plenus dierum, & appoſitus ad Patres ſuos, ejus funus Filiorum Optimi religioſe curârunt, & ſepulchro carmen in hanc ſententiam inſcripſerunt.

Ex perverſa vita Filiorum Nepotumque.

Epitaphium *Noë*.

VIATOR QUISQUIS ES. HIC SITUS EST PATER TUUS, MAGNUS PATRIARCHA *NOE*; VIR JUSTUS ATQUE PERFECTUS, QUI CUM *DEO* AMBULAVIT; QUANDO OMNIS CARO CORRUPERAT VIAM SUAM. HIC JUSTITIÆ PRÆCO PERITURO MUNDO CONSTITUTUS, CUM SEPTEM DOMESTICIS IN CATACLISMO, QUI RELIQUOS MORTALES PERDIDIT, CONSERVATUS FUIT, ET IN TEMPORE IRACUNDIÆ FACTUS EST RECONCILIATIO. HIC GEMINI MUNDI SPECTATOR, ET ORBIS TERRARUM HÆRES AC DOMINUS DIVINITUS CONSTITUTUS, FILIIS SUIS TERRAS OMNES MARIAQUE AB ORTU IN OCCASUM, A SEPTENTRIONE IN MERIDIEM, ET OMNEM IN PARTEM FILIORUM AC NEPOTUM COLONIAS DIMISIT, CUMQUE DC ANNOS ANTE DILUVIUM, ET AB EODEM $\overline{\text{CCCL}}$. VIVENDO EXPLEVISSET, QUEMQUE DEUS ILLI DEDERAT VITÆ CURSUM, MULTIS MAGNISQUE CASIBUS EXERCITUM PEREGISSET, RELIGIOSEQUE IN FIDE VENTURI SALVATORIS MORIENS, FINEM VIVENDI FECIT. ANNO AB ORBE CONDITO CIↃCIↃVI. A PRIMI PARENTIS OBITU CIↃLXXVI. A MORTE LAMECHI PATRIS SUI CCCLV. MINUS V. A DILUVIO VIDIT FILIOS AC NEPOTES USQUE AD UNDECIMAM, PATRES USQUE SEXTAM GENERATIONEM. ÆTERNITATEM MEMORIÆ DIVINA ILLI MOSIS SCRIPTA CONTULERE, BEATAM IMMORTALITATEM DEUS IPSI LARGITUS EST. Ex SALIANO.

Chronologia brevis &c.

CHRO-

GENEALOGIA
ab ADAM usque ad ABRAM
Jectan
HEBER
464
Aram
SEM
600
NOË
950
Silla
Ada
KAIN
SETH
912
ADAM
Vixit 930
EVA

CHRONOLOGIA

Brevis & exacta omnium Patriarcharum, ab Adamo *usque ad mortem* Noë.

	Creatio Mundi.	1.		
	Adamus naſcitur Mundi ——	6 die	ex limo terræ formatus, & *Eva* ex	
	ejus coſta in Paradiſo. Lapſus	——	utriuſque, & profligatio ex Pa-	
	radiſo. Generatio *Cain*, & *Abel*:	——	*Cain* occidit *Abelem*, Gen. 1. 2. 3. 4.	
	Ordo Patriarcharum.	Anni Mundi	*Ætas ſeu vita.*	Anni vitæ.
1	*Adam* Protoplaſtus oritur, à mundi die	6 die Mundi.	Vixit annis —— —— —— ——	930
2	*Seth* filius *Adæ* naſcitur, anno mundi	130	*Adæ* 130. vixit annos —— —— ——	912
3	*Enos* filius *Seth* naſcitur anno mundi	235	*Adæ* 235. *Sethi* 105. vixit annis ——	905
4	*Cainan* filius *Enos* naſcitur anno mundi	325	*Adæ* 325. *Enos* 90. vixit annis ——	910
5	*Malaleel* filius *Cainan* naſcitur an. mundi	395	*Adæ* 395. *Cainan* 70. vixit annis ——	895
6	*Jared* filius *Malaleel* naſcitur anno mundi	460	*Adæ* 460. *Malaleel* 65. vixit annis ——	962
7	*Henoch* filius *Jared* naſcitur —— ——	622	*Adæ* 622. *Jared* 162. vixit annis ——	365
8	*Mathuſalem* filius *Henoch* naſcitur ——	687	*Adæ* 687. *Henoch* 65. vixit annis ——	969
9	*Lamech* filius *Mathuſalem* naſcitur ——	874	*Adæ* 874. *Mathuſalem* 187. vixit annis	777
	Moritur *Adam* anno mundi —— ——	930	*Mathuſalem* 243. *Lamech* 56. vixit annis	930
	Moritur *Seth* anno mundi —— ——	1042	Vixit annos —— —— —— ——	912
	Tranſlatus *Henoch* anno mundi ——	987	Vixit annos —— —— —— ——	365
10	*Noë* filius *Lamech* naſcitur anno mundi	1056	*Lamechi* 182. vixit annis —— ——	950
	Moritur *Enos* anno mundi —— ——	1140	*Noë* 84. vixit annis —— ——	905
	Moritur *Cainan* anno mundi ——	1235	*Noë* 179. vixit annis —— ——	910
	Moritur *Malaleel* anno mundi ——	1290	*Noë* 234. vixit annis —— ——	895
	Moritur *Jared* anno mundi —— ——	1422	*Noë* 366. vixit annis —— ——	962
	Noë annorum 500 genuit *Sem*, *Cham*, *Japhet* anno mundi.			
11	*Sem* naſcitur anno mundi —— ——	1558	*Noë* 502. vixit annis —— ——	600
12	*Japhet* naſcitur anno mundi —— ——	1559	*Noë* 503.	
	Moritur *Lamech* anno mundi —— ——	1651	*Noe* 595. vixit annis —— ——	777
	Moritur *Mathuſalem* anno mundi ——	1656	*Noë* 600. vixit annis —— ——	969
	Diluvium venit anno mundi —— ——	1657	*Noëmi* 601. 99 *Sem.*	
13	*Arphaxat Semi* filius naſcitur —— ——	1658	*Noë* 602. *Semi* 101. vixit —— ——	438
14	*Sale* filius *Arphaxat* naſcitur —— ——	1693	*Noë* 637. *Semi* 138. *Arphax.* 35. vix. an.	433
15	*Heber* filius *Sale* naſcitur anno mundi --	1723	*Noë* 667. *Semi* 165. *Arphax.* 65. vixit	464
16	*Phaleg* filius *Heber* naſcitur —— ——	1757	*Noë* 701. *Semi* 199. *Arphax.* 99. vixit	239
17	*Rehu* filius *Phaleg* naſcitur —— ——	1787	*Noë* 731. *Phaleg* 30. vixit annis ——	239
	Saruch filius *Rehu* naſcitur —— ——	1819	*Noë* 763. *Rehu* 32. vixit annis ——	239
	Nabor filius *Saruch* naſcitur —— ——	1849	*Noë* 793. *Sarug* 30. vixit annis ——	148
	Thare filius *Nabor* naſcitur —— ——	1878	*Noë* 822. *Nachor* 29. vixit annis ——	205
	Abraham filius *Thare* naſcitur —— ——	1948	*Noëmi* 892. *Thare* 70. vixit annis ——	175
	Mors *Noë* —— —— —— —— ——	2006	Vixit annis —— —— —— ——	950

Vixit

		Annis.
Vixit itaque *Noë* cum	*Enos*	84
	Cainan	179
	Malaleel	234
	Jared	366
	Mathuſalem	600
	Lamech	595
	Sem	448
	Arphaxat	348
	Sale	313
	Heber	283
	Phaleg	249
	Rehu	219
	Sarug	187
	Nahor	157
	Thare	128
	Abraham	58

Iſaac filius *Abrahæ* naſcitur anno mundi	2048	*Abrahæ* 100. Vixit annis	180
Eſau & *Jacob* naſcuntur anno mundi –	2108	Anno *Iſaac* 60. *Abrahæ* 160.	
Abraham moritur anno mundi	2108	Vixit annis	175
Sem moritur anno mundi	2158	Vixit annis 100 & 500 poſt *Diluvium*, qui ſunt filiorum *Noë* omnium diutiſſimè, uſque ad progeniem filiorum *Abrahæ*, *Iſaac*, *Jacob*, ejuſque filiorum, ante ortum *Joſeph* 81.	600
		Unde patet, quanta ab eo dicti Patriarchæ diſcere potuerint de ſtatu Mundi ante *Diluvium*, in *Diluvio*, & poſt *Diluvium*; undè ponimus hunc Epilogiſmum.	

Sem vixit annis 600. in quibus habuit coævos	Ante *Diluvium*	*Mathuſalem* proavum, cum quo vixit annis	98
		Lamechum avum, cum quo vixit annis --	93
		Noë parentem, cum quo vixit annis --	98
Sem vixit 600 annis, in quibus habuit coævos	Poſt *Diluvium*	*Noë*, quocum vixit annis	350
		Arphaxat, quocum vixit annis	438
		Cainan, nepotem, quocum vixit	360
		Sale pronepotem, quocum vixit	433
		Heber abnepotem, quocum vixit	435
		Phaleg abnepotem, quocum vixit	239
		Rehu trinepotem, cum quo vixit	239
		Sarug proavum, quocum vixit	230
		Nachor avum, quocum vixit	148
		Thare patrem *Abrahæ*, cum quo vixit	205
		Abraham cum quo vixit	175
		Iſaac filium *Abrahæ*, cum quo vixit	160
		Eſau, *Jacob* temporibus obiit.	

Vir

Vir adeò eximiæ virtutis fuit *Sem*, ut multi eum cum *Melchiſedech* confuderint, in cujus domo ſola reſtitit pietas & reverentia verſus DEI cultum, aliis omnibus penè in Idololatriam labentibus; ſupra omnes gloria & honore exaltatus ob benedictionem, quam ei *Noë* pater ex ſuæ in eum denudationis reverentia, ex Patriarchis poſt *Diluvium* vitâ omnium longæviſſimâ, & bonorum omnium copiâ confertâ remanſit. Utrum verò *Melchiſedech* idem fuerit cum *Semo*, controverſum eſt inter *Authores*; plerique negativam tenent ſententiam; & apertè ex *Sacro Geneſis* Textu patet. Et nos huic ſententiæ ſubſcribimus, eò quod luculenter demonſtret, *Semum* alium fuiſſe à *Melchiſedech*, qui typus fuit *Chriſti* perfectiſſimus. Fuit *Melchiſedech* Rex *Salem*, & nomen ipſum ſecum portat. מלכי־צדק / *Rex meus juſtus.* Fuit Sacerdos, obtulit panem & vinum, neque principium dierum, neque finem vitæ, neque prædeceſſorem, neque ſucceſſorem habuit, ſine matre, ſine patre, ſine genealogia. Quæ omnia *Chriſto* Servatori, cujus typus & figura fuit, congruunt, & ſic oſtenditur. Eſt *Chriſtus* Rex Regum, & Dominus dominantium; Rex *Salem*, id eſt, pacificus, conditor cœleſtis *Jeruſalem*; Sacerdos & Pontifex, Sanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, excelſior cœlis factus, Panem & Vinum, id eſt, pretioſum corpus & ſanguinem æterno Patri obtulit. *Chriſtus* non habuit neque ſucceſſorem, neque prædeceſſorem, ſine matre in cœlo, ſine patre in terra. Nam & temporalis Incarnatio ineffabilis eſt, & æterna proceſſio captum & facultatem, & linguam ſuperat hominum & Angelorum. Non igitur *Melchiſedech*, *Sem* fuit, ſed ex gente Cananæa unus Levitici ordinis, quem *Dyonyſius Areopagita* teſte, ex gentibus converſum Angelorum miniſterio docet, ſicuti & ſeipſum. Idem ſentit *Epiphanius*, *S. Ignatius*, qui & Virginem fuiſſe tradit. *Chronicum Alexandrinum* eum ex ſtirpe *Cham* genitum dicit, eumque à DEO è *terra Chananæa* ultra *Iordanem*, in oppidum montis *Syon* tranſlatum fuiſſe; quæ Suidas confirmat hiſce verbis: Melchiſedec *Sacerdos* DEI, *Rex* Chananæorum. *Is Urbem condidit in monte* Syon *Urbem* Salemque *dixit*, *pacificam*, *in qua cum regnaſſet* 113 *annis*, *obiit vir juſtus*, & *per omnem ætatem Virgo*. Ex hiſce luculenter patet, *Melchiſedecum*, *Semum* dici non poſſe. Sed hæc de *Chronologia Patriarcharum* ſufficiant.

Omnia ad Divini Nominis Gloriam & Beatiſſimæ Matris ejus Virginis MARIÆ honorem.

IN-

INDEX
RERUM & VERBORUM
Locupletißimus, & per omnia Ordinatus.

Ubi *a,b* paginæ Columnam *dextram, ſiniſtram* indicat: & *c* cum numero ſuo Parentheſi incluſum, *e.g.* (*c.* 1.) ſignificat *Caput*. Aliæ literæ ſiquando occurrunt, evolventi ultro ſe prodent.

A.

ABietis & Pini *antipathia* Pag.20, b.
Abortuum edulia 11, b. 174, b.
Abraham *quo anno poſt* Diluvium *natus* 211, b. *ubi habitârit* 201, a. *quot annis cum* Noë *vixerit* 228, b.
Abrahami συγχρονος Triſmegiſtus 218, a. 220, a. 221, b.
Abſurda quorundam Stereometrica 28.29, & ſeqq.
Abyſſus magna *Oceanus* 129, a.
Abyßi aquarum, 129, a. *ſunt Terræ Hydrophylacia*, ibid. b.
Abyſſi & Catarractæ clauſæ 157, b.
Accipiter 78, b. *manſueſcit* 79, a.
Achadne *Regio* 226, N.
Adam *ex terra Damaſcena conditur* 22, a. 198, a. *quo die* 238. *ejus infuſa cognitio* 5, a. *nomina imponit Animalibus* 96, b. Adæ *peccatum* 3, a. *ejectus, ubi habitavit* 26, a. 198, b. *in Regione* Eden 201, a. *quas artes invenit* 5, a. 11, a. *idem literarum auctor* 204 (cap. 5) a. 208, a.
Adæ *libri* 205, b. 206, b.
Adam *de Adventu* Meſſiæ 12, b & ſeq. *controverſiarum arbiter* 22, a. 198, b. Adamum *cujus rei auctorem & complicem faciant Rabbini* 11, b.
Adamo *vivente perdendi Mundi occaſio* 22, a. *mortuus in* M. Moria 26, b. 199, a. *qua ætate* 238. *quoto* Mathuſalæ *anno* 228, b.
Adamantinus globus unde projiciendus & quando ad centrum terræ perveniret 131, b.
Adris *quid* 217, b. *dictus ſic* Henoch, ib. Thoth, Saturnus 220, b.
Adulterinum ſuppoſititiumque genus hominum 7, a. 8, a. 11, a & b.
Ægyptiaci *Regni primi auctores* 212, a. Ægyptiorum *Dynaſtia Deorum, dein* Pharaonum 220, a & b. *Ægyptii Bovem colentes* 58, a. Ægyptiorum *annus Civilis quem reſpiciat* 219, a.
Æolii *ab* Hul 227
Aër in Oceanum quaſi commutatus quando 132, b.
Aëreæ regionis mediæ, tertiæ diſtantia 130, a. 132, a.
Ætates omnium Patriarcharum uſque ad Noë 238.
Ætates tres Terreni Globi 194, b.
Æthiopum *parens* 226, a.
Æthiopia *duplex* 203, a.
Ætholia *à* Gether 227
Africa Mauritania 226, C.
Africam *olim* Hiſpaniæ *junctam fuiſſe* 190, b.
Agri mox ſterilis prodromi 194, b.
Agriculturæ doctor Noë 229, b. *Agriculturæ inſtauratæ neceſſaria fuerunt in* Arca 110, S. 111, a. 181, a. *de Agricultura* Chamum *ſcripſiſſe* 213, b.
Alaudæ *laudes* 62, b, 93.
Alces *velox* 59, b.
Αλιαετος, Aquila marina 76, b.
Allegoria 77 *generationum* 13, b. *Allegoricus ſenſus* Arcæ Noë 150, b, ſeqq.
Allopecopithecus 69, a.
Alpes *montes* 160, a.
Altare & Sacrificium Noë 167.
Altitudo immenſa Aquarum ſupracœleſtium 131, b.
Alvei fluminum mutantur 231, .b
Americæ Borealis *qui parentes* 228 (c.9) a. Meridionalis *Montes altiſſimi* 132, a.
Amphibia 71-73. *intra* Arcam *fuiſſe conſervata* 73, b.
Amphibior. monſtra ad Arcam *prorumpentia* 122, b.
Amphictyon Athenienſium *Rex* 137, b.
Amphisbæna *biceps* 55, b.
Anatum *cibus & ſalacitas* 84, a.
Angelus ad Noë *miſſus* 7, a.
Angeli ἐγρήγοροι *ſeu* Vigiles 10, a. *ob* 4 *cauſas*, ib.
Angeli Animalium ſpeciebus præſidentes 96, b.
Angelorum miniſterium in congregatione Animalium ad Arcam 121, a & b.
Angeli mali ſcelerum auctores 5, b. 6, ſeqq. & 11, b.
Angelos *maleficia hominibus tradidiſſe, de quibus intelligendum* 206, a.
Angeli boni contra malos interpellantes 6, b.
Anglia Galliæ *quondam adhæſit* 188, b. Angliæ Hiberniæ *& adjacentium inſularum ratio ſitûs olim* 194, a.
Animarum ἀφανισιων *deſtruentes* 103, a.
Animal: Animalium Nomenclatura 101. *Animalia à* Deo *ſub certo numero condita* 94, 95, ſeqq. *Animalium quatuor genera* 48 (c.3) b. 95, b. *mutationes* 94, 95, ſeqq. 104, b. *Animalia Munda, Immunda* 99, a, b. 100, 101, b. *Animalium quoddam Compendium*, ib. 6. *Animalia carnivora* 107, a.
Animal perfectum quadrupes deſcribitur 56, a. *cauſæ generationis* 4. ibid. *Species* 47, b. 56, a.
Animantium ad generandum proniores quæ 162, b.
Animalium abominabilis coitus quis 174, b. *Animalia ſpuria, an ſterilia* 96, a.
Animalium uſus 155, b. 156, a.
Animalia Arcam Noë *ingreſſa* 48 (c.3) b. ſeqq. *non ex promiſcuo ſpecierum coitu* 67, a. *Animalium tres ſpecies præcipuo numero in* Arca 112 a, b. *Animalia quomodo ad* Arcam *congregata fuerint* 121. *ut intrarint* 121, b, ſeq. *Animalium ſtationes in* Arca 45, a, ſeq. *Animantium voces* Arcam *ingreſſarum ſub initium Cataclyſmi* 126, a. *Animalia ad primum* Arcæ *ingreſſum liberalius habentur* 119, b. *non puro miraculo in* Arca *fuiſſe conſervata* 148, b. *Animalium in* Arca *erga* Noë *geſtus* 147, b. *Animalia bruta à generatione in* Arca *non ceſſaſſe* 162, b.
Animalia Arcæ *comparata cum tot diverſiſſimi ingenii hominibus in Eccleſia* 152, b.
Animalium ex Arca *egreſſus* 165, b. 166. *Animalia præceptum Domini complentia* 179, b. 183.
Animalia triplici ratione in Inſulas pervenerunt 196, a.
Animalia Divinæ liberalitat. ſpecula 155, a. *quæ Juſti intuentur, & moventur* 155, b. *bruta hominem venerantur* 169, b. *nec per ſe noxam ei inferunt*, ib.

Animalia variis coloribus procurandi ratio 75, b.
Annalium fides apud Sacerdotes, *ubi* 214, b.
Annonæ difficultas quid pariat 140, a.
Annus Civilis Ægyptiorum *quot dierum* 219, a.
Anni Solares, Lunares 161, a, b.
Anni vitæ omnium Patriarcharum usque ad *Jacobum* 229, a, b.
Ἀνομβρία seu *negatio pluviæ* 177, b.
Anser 82, a. *saporis præstantia ubi pereat* 82, b. *Anser* Magellanicus 89, b.
Ἀνθρωποπάθεια *de* DEO 4 (c.1) a.
Antipathia Pinûs & Abietis 20 (c.2) b. *quorundam Animalium* 45, b.
Antiquitatum cognoscendarum cupido 186, a & b. *Antiquitatum semisepulta cadavera ubi, quæ* 190, a,
Antliarum usus in Arca 45, b.
Apameæ *duæ celebres Urbes* 139, a.
Apenninus *Mons* 160, a.
Apes *unde* 52, b.
Apocryphi aliquot libri 206, b. 208 (c.6) b. 209, a.
Apostasia à DEO *superstite* Noë 235, b.
Apotelesmatica sive Amuletaria 218, a.
Apotheca in Arca 43, a. *vide* Horreum, Penarium.
Aqua Diluvii 15 *cubitis altissimis Montibus superior* 163. *Aquarum* Diluvii *in* Germ. *milliaribus cubicis quantitas* 135, b. *Aquæ* Diluvii *quanto tempore durârint* 161, a, b. *quo die diminui cœperint* 156 (c.10) a, b. 158, a. *quot cubitis quotidie decreverint* 133, b.
Aquæ commeatus 111, b.
Aquæ supracœlestes non fuerunt causa Cataclysmi 131, a, b. *Aquarum supracœlestium qualitas & immensa altitudo* 131, b.
Aquarum subterranearum catadupæ 189, b.
Aquarum indomiti gurgites 191, b.
Aqueum Dodecamorium 131, a.
Aquila *princeps Avium* 76, a. *fœtidi halitûs* ib. b.
Aquilæ *quantilla Avis bellum moveat* 94, a.
Arabiam Petræam *esse* Pethrusim 226, V.
Arach *quæ regio* 226, M.
Arachasia, V. Arai.
Arai & Arachasia Jarahh 227.
Araneæ *ex* Lentisco 52, a.
Ararat *qui &* Caucasus & Taurus 185, a. 187, b. *quomodo is hodie dicatur* Armenis, Persis, *&c.* 187, a. *hîc* Arca *quievit* 184 (c.4) a, b. *& in Montanis* Ararat Noë *agriculturam instauravit* 179. 184 (c.4) a, b. *vide* Mons Ararat.
Arbor vitæ *quæ, & quarum virtutum* 203, b. *Arbores quæ ædificandæ* Arcæ Noë *potissimum inservierint* 20 (c.2) a. *Arborum quarundam mira altitudo* 20, a.
Arca Noë *more humano constructa & gubernata fuit* 148, b. Arcæ *proportio ead. quæ* Humani *corporis* 150, a.
Arcæ *construendæ locus communis* 22, 23. *proprius* 23, a. *planities inter* Libanum & Mesopotam. 25, b. *causa*, 26, a. Arcæ *struendæ principium* 15, b. *fabricandæ multæ operæ* 25, a. *materia & ædificandi ratio* 18, 19. *quæ potissimùm arbores huc fecerint* 20, a, b.
Arcæ *substructio* 36, a. *Contignationes tres* 16, b, seqq. 35 (c.10) a. 46, 47. *sentinæ receptaculum* 36, b. 45, b. Arcæ *stabula* 103, 104, 105. *Penaria* 109. 113, b. *Ornithotrophium, Cœnaculum & Cubicula* 116. fenestra *& ratio luminis* 38, a, seqq. 40, a. 148, a, b. *Ostium ubi & quantum* 40, a. 41, b. 166, a. *pons sublicius quo Animalia in- & egressa* 40, b. Arcæ *bitumen quo illita fuit* 2. Arca *revera talis, non formâ Navis* 18, b. 28 *in* Tabula. 35, 36, 38, 41. Arcæ *area & cubus* 34, a, b. 37, a. Arcæ *totius promptus Conspectus* 115, b.
ad Arcam *Animantium congregatio* 21, seqq. *Ingressus* 123, b.
Arca Noë *quæ Animantia admiserit, quæ non* 48, a, b. 49, seqq. 94-96. 100, a. *ex Quadrupedibus* 56, 57, seqq. 67, a, seqq. *ex Reptilibus* 52, b. 55, a. 56, a. *ex Volatilibus* 74, a, b.
Arcæ *conditio sub primam stragem* Cataclysmi 126, a.
Arcæ *universæ pondus si à 5 ad 30 cubitos mersa incessit* 145, a. 146. Arcam 15 *circiter cubitis mersam* 58, b.
Arca *aura recentiori ventilata* 149, a.
Arca *ubi & quando subsederit* 158, b. 161, b. *supra Montes* Ararat 184 (c.4) a, b.
ex Arca *Animantium egressus* 165, seq.
Arca Noë *comparata cum* Miraculis Mundi 1. *Centum Annorum Opus* 1, 2. 23, a. *nihil posthac in aquis simile visum*, 2. *spectatores ejus secutis temporibus* 185, b, *reliquias tandem in petram conversas affirmant* 186, b. 187.
Arcæ *fabricam, debitâ proportione, in lacu fluctuantem quis nuper exhibuerit* 44, b.
Arcæ *mystica significatio* 149-154. *typus* Ecclesiæ 16, b. *allegoria* 151, b. lignum *confertur cum* ligno Crucis 151, a. *trinæ dimensiones quid tropologice* 154, b. *varia ligna & animalia congruunt diversis in Ecclesia hominibus* 152, a, b.
Arcanum hieromanticum Revolutionis Mundi 219, a.
Archetypon Arcæ, Noë *à* DEO *inspiratum* 23, a, b. 25, a.
Archipelagi *Insulæ olim intra Continentem* 191, b. 193, b.
Architectonicam quis primus tradiderit 5, a. *docuit* Noë 229, b. *Architectonicæ regulæ, quâ materiam exstruendorum* 19, a.
Architecti partes, quæ 25, a.
Archiva *Phœnicum* 214, b.
Ardea 80, b. *strategema pugnantis cum* Falcone *ibid. pennæ in pretio* 81, a.
Ἀρχηφόρος 216, a.
Arietis *fœcundum* Signum 183 (c. 3) a. arietes *ferendis oneribus apti* 49, b.
Aristoteles *Metaphysicus unde talis* 218, a.
Arma defensioni innocentium inservientia 25, b. *Armorum inventum* 6, a. 11, b. 174. b.
Armeni *ab* Aram 227. *Armenorum Patriarchæ sedes* 185, a. *Armeniæ montium hydrophylaciæ quò derivata* 201, b. *Armenia Minor* Guz 227.
Armodillus Mexicanorum *animal* 69, a.
Ars Statica 159, b. *Ars variegandi animalia* 51, a, b. 75, b.
Artes Columnis incisæ 12, b. *Artium inventores* ib.
Artes & scientias floruisse ante Diluvium 4 (c.2) b. 5, a.
Artes improbæ Cainitarum 211, b. *Artes à quibus* Cham *didicerit* 208 (c.6) b. *improbas* 211, b. *Artes quas mali Angeli docuerint* 6, a & b.
Artium continuatio per Noachum 229, b.
Aschenaz Germanorum *conditor* 224.
Asiæ *mutationes per* Diluvium 193, b.
Asinus *ricinos gignens* 52, b. *patiens & parvo vivit* 61, b. Asini unicornes, *ubi* 58, a.

Asphal-

Aſphaltici *bituminis natura* 21, a. *præſtantia*, ib. b.
Aſpidis *natura* 55, a.
Aſſon *Urbs ubi* 227.
Aſſur *etiam* Chaldæi, & Meſopotamii 227.
Aſſur Ninives *conditor quis ille* 231, a.
Aſſyria Hatturia 230, a. Aſſyriæ *nomine quot Regiones comprehendebantur* 212, b. 213, b.
Aſſyriorum *Imperii auctor* 213, a. 232, a. *duratio* 232, a, b.
Aſtrologia divinatrix 6, b. *vide* Magia.
Aſtrologiæ peritiſſimus & Naturæ Conſultus Cham 213, a. *Aſtrologiæ doctrinæ pravæ inventor* 211, b.
Aſtronomiæ neceſſitas, & propagatio 229, b. *vide* Stellæ.
Aſtrorum influxus 95, a.
Ἀθανασία *animarum* 103, a.
Athei *notantur* 103, a. *Hiſtoria* Diluvii *contradicentes* 196, b. *argumento ab* Arca Noë *confunduntur* 2.
Athenienſes Iones 224, a.
Atho *Mons* 131, b.
Atlantis *Inſula vaſtiſſima olim* 194, a. 196, a.
Attagen *quorum pullus* 86, b.
Attica Ionia *olim dicta* 224, a, b.
Aviarium magnum in Arca 114, a. 116, E.
Avis deſcriptio & diviſio 74, a, b. *Aves veſicâ non indigent* 74, b. *teſticulos habent*, ib. *genua* ib.
Avium finis proprius nemini Mortalium cognitus 74, a. *Avium ſpecies primigenias discernendi generalis modus* 94, b. *ſpecialis* 87, a.
Aves Canoræ quæ 113, b. *Aves Carnivoræ & cujus notæ* 99, b, 100. *Aves Mundæ, Immundæ* 99, a, b. 100, 102. *Aves aliquot peregrinæ* 114, a. *Aves pro diverſitate climatum formam mutant* 74, a.
Aves ſpuriæ ex diverſarum ſpecierum commixtione, 74, a & b. *Tales* Arcam *non fuiſſe ingreſſas* ibid.
Aves etiam peregrinæ & ſpuriæ qua ratione hîc in Arca 114, a. 115, a.
Aula Noë *in* Arca 46 (c.1) b. 48 (c.2) a. 113. a.
Aurâ recentiore Arcam *fuiſſe ventilatam* 149 (c.8) a.
Auri præſtantia & diſcrimen 95, a.

B.

BAbel, *Babylonia* 226, L. Babylon Bagadet 231, a. Babylon *à quo & quando condita* 230, b. *aucta. dein diu obſcura* ib. *Babylonici Imperii auctor* 230. *Babylonici Muri* 1. *Babylonica Turris* 142, b.
Bagadet, Babylon 231, a.
Barathrum vitiorum 234, b. *vitiorum ſcelerum ultimum* 3, b.
Baſiliſcus *Plinianus ab* Arca *rejectus* 55, a. 56, a.
Beccaciæ *aves* 114, b. 116, r.
Belus *quis* 211, b. 230, b. Beli *atavus* Chamus 211, b. Beli *plures, & qui ſic dicti* 210, a.
Bellicorum inſtrumentorum inventio 6, a.
Beroſus, *quis, & unde Nomen* 214, a & b.
Bitumen Arcæ Noë *vel in vivum ſaxum tandem converſum* 156, b.
Bituminis & Picis differentia 20 (c.3) b. *variæ ſpecies* 21, a.
Blaſphemiâ non caret Unicornem *dicere periiſſe, ſi is unquam exſtitit* 59, a.
Boa *Serpens quid bibat & quàm vaſta* 55, b.
Bolitæ *ſive* Obolitæ Ebal 227.
Bona ab Animalibus Humano generi 155, b. 156, a.
Bos *ſive* Taurus 58, a.
Boves unicornes 58, a.
Botanologi 76, b. 95, b.
Braſilienſis Pica 89, a.
Βοσκοδόχειον *in* Arca 109, a. 115, a, b.
Bruta ſolo odore ad generandum concitantur 96, a. *non ceſſaſſe in* Arca *à negotio generandi* 162, b.
Bubalus *inflexis cornibus* 59, a.
Bubo, *eſt* Noctua 88, b.
Bufo *ſeu* Rubeta 65, b.

C.

CAdavera *in univerſa Aquarum* Diluvii *ſuperficie* 125, a.
Cainum *an & quomodo occiderit* Lamech 12, b. 13, a, b. 22, a.
Cainæ ſtirpis ſoboles 8, a. 11, b. 12, a & b. Cainitarum *malæ artes* 211, b, *improbitas* 234. b.
Calcecutum Indiæ Orientalis 83, a.
Calpes *fretum quondam Continens* 188, b. Calpes & Atlantis *deſtructum conjugium* 190, b.
Calx: in calcem Montes reſolvi ab ignibus 189, b.
Camelus *gibboſus* 57, b.
Camelopardalis 68, a.
Canales marium & Oceani 195 (c.2) a. *Canales ſubterranei è montibus* 201, b, ſeq. *Canales ſuggrundiorum in* Arca 11, b.
Cananæa 226, b.
Canariæ & Terceræ *inſulæ quales* Platonis *ævo* 191, b. *Canariis Inſulis* Paradiſus *tranſditur* 200, b.
Canis *ſagax & fidelis* 63, a, b. *nulla animalium ſpecies magis variat* 64, a. *quàm Canis &* Pſittacus 88, b. Canum & Felium *libertas in* Arca 113, b.
Caper *libidinoſus* 62, a, b. *ſed* Caper *proprie Caſtratus*, ibid. b.
Caphthorim *an* Cappadoces 226, Z.
Capitolium, *quo olim nihil ambitioſius* 186, b.
Capitolinus Mons *planitiem ferè æquans* 190, a.
Cappadocia *an* Caphthorim 226, Z. Cappadociæ *urbs* Moſecha 224, b.
Capræ unicornes 58, a.
Caprea *ſeu* Capreolus 62, b.
Capricornus *inter Alpeſtres ſcopulos* 62, b.
Capronam Capræ *addere* 88, b.
Carbonum congeries in Arca 48 (c.2) b.
Carcer ligneus 164, 165, a. 183 (c.4) a.
Carceris annui pædores 235, a.
Carduelis, *canora* 92, b.
Carmania *cujus originis* 226, G.
Carnivora Animalia 107, a.
Caro humana Gigantum pabulum 173, b. 174, a.
Carnium eſus ante Diluvium *quorum fuerit* 170, a. *probatur* ib. & ſeqq. *item* 173, a.
Carnium uſus plantis potior 172, a.
Caryophyllum *in* Caſtaneam *degenerans* 50, a.
Caſtanearum *in* M. Ætna *vaſtitas* 20, a.
Caſtor *amphibium quadrupes* 72, a.
Cataclyſmus *memorandus* 124.
Catadupa 178, a. Catadupa *ſubterraneorum aquarum* 189, b.

Cataractæ Cœli 129, b. *nubium ruptarum* 130, a, b.
Cattus, *quando obscœnus & terribilis* 64, b.
Catti volantes 74, a.
Caucasus *Mons* 131, b.
Caveam ad mortem abhorrens Avis quæ 92, a.
Caulium Metamorphoses 95, a.
Caussæ Reptilium & Insectorum 52, a. 53, 54. *Animalium quadrupedum* 56 (c.5) a, b. *pennigerorum* 74, a.
Cecrops Athenis *qua ætate regnaverit* 137, b.
Cedrorum altitudo 19, b. *species* 18 (c.2) b.
Ceraste vis 55, a, b.
Cercopithecus, Simia *cum cauda* 67, a.
Cerebrum palpitans cujus rei signum habitum 211, a.
Cervus *velocissimus* 61, a.
Cethim *pater quorum* 225, a.
Chalcitis *Regio* 226, O.
Chaldæa *ex* Chasdim, *à* Chus 213, b.
Chaldæorum *observationes siderum antiquissimæ* 11, a. Chaldaica Lingua *quibus olim gentibus vernacula fuit* 212, b. 213, b.
Cham *artium reconditarum curiosissimus* 208 (c.5) b. *peritissimus Astrologiæ & universæ Naturæ Consultus* 213, a. *à quibus artes didicit* 208 (c.6) b. *improbas* 211, b. *sed à* Mathusala *quid* 218, a. *quid metallicis laminis inscriptum, clanculum in* Arca *secum vexerit* 206, a. *Magiæ post* Diluvium *instaurator* 210, b. *Patrem ne gigneret impotentem effecisse* ibid. Cham *ubi regnarit* 211, b, seq. Zoroastres & Trismegistus 210, a. 212, a. 219, b. 220, b. *sub nomine* Zoroastræ *quos libros scripserit* 213, b. 214. *ejus columnæ quot, quorsum & ex quo* 206, a. *Genealogia* 223, a. 225, b. *avus* Nemrodi 211, b. *ut perierit* 212, a. 213, a.
Cham, *vide* Tartar.
Chamæleonti *an quis locus in* Arca 56, a.
Chaos, Semen Mundi, Noë 229, b.
Chasdim *quasi* Chusdim 213, b.
Chinensium *natales* 228 (c.9) a.
Chiurcha, Indiæ Occidental. *animal* 69, a.
Chorographia Regionis Eden, *inter pagin.* 22 & 23.
Christi & Melchisedeci *comparatio* 240, a, b.
Christi & Noë *comparatio* 106, a, b. 150, b. 233, a. 150, b.
Chronoligia omnium Patriarcharum usque ad mortem Noë 238.
Chus *filius* Cham, *secundus* Zoroastres 212, a. *dux Chaldaici Imperii* 213, b.
Chus Æthiopum *parens* 226, a.
Chus Æthiopia, *quæ duplex* 203, a.
Cibi recentis Mundi saluberrimi 3, a.
Ciconia φιλόστοργος 79, b. 80. *quando & quò è* Germania *avolent* 80, b.
Cilicum *sator* 225, a.
Cimmeriæ *tenebræ* 124, b.
Cinnamomum *in* Laurum *abiens* 50, a.
Circulus Magnus seu Zodiacus 219, a.
Cisternæ duæ in Arca 106 (c.7) b.
Citharœdus *primus* 12, b. 13, a.
Citium *Urbs* Josepho 225, a.
Civitatum condendarum auctor Noë 229, b.
Clari cœlestium rerum notitiâ & inventionum gloria quibus nominibus passim usi 220, b.
Clibanus in Arca 48 (c.2) b.
Climata mutare rerum species 75, b.
Climata mutant Vegetabilium & sensitivorum ingenia 49, a, seqq.
Cochlearia *avis* 81, b.
Cœlum novum & Terra nova 164.
Cœli positus mirè variat tam Vegetabilia quam sensitiva 49, a, seqq.
Cœli & Saturni *figmenta* 184 (c.3) a.
Colles plerique unde constiterint 195, a.
Coloniarum causa & origo 229, a, b. *curia & sedes primaria* 224, b.
Colossus Solis cedat Arcæ Noë 1.
Columba *ad* Arcam *mox redux* 153, b, 154. Columbæ *castitas* 85, b. Columbas *variegandi ars* 75, b.
Columbaria pro Carnivoris in Arca 110, b.
Columnæ duæ filiorum Seth 205, b.
Commeatus pro Animalibus in Arca 46 (c.1) a. 47, b. 48. 106, 107, 108. *Tabula penariorum* 109. *Commeatus aquæ* 111, b.
Commercium literarum 208 (c.5) a.
Conjugium 166, b.
Connubium an cum malis Angelis 6, a. 8, a. 10, b, seqq.
Continentia in Arca 162, b. 166, b.
Corcobado Americæ Sept. *animal* 70, a.
Cornices corvini *generis esse* 84, b.
Cornu in rostro 87, a.
Corporum tria genera, Mineral. &c. 95, a.
Corrupta gentium nomina unde 223, b.
Corvus 84, a. *ad* Arcam *non reversus quos signet* 153, b.
Corvi *ad* Arcam *non reversi & reversi Dubium* 160, a. *solvitur*, b.
Corvi albi 84, a. 96, a.
Cosmetices auctor 6, a.
Coturnix *est* Ortygometra 87, a, b.
Crabronum *nativitas* 52. b.
Crateres aquarum in Arca 45, b. *hydrotici* 119, b.
Crateres montium 202, a.
Creationis pulcherrimus Ordo 57, a.
Crocodilus Lacertæ *similis, amphibion* 71, a.
Crocodilus *ut nascatur, & an ad* Arcam *admittendus* 56, a.
Crystallinæ fenestræ 39, a.
Cubitus 6 *palmorum* 30, a. *Cubiti* 6 & 9 *pedum falsi* 28, a. 31, a. seq. *cum Passu geometrico commixti* 28, b. 30.
Cubus, soliditas corporis 144, b. *Cubus quorundam ab omni ratione abhorrens* 29, a. 31, b. seq.
Cuculi *receptaculum in* Arca 114, b.
Culina in Arca Noë 48 (c.2) b. 112, a. 116, L. 113, b.
Cultus Divini publici prima rudimenta 207, b.
Cuniculus *naturâ differt à* Lepore 65, a.
Cygnus 81, b. *antipathia cum* Aquila 82, a.
Cypri *incolæ an alquando* Cithim *dicti* 225, a.

D.

DÆmones *an se hominibus commiscuerint* 6, a, 11, a. *Incubi & Succubi* 11, b. & 174, b.
Dæmones hominum operibus sese miscentes 11, b. *quid studeant & qua occasione utantur* ibid.
Damascus Syriæ 226, b. *Damascenus ager materia creati Hominis* 22. a. 198. a. *locus exstructæ* Arcæ Noë 23 (c.4) a.
Decempeda sive Pertica 30, a.
Demonstratio Hydrostatica 143.
Δευδεγχολάπτης 90, a. 143.

Deſertum aëreæ regionis 130, b.
Deucalionium Diluvium 125, b. *ubi & quo anno Mundi acciderit* 137, a. 138, a.
Deucalion *eſt* Noë 138, ſeqq.
DEUS *neque iraſcitur neque dolore afficitur, ſed quid* 4 (c. 1) a & b.
DEUS *Architectus* 2. *ſubdelegato* Noë 16, a.
DEUS *more humano conſtrui & adminiſtrari voluit* Arcam 106, a. 148, b. DEI *providentia & inſcrutabilia judicia in ordinanda* Arca Noë 16, a & b. 24, a. 35, b, ſeq. *conſilium & bonitas in eadem exſtruenda* 2.
DEI *magnum promiſſum* 168, b.
DEI *proprium miſereri ſemper & parcere* 120, a. *ſed & vindex oculus* 7, a & b. 11, a.
Deorum Dynaſtia apud Ægyptios 220, a.
Dianæ Epheſinæ *Templum ſubducat ſeſe fabricæ* Arcæ Noë 1.
Dichas 2 *palmorum* 30, a.
Dierum ſeptem ſpatium 120, a.
Digiti in tranſverſum menſura 30, a.
Dimenſionum in corpore humano quæ proportio 33, b.
Diluvii *alicujus triplex cauſa naturalis* 128, a, b.
Diluvium Deucalionis 125, b. 137, a. Ogygium 137, a.
Diluvium *univerſale: Status rerum* 100 *annis ante* Diluvium 3, 4 & ſeqq. *ad* Diluvium *quinam* DEUM *impulerint* 12, b. Diluvii *cauſarum ſeries* 27, a. 28. *occaſio, profanæ nuptiæ* 22, a. Diluvii *initio quales homines reperiebantur* 124, a.
Diluvium *quo Anno M. acciderit* 3, a. 12, a. *quo anno* Noë 127, b. *Verno tempore* ibid.
Diluvium *non contigiſſe Aquarum ſupra-cœleſtium deſcenſu* 131, a, b.
Diluvii *incrementum* 158, a & b. *altitudo* 40000 *cubitorum* 133, b.
Diluvii *turbines* 120, a. *ſtrages* 124, a.
Diluvii *decrementum quo die cœperit* 156 (c. 10) a, b. 158, a & b. *qua proportione Aquæ decreverint* 131, b. Diluvii *calculus & Diarium* 161, b.
Diluvii *aquas ſiccans Spiritus quis* 157, a, b.
Diluvii *memoria apud Scriptores Gentiles* 136, ſeqq.
Διώροφα, τριώροφα 47, a.
Dipſadis deſcriptio 55, b.
Diſciplinæ bene vivendi auctores 216, a. 217, b.
Divinitatis character in Homine 169, b.
Divini cultus publici quis primus fundamenta jecerit 207, b.
Δοχμὴ, δακτυλοδοχμὴ 30, b.
Dodecamorium aqueum 131, a.
Dodona Epiri *Urbs à quibus condita* 225, b.
Dolia aquis plena in Arca 109, b. 111, b.
Domus diverſæ naturæ lignis ſtruitur 19, a.
Domus fabricandæ modum Noë *poſteris tradidit* 229, b.
Dorum, didorum, inter menſuras 31, b.
Dracones *volatiles unde generentur* 76, b.

E.

EBrietatis *non enarrabilia mala* 182, b, ſeq.
Eccleſiæ & Arcæ *collatio* 151, b. *Eccleſiæ tres protoſtatæ uſque ad* Jacobum *Patriar.* 228. b. 229.
Eden *quid nomen* 197, b. Eden *Regio* 22, b. *communis patria Patriarcharum* ibid.
Edeſſa *Urbs ubi ſita* 226, M.
Ἐγρήγοροι, *i. e.* Vigiles, *Angeli* 5, b, ſeq. & 9, 10, ſeqq.
Elamitæ, Perſæ 227.
Elementorum μίξις 95, a.
Elephas *quadrupedum maximus* 104, a. Elephantis *moles* 57, a. Elephantis & Rhinocerotis *antipathia* 45, b.
Elias *ubi, Quæſtio* 162, a. 199, b, ſeqq. *ab* Eliſa Æoles 225. a.
Empyreum Cœlum & Mundus 204 (c. 4) b.
Enacim *Gigantes* 226, a.
Enochi *ſcripta* 206, b. *de his* Tertulliani *judicium* ib. *citat* Judas *Apoſtolus* 10, b. 207, *a. contenta* 5, a. 207, a, b. *Vide* Henoch, *Libri.*
Epicurei 103, a, b.
Epitaphium Noë 236.
Equicervus *ſive* Hippelaphus 68, b.
Equus *generoſus* 59, b. *quæ Inſecta generet* 52, b.
Equos *naturali colore variegandi ratio* 75, b.
Ἑρμῆς, Mercurius, *unde* 216, b.
Erucæ 114, b. 116, V.
Europæ *mutationes per* Diluvium 194, a.
Europæ *vel tres conaitores* 225, b.
Experimentum diſcernendi Aves ſpurias à ſpeciem ſervantibus 87, a. *Experimentorum in Phyſicis ratio & difficultas* 53, a, b.

F.

FAbæ Gurguliones *generant* 52, a.
Faber primus 13, a. *etiam armorum* 25, b.
Fabri Arcæ Noæ 25, a.
Fabricæ tres celeberrimæ in SS. Literis, quæ 1.
Fabricarum monumenta fide humanâ ſuperiora 222, b.
Fabrilis artis continuatio tradente Noacho 229, a, b.
Fabulæ 8 (c. 2) b. *de proceritate Gigantum* 8, a. ſeqq.
Fabulis utentes 97, b.
Fames ad quæ impellat 140, a.
Felis *ſive* Cattus *ſuperfœtans* 64, b.
Felium *conditio in* Arca 113, b.
Feneſtræ in Arca *quot, quales & ubi* 148, a, b. *Feneſtra in ſuperiore* Arcæ *contignatione* 112, b. ſeq.
Feneſtræ ex Phengite, Selenite, &c. 39, a.
Ferramenta ad Agricultur. pertinentia in Arca 111, a.
Fibræ terreſtris ſubſtantiæ Aquas continentes 129, a.
Ficedula 93, a.
Filii DEI, *filii hominum* 8, a. 12, a & b.
Finis Avium proprius nemini cognitus 74, a.
Firmamenti motus 219, a.
Flumina & lacus terras deficientes 189, a.
Flumina alveorum incunabula deſerentia 192, a.
Fluminum mutati alvei 231, b.
Fluminum 4 Paradiſi *ratio* 201, a & b. 202.
Fœcundæ mulieres Antediluvianæ 3, a.
Fœminei ſexus ars fucandi, unde 6, a.
Fons 4 *fluminum* Paradiſi 201. b. *Fontes* Abyſſi M. & Cattarractæ Cœli 129. *Fontium Hydrophylacia intra Montes* 128, a.
Fretum ubi olim Iſthmus 190, b.
Fringilla *ſuavis cantu* 93, b.
Fucandi artis auctor 6, a.
Fulica Turdo *congener* 90, b.

G.

GAbrielis *Angeli expeditio ad Antediluvianos* 7, b.
Galatia, Gallogræcia, Gallia 224, a.
Galgulus *ſive* Icterus 90, a.
Gallina Numidica 86, b. *vera* Meleagris, ibid.
Gallinæ *pulchrè variegatæ, qua arte* 75, b.
Gallinago, *mixti generis* 86, a.

Gallo-pavo *ſeu* Gallus Indicus 83, a.
Gallus *&* Gallina 83. Gallus Indicus 83, a. Pavoni *ſimillimus* ib. Gallorum *gradus ſub una ſpecie quàm diverſiſſimi* 85, a, b, 86.
Gallus Gomerus 224, a.
Gargara *Urbs ubi*. 227.
Genealogia Chami 225, b. *filiorum* DEI *& filior. hominum* 12, a, ſeqq. Japhet 223 (c.9) a. Nemrodi 211, b. Sem 227.
Generatio quorum duplex, ex Patris ſpermatico, & Conjunctione 53, b, ſeq. *Generationis Animalium cauſſæ* 56, a, b. *Generationis cauſſa* περιπατητική *Odor in Brutis* 96, a. *Generationi ſtudere quando inconveniens* 167 (c.1) a. *Generationum* 77 Lamechi, *Allegoria* 13, 6.
Gentium tranſmigrationes 187.
Geocoſmi ſtatus poſt Diluvium 192, ſeqq.
Georgia *ſive* Iberia 185, a.
Germanorum *origo* 224, b. 225, a.
Getarum *origo* 224, a.
Γιγαντομαχία 142, b.
Gigantes non à Cacangelis, ſed unde 7, b. 8, a. 10, b. 11, a. *qua in re propriè conſtitit Gigantea natura* 8, b. 12, b. *cujus ſtaturæ fuerint* 8, b. ſeqq.
Gigantum regia ubi ſita fuerit 8, b. 11, b. 22, a. *& in* Tabula: *it.* 174, b. *enormia flagitia* 11, a *&* b. *menſæ* 174, a. 173, a. *carnibus Humanis gravatæ* 6, b. 11, b.
Gigantes *inſidiantur vitæ* Noë 15, a. 25, b.
Gigantes circa Fretum Magellanicum 89, b.
Glis *magnitudine* Felis 66, a, b.
Globi Teraquei ratio quà ambitum, diametrum, &c. 134.
Goliathi *Gigantis ſtaturæ vera ratio* 32, b.
Gomerus Gallus 224, a. Gomeri *ejuſdem nominis filius* 225, a.
Gopher גופר *quam latè pateat in lignis* 18 (c. 2) b. 19, a.
Gordiæi Montes *qui* 159, b.
Graculus *ex* Cornicum *genere* 84, b.
Græcia *an* Cethim 225, a. *in* Græciam *pervenit* Noë 229, b.
Græci *à* Javan 224, a. *primæva nomina gentium corruperunt* 223, b.
Grando quid 132, a. *Grando inter cauſſas mutandæ terræ faciei* 192, a. 194, b.
Gronlandia *noviter à* Danis *detecta* 58, b. *ibi ingentes Piſces cum roſtris* ibid.
Grus 79, a. *quo conſilio ordo* Gruum *in volando nitatur* ibid.
Gryphofalcones 114, a. 116, F.
Gryps 77, b. *de Veterum dubitatur* ibid.
Gula & luxuries primævorum hominum 182, a.
Gummi inter Vegetabilia 20 (c.3) b.

H.

HAbitaculorum in Arca *diſtributio* 45.
Hæmorrhois *Serpens* 55, b.
Hæreſin Prodici *ſecuti quid gloriari ſoliti* 215, b.
Hæretici quid de Arca Noë 2. 28, a, b. 29. 31, b. *Gnoſtici* 31, b, 32. *Sethiani* 209, a.
Halcyon, Halcyonia 92, a, b.
Harpyiæ 114, a.
Hatturia Aſſyria 230, a.
Havilah, Chavilah *potiùs*, Suſiana Perſidis *pars* 202, b.
Hauſtus Metempſychoſeos 175. a.
Hebræis *annos & menſes Lunares uſitatos eſſe* 161, b.
Hebraica lectio 3, b.
Hebraicæ fabulæ 8 (c.2) b. *Vide* Rabbini.
Hellæi *ſtirpis* Enacim 226, a.
Henoch *alio nomine* Adris 217, a. *is* Hermes, b. *literarum inventor* 217, a. Triſmegiſtus 218, a. 219, b. Henochi *cultus & religio erga* DEUM 207, b. *de* Henochi *Fragmento judicium* 10, b. *& plenius* 11, a. Henoch *tot hîc annos vixit, quot dies anni*, 219, a. *hinc quid commenti*, ibid.
Henoch *ubi, Quæſtio* 162, a. 199, b, ſeq. *adde* Enoch, *Libri.*
Herculeum Fretum, Calpe 188, b.
Hermes Triſmegiſtus 216, b. *nomen unde* 216, b. 218, b. 219, b. *duo fuerunt* 217, a. 219, a. 221, a, b. *primus* Henoch *ſeu* Idris *vel* Adris 217, a, b. 218, b. 219, b. ſeqq. *& hujus perſonam aſſumens* Zoroaſter Chamus 219, b. *alter ex, nepotibus* Chami 219, b. 220. Abrahami *circiter tempore* 220, a. 221, b. *Vir ſapiens, Scriba & Conſiliarius* Oſiridis 216, b. 218, a. 219, b. 221, b. *hujus Scripta* 221. b. 222.
Hermes *aliquis*, Melchiſedech 217, b.
Heſperidum *Horti* 200, b.
Heſron, *locus, terræ-motu quid ad* Arcam *ſpectans detexerit* 26, a.
Hetruria *ſic ab* Hatturia *ſive* Aſſyria 230, a, *eam* Noë *inhabitavit* ibid.
Hevila *Regio ubi* 227.
Hippardus *ſpurium animal* 68, b.
Hippopotamus, *amphibion quadrupes* 71, b.
Hyrcania *an* Hadora 227.
Hirco-cervus *ſive* Tragelaphus 68, a.
Hircus *mas* Capræ 62, b.
Hirundo 92, a. hyematio ib.
Hiſpanorum *colonia unde* 224, b.
Hœdus 62. b.
Homicidii vitandi præſidium 175, b.
Homo: Hominis Corpus proportionum & menſurarum ſcaturigo 33, a. *trinarum in eo dimenſionum quæ ratio*, ib. b. *Hominis ſtaturæ ſexta pars Pes* 31, b. *Homini impreſſum Divinitatis characterem bruta venerantur* 169, b.
Homo unde ad peccandum proclivis 169, a. *Hominis in hominem imperium unde, & quale illud ex hoc fonte eſſe conveniat* 169, b. *Hominis infeſti hoſpites, qui, cujus nominis* 52, b. *Hominum commercium per literas* 208 (c.5) a.
Hominum ingenia ut varient pro diverſa cœli poſitione 49, a. 50, a. *Homines in infinitum ſe multiplicantes ante* Diluvium 4 (c.2) b. *an quidam ex Spiritibus & carne nati* 7, b. *Hominum ingenium, victus, fœcunditas, ſtatura & malitia ante* Diluv. 3, a *&* b.
Hominum habitationes in Arca 116, b.
Horrea in Arca 46, a. 47, b.
Humani corporis & Arcæ *dimenſionum proportio* 150, a. *Humanis carnibus Gigantes paſti* 174, b.
Humor Avium ſuperfluus quo à natura deſtinat. 74, b.
Hydrophylacia in Arca 45, b. *intra Montium receſſus* 128, b. 129. Armeniæ *Montium quorſum derivata* 201, b.
Hydroſtatica demonſtratio ponderis Arcæ 143.
Hypotypoſis conſternatorum hominum ingruente Diluvio 124, b.
Hyſtrix *ſeu* Porcus aculeatus 66, b.

I.

Jacob *quot annis cum* Sem *vixerit* 228, b.
Japetus *Cœlo Terrâque natus* 223 (c.9) b.
Japheti *Genealogia* 223 (c.9) a. 224, a. *progenies* ib. *& seqq. transmigratio,*
Japoniæ *natales* 228 (c.9) a.
Javan Ionum *parens* 224, a.
Iberi, Georgiani *hodie, cujus originis* 227.
Iberia *sive* Georgia 185, a.
Iberia, *seu* Hesperia, *Hispania* 224, b.
Ibex *species* Capri 62, a.
Ibides *in quo receptaculo* Arcæ 114, b.
Ictterus *sive* Galgulus 90, a.
Idololatræ de victimæ sanguine *libabant* 175, b.
Idololatria toto Mundo *grassata* 11, b.
Idololatriæ porta ante Diluvium 173, b. *ædes* 174, b. *duces qui, quando* 206, a.
Idololatriæ post Diluvium *instaurator* Chamus 210, b. 213, a. *Idolorum publica servitus superstite* Noë 235, b.
Idola venerea 3, b. & 4, a.
Idris *vel* Adris 219, a, b.
Ignis cultum primum Chamum *docuisse* 210, b. 212, a. 213, a. *Ignis subterraneus Montes resolvit* 189, b. Ignes fœti 163.
Imaginativa vis 95, b. 96. *in Equis, Ovibus, Volucribus* 51, a. 75, b.
Imai *Montis accolæ* Abimaël 227.
Imber continuatus 128. a. *Imbrium triennalium defectu quæ mala* 177, b. *per Imbres, Nives, &c. Montes terrena cute nudari* 194, b. *junge* Pluvia.
Immania scelera hominum ante Diluvium 173, b. 174, b.
Imperii Babylonici *auctor* 230, b. Assyriorum 232, a.
Impietas hominum ante Diluvium 3, b.
Impii per Arcam Noë *ad pœnitentiam vocantur* 2.
Incestus Antediluvianorum 174, b.
Incubi & Succubi dæmones 11, b.
India Or. Ophir & Hevila 227.
Indiarum *Vegetabilia & Sensitiva quantum varient ab* Europæis 49, b.
Indica Pica 89, a.
Indici Passeres 87, b.
Infamis vita, quorum 11, a.
Infœcunditatis periculum regioni imminere unde 194, b.
Ingenium, & constantia in exequendo 222, b.
Insectorum *ortus & species* 51, a, b, seq. 52, b. *an* 30, *an innumerabiles species* 56, b. *coitus imperfectus, & quis ille* 54, a. *Insecta ex seminis rerum in putri materia nasci* 53, a & b. 54, a. 56, a. *Insectorum usus* 54, b.
Insulæ absorptæ 188, a. 189, a. *Insularum in* Chersoneses *trajectio* 190, b. *Insularum in Continentem mutationes, & vice versâ* 189, a. 190, b. 191, a, b. 193, b, seqq. Insulæ gentium *quæ, & quàm latè sumatur* 225, b.
Interpres Osiridis *quis fuit* 219, b.
Ionia *à* Noë *dicta* 229, b.
Josephi *Patriarchæ* σύγχρονοι 221, a.
Iris *quid* 173, a. *etiam ante* Diluvium *visa*, ib. *Iridis Signum post* Diluvium 176-178.
Isis *à quo edocta* 217, a.
Isthmus, *tenuior transitus* 188, b. Isthmi *Pontes quidam sunt* 190, b. *pilæ à Mari paulatim eroduntur* 190, b. Isthmos *in* Peninsulas *abire* 195, a.

Italia Kittim 229, b. Italicæ Nationis *auctor* 225, a, b, *bis.*
Jumentorum provisio in Arca 111, a.
Jupiter Nemrod 230, b. *Jovis* Olympii *Statua* 1.
Justitiæ Divinæ *horrendum Spectaculum* 125, a.
Justi erga Animalia benignos se exhibent 155, b.

K.

Kain, *vide* C.
Kittim *Italia* 229, b. *Romani* 225, a.

L.

Lacerta *quadrupes* 55, a. *num in* Arcam *admissa* 54. a. 56, a. *Lacertarum ortus* 54, a.
Lacus, ubi terra pinguis fuerat 189, a. 191, b.
Lamech *an & qua occasione* Cainum *occiderit* 12, b. 13, a, b. *quem præterea* ib. 22, *a. quot filios habuerit* 13, b. *Pater* Noë *& Propheticus spiritus* 14, b.
Lanigeræ quasi Gallinæ *ubi* 84, a.
Λάϕυρα, λᾶας, λᾶς 142, a.
Lapidum pretiosorum discrimen 95, a. *de Lapidibus pretiosis* Chamum *sub nomine* Zoroastris *scripsisse* 213. b.
Laterculorum usus in scribendo 11, a.
Latium *à* Noë *habitatum* 229, b.
Lentiscus *pater* Aranearum 52, a.
Leo *ferox & ampli pectoris* 60, b.
Leocrocuta, *ex* Leone & Hyæna 70, a.
Leopardus 68. b.
Lex Naturæ, vide Naturæ L. Lex positiva 11, b.
Leges *humanæ societati conservandæ* Sal 218, b.
Lepus *fœcundissimus* 64, b. *caro an improbi succi* 65, a
Libidinis enorme *peccatum* 11, a.
Libri ante Diluvium *scripti* 204, seqq. *ante* Mosen 209, a. Chami *sub nomine* Zoroastris 213, b. 214. *Libri* Henoch *quid continuerint* 5, a. *Fragmentum apocryphum refertur*, ib. b. & 6, seqq. Libri vel potius thesauri *cui, quales* 213, b.
Lignationis ratio in Arca 48 (c.2) b.
Lignorum diversus usus in fabricis 19, a. seqq.
Limum *accumulatum tandem in* petram *durescere* 194, b, seq.
Literarum auctorem Adamum *esse* 4, a. 204 (c.5) a. 208, a. Henochum 217, a. *Literarum commercium* 208 (c.5) *a. Literas habuerunt* Ægyptii *ante* Moysen 222, a.
Loculi cibarii in Arca 119, a, b.
Longævi post Diluvium 222, a.
Ludim *qui populi* 226, P.
Lumbrici *unde nascantur* 52, a.
Luminis intra Arcam *ratio* 148, a, b.
Lupus *insatiabilis* 62, a. *non sustentatur paleis* 107, b, *ejus diurnum in* Arca 108, a.
Lusciniæ *moduli* 92, b.
Lutra *amphibion quadrupes* 72, a.
Luxuriæ peccatum 11, a. *Luxus hominum ante* Diluvium 3, b.
Lybia *in* Africa *nuncupata à* Lehabim 226, S.
Lybies *Ægypti sunt* Ludim 226, P.
Lydi *à* Lud 227.

M.

Macedonia Cethim 225, a.
Machærarum inventor 6. a.
Madai Medorum *conditor* 224, a.
Magellanicus *Anser* 89, b. Magell. *Gigas*, ibid.
Magia: Magiam quis primus homines docuit 6, a. *Magiæ verus inventor* 209, b. *veræ primus corruptor* ib. *unde detorta & per quos* 206, a. *Magicæ artes ante* Diluvium 174, a.

Magiam

Magiam quis post Diluvium *propagaverit, vide* Cham. *Magica in arte præstantes qui Viri* 212, b.
Magistratus 169, b.
à Magog *Getæ, Sarmatæ* 224, a.
Magus, *Sapiens* 212, a.
Magorum oracula, *cui* 213, b.
Malitia hominum summa ante Diluvium 3, b. 11, b.
Malitiam Antediluvianorum majorem fuisse quàm hodiè ex naturali causa adstruitur 11, b.
Mansionum & stabulorum distributio in Arca 45, 46, 47.
Manucodiatæ 114, b. 116, Y.
Mare impetuosâ tyrannide fluxûs quid non efficiat 190, b.
Mare Hyrcanum *sive* Caspium 185, a. *hydrophylacium* ibid.
Mare quasi exsiccatum quando, quomodo 130. b.
Mare ante Diluvium *ubi nunc terra* 4 (c.2) a.
Marium omnium inter se & cum Oceano commercium 195 (c.2) a.
Massagetarum *origo* 224, a.
Mathematica Adamus *docuit* 5, a. *Mathematicarum artium leges ab* Henocho 217, b. *Mathematicor. calculus quoad Aëream mediam regionem* 132, a.
Mathusalem *quot annis cum* Adamo *versatus sit* 228, b. *cum* Noacho 228, a. *ipso anno* Diluvii *mortuus* 119, b.
Mauritania *à* Phut *Phutæa* 226, C.
Mecha *ad quod litus sita* 226, X.
Medorum *pater* Madai 224, a.
Melchisedech, *aliquis* Hermes 217, b.
Melchisedeci *&* Christi *comparatio* 240, a *&* b.
Meleagris *est Gallina* Numidica 86, b.
Memoria Diluvii *apud Ethnicos* 136, seqq.
Memphis *pyra midibus clara* 1.
Mensis Solaris 156, b.
Mensuræ ad perfecti Viri membra & staturam comparatæ 29, b. 32, b. Mensurarum *omnium ratio ab Hordei grano usque ad Milliare* 30, a.
Mercurius *&* Zoroaster *id.* 220, b. Mercurii *tres* 216. a, *varia nomina*, ibid. b. *merita*, ib. a *&* b. Mercurius Trismegistus 164 (c.3) b. *vide* Hermes Trismegist.
Mergorum *receptaculum in* Arca 114, b.
Merops 90, a.
Merulæ *ingenium & cantus* 91, a, b.
Mesopotamia *locus Paradisi* 26, b. 199, a. *& pressius* 199, b. 203, b. Mesopotamiæ *amœnitas* 198, b.
Messias: *de ejus Adventu* Adam 13, b, seq. *personam expressit* Noë 13, a.
Meta, Theometha Elmodad 227.
Metallici luxus in auro & argento auctor 6, a.
Metamorphosis ab arte 75, b.
Μεταμόρφωσις Picæ 89, b.
Metamorphoses variæ Terreni Globi 187, 188, seqq. *maximè per* Diluvium *universale* 192, seqq.
Metamorphoses rerum sub alio cœlo 95, a, seqq. *Vegetabilium & Sensitivorum, prout maxime variat Zona* 49, b. 75, b. 76.
Metaphysica Aristotelis *unde depromta* 218, a.
Metasthenes *quis* 212, b, seq.
Metemphychoseos rudimenta & vera origo 219, a. 121, b. *quale vehiculum aut artificium* 173, a,
Meteorologi 130, a. 132, a.
Μιξογαμίαι impuræ nuptiæ 10, b. 11, a.
Michaëlis *Angeli expeditio ad Antediluvianos* 7, b.
Microscopii experimenta 52, b.
Mille Passus 231, b.
Milliare German. 30, a. 134. Italicum ib. *&* 231, b.
Mineralium ratio 95, a. *Mineralibus accensetur Bitumen* 20 (c.3) b.
Miracula Mundi sileant præ fabrica Arcæ Noëmicæ 1. *Miraculorum refugium* 181, a.
Misia Thraciæ *à* Mes 227.
Mitsraim *filius* Cham *ubi regnarit* 212, a. Misraim Ægyptus 226, B.
Molæ trusatiles in Arca 48 (c.2) b. 110, X.
Monarchæ *filii* Noë 234, a.
Monasterium Nachsevan *ad radices Montis* Ararat 161, a.
Monedula *ex Cornicum genere* 84, b.
Monoceros *sive* Unicornis 58, a, b. *an* Plinianus *&* Scaligeri *unquam exstiterit* ibid.
Mons altissimus 10 *milliarium* German. 134, b. *cum* 15 *cubitis ab Aquis* Diluvii *superatum* 134, 135.
Montium in Diluvio *denudationis Dubium* 158, b. *solvitur* 159.
Mons Apenninus 160, a. *Mons* Ararat 158, b. *in quo requievit* Arca 184 (c.4) a. *& œconomia humani generis instaurata* 179. 184 (c.4) a, b. *non est altissimus* 159, a. *ejus dorsum* 160, a. *Mons* Atho 131, b. Circejus 190, b. *olim insula*, ib. Imaus 227. Moriæ *sive* Calvariæ 26, b. Strongylus 189, b. Vesuvius 189, b.
Montes Alpium 160, b. Americæ *toto Orbe altissimi* 132, a. Paranamisidos 160, a. Pyrenæi *ibid.* b. Riphæi 225, b.
Montes minores post Diluvium *exstitisse & unde* 4 (c.2) a. *montes ex conchyliis coagmentati*, ibid. b. *montium Crateres* 202, a. *occulti canales* 129, b. *hydrophylacia* 128, b, seq. *montium altissimorum catenis Globus Terrenus continetur* 4, a. 192, b. 195, a. *montium à* Diluvio *habitatio* 179, b.
Montes marinis ostreis asperati 235, a. *montium ruinis oppletæ valles* ibid. *montium sceleta & ossa detracto pingui* 192, a, b, 193. *montes terrenâ cuti per Imbres, Grandines, &c, nudari* 194, b. *montes terrâ hausti* 188, b. 189, a *&* b. *montium cacumina exeduntur, consumuntur* 189, b. 190, b. *montium vestigia* ibid. a.
Montium multitudinem terræ infœcunditatem minari 194, b. *junge* Collis.
Monstra in Volucribus & unde 51, a.
Monstrosæ Picæ 89, b.
Monumenta fabricar. fide humanâ superiora 222, b.
Moriæ *Mons* Calvariæ, Adami *&* Christi *morte illustris* 26, b.
Moscoviæ *situs* 224, b. *gentis origo*, ibid.
Mosecha *Cappadociæ urbs* 224, b.
Mosis *Tabernaculum inter tres celebres fabricas in S. Literis* 1. Mosen *annos & menses Lunares sequi* 161, a. Moyse *antiquior* Ægyptiorum Trismegistus 220, b. 222, a.
Motacilla 94, a.
Motus accelerationis 131 (c.4) b. 133, b.
Mulieres an à malis Angelis contaminatæ 6, a. 8, a. 11, a, b. *mulierum fœcunditas ante* Diluvium 3, a.
Multiplicatio Animalium à Diluvio 183, a, b. 160 (c.1) a, b.
Multitudo hominum quid pariat 40, a.
Mulus 61, a. 67, 68. *sterilis* 96, a.
Mundus: *mundi status à* 100 *annis ante* Diluvium 3, a *&* b. *&* 4, 5. *&* 6, a *&* b. *mundus reparatus* 164. *mundi prioris facie abolitâ* 165, a.

Mundus Terreſtris poſt Diluvium *multis partibus immutatus* 4 (c.2) a & b. *Mundi Revolutionis dogma unde prodiit* 219, a.
Muri Babylonici Semiramidis, 1. Ninives 231, b.
Mus: Murium *duplex ortus* 53, b. ſeq. Mures *nullum jus ad* Arcam *habuiſſe* 53, b. 54, a. *ſed ſumſiſſe*, ibid.
Muſcarum *origo* 52, a & b. *affrictus* 54, a. 82, a.
Muſica Cygnæa 5, a. 229, b.
Muſicam quis primus docuerit
Muſtela *audaciſſima & bellicoſa* 65, b.
Muſul *hodie* Ninive 231, a.
Mutationes rerum 188, a. *cujus nos moneant* 188, b. 192, a. *Mutationes rerum ſpatio* 2000 *annorum* 186, b.
Μυδεῳς Perſarum *quis, quid* 212, a.
Myſticus ſenſus Literalem demum ſequitur 198, a.
Mythologi 142, b.

N.

NAchor *cujus artis non ignarus fuit* 212, b.
Nachſevan *Monaſterium* 161, a. 185, a, b. 186, a. *ubi, cujus ſedes,* ibid. a.
Natura in perpetua rerum viciſſitudine 54, b.
Naturæ triplex gradus 95, a. *lucta inter primordia* Cataclyſmi 126, a.
Naturæ Lex ante Diluvium 3, a. *ſpreta & calcata* ibid. b. *Naturæ repugnat vivum animal comedere* 175, b.
Naturæ quoddam ſcelus 189, a. *violentia* 195, a.
Navigationis diuturnæ ærumnæ 235, a.
Navis cum Arca Noë *nihil habet ſimile* 18 (c.1) b. *Navium & Triremium exſtruendarum materiæ quâ totum & partes* 20 (c.2) b.
Nemrod 230, a, b. *gigas* 211, b. Bel & Jupiter 230, b. Turris Babylon. *auctor*, ibid. b. Nemrodi *Genealogia* 211, b.
Neptunus & Rhea *dominium permutantes* 191, b, ſeq.
Nidi volucrum in Arca 116, a. *Nidorum in* Arca *diſtributio* 45, 46, a, b. Nidi *corporis humani* 150, b.
Nilus 190, b. *Niloticæ inundationis cauſæ* 177, b, ſeq.
Ninive, Ninea, *à quo condita* 211, b. 231, a. *ubi ſita fuerit*, ib. & b. *quæ magnificentia & amplitudo*, b. *hodie* Muſul 231, a.
Ninus *an* Beli *an* Nemrodi *filius* 231, a. *aut hujus nepos* 211, b.
Niſibis *Urbs ubi* 226, N.
Nix, quid 132, a.
Noctua 88, a, b.
Noë *Nomen* 14, b. 15, a. *an gigas ſeu enormis magnitudinis fuerit* 9, a. *quot annos* Protoplaſto & Mathuſalæ *convixerit* 12, a, b. 228, a.
Noë *Encomium* 13, b, ſeqq. *ſtupenda illo tempore Continentia* 15, b. *juſtitia* 7, a. *pietas & monendi officium* 15, a, b. *ulterior laus & virtutes: ſumma in* Deum *fides & religio* 167 (c.2) a. *vitæ periculum* 15, a. 25, b. *hoploterium contra* Gigantes 25, b.
Noë *mandatum fabricandæ* Arcæ *accipit* 16, b. *ejus Oratio ad* Deum 23, a. *illuſtratur extra ordinem* 24, b. 45. *prototypi, quod ſequeretur, inſpiratione* 23, a, b. 25, a. *de cætero elevatis naturalibus viribus* 35 (c.10) b. 40, a. *vel quibusdam ſimpliciter prudentiæ ejus relictis, ut quoad ea* 39, b. 47, a, 48 (c.2) b. Noë *enim induſtriæ multa* Deus *reliquit* 148, a. Noë *quâ ætate* Arcam *conſtruere aggreſſus ſit* 27, a. *ejus divina oratio ad Spectatores*, ib. Noë *in commiſſo ſibi negotio cura & diligentia* 146, 147. *ſapientia in exacta rerum diſpoſitione* 109, a. Noë *cœnaculum ſive aula in* Arca 113, a & b. Noë *porrò Præco juſtitiæ ad ſpectatores* Arcæ *jam conſummatæ* 120, b.
Noë *quo anno, menſe & die* Arcam *ſit ingreſſus* 119, a. 179, a. 183 (c.3) a. Noë *Apoſtrophe ad* Deum *circa Ingreſſum Animantium* 122, b, ſeq. Noë *occupationes in* Arca 146, 147.
Noë *ſacrificium poſt egreſſum* 167, a. 168, a.
Noachum *in montanis* Ararat *œconomiam inſtauraſſe* 179. *quo in pago vel loco ibi habitaverit* 26, a. *quid egiſſe putandus per reliquum vitæ tempus* 229. *in* Græciam *expeditio* 229, b. Latium & Hetruriam *incoluiſſe* 229, b. 230.
Noë *Aſtronomia* 180 (c.1) b. Noë Saturnus & Janus 229, b. *Hæres & Rex Mundi* 229, a. 232, b. 233, a.
Noë *comparatus cum* Chriſto 150, b. *cujus typus ob* 12 *cauſas* 233.
Noë *uberius elogium* 234, a, ſeqq.
Noë *quæ mala viderit ante* Diluvium 234, a & b. *in* Diluvio 235, a. *poſt* Diluvium 235, a, b. Babylonem *vidit &* Niniven 234, b.
Noën *poſt* Diluvium *filios non genuiſſe* 184 (c.3) a.
Noë *quotam generationem viderit* 236. *quot annis poſt* Diluvium *ſupervixerit* 229, a. 236. *quot annis cum* Abram *egerit* 228, a. 239. *quo anno* Abrahæ *obierit* 221, a.
Noë *mors* 235, b. *Epitaphium* 236.
Nomenclatura Quadrupedum & Volucrum 101, 102.
Nomina gentium à quibus corrupta 223, b.
Nordſtrandia *Inſula, olim Continens* 188, b.
Notarius Sacrorum ap. Ægyptios *quis fuerit* 219, b. *Notarii Sacerdotes* 214, b.
November triſtis 183 (c.3) a.
Novi Orbis *Vegetabilia & Senſitiva quàm varient ab* Europæis 49, b.
Nubes aqueus vapor 132, a. *Nubes ad tertiam aëream regionem pertingere* 132, a. *Nubes ruptæ flumina evomentes* 130, b.
Nuditas probroſa 233, b.
Numidia *an* Nephthuim 226, T.
Numiſmatum veterum Schemata de Diluvio 138.
Nuptiæ ſacrilegæ quorum 12, b.
Nux Julum *edit* 52, a.
Nycticoraces 116, t.

O.

OBeliſcus *Pamphilius* 4, a. *Obeliſcis quænam inſculpta* 222, a.
Obolitæ, *vide* Bolitæ.
Oceani ultro citroque molientis violentia 191, b.
Odor in brutis ad quid impellens 96, a.
Oggi *Gigantis fabula ante & poſt* Diluvium *ſuperſtitis* 9, b. *is Rex* Baſan, *ibid. &* 32, a. *ejus lecti & ſtaturæ vera ratio* 32, b.
Ogygium Diluvium 137, a. *ubi, quando & quantum* ibid. & b.
Olympus M. 131, b.
Onager 61, a, b.
Onocrotalum *refert* Picæ *genus* 89, a.

Ὀνοκένταυρος, *qui nonnullis* Pelecanus 81, a, b.
Operarii Arcæ Noe *exstruendæ* 25, a. *Operarum distributio* ibid.
Ophir *ubi* 227.
Oppressionis enorme peccatum 11, a.
Orationes 4 Noë, *vide ibi*, N.
Origenis *error* 28 (c.8) a, b.
Ornithologi 77, a. 87, a. 88, a. 89, b. 90, b. 93, b.
Ornithotrophium in Arca Noë 112, a. 113, b. 114, a. 116.
Ortygometra, Coturnix 87, a, b.
Osiris *seu* Idris *vel* Adris *Termaximus* 219, b. Osiridis *viva Imago* 58, a. Osiridi *à consilijs* 216 (c.7) b. Osirides *plures & cur* 210, a, b.
Ossifraga, Aquila 76, b.
Ostium in Arca Noë *quantum suffecerit* 40, b.
Otus Noctua 88, b.
Ovidius *de* Deucalionio Diluvio 125, b.
Ovis *timida, innumeras præstans utilitates* 62, b. 63. Ovium *usus & numerus in* Arca 108, a, b. 109, H. Oves Europææ *in* India *gibbescunt* 49, b.
Ovi *generatio & natura*, 75, a. *Ova aviumsubventanea quæ* ibid, *Ova supposititia* 75, b. 84, a. *Ova Gigantum* 174, b. *seu quid instar Ovorum comederint* 11, b.
Oxia Bactriana *est* Uzal 227.

P.

PAlæstina *sic à* Philistim 226, Y.
Παλαιστὴ, δεκμὴ 30, b.
Palatina Rupes *ut decreverit* 190, a.
Παλιγγενεσίας *semina* 219, a.
Palmus 4 *digitorum* 30, a, *Palmus Romanus* 145, a.
Palmyrena *an* Dedan 226, I.
Pantheon *ut subsiderit* 190, a.
Paphlagones Riphæi 224, b.
Papilionum inventio 174, b.
SS. Patres excusantur 97, b.
Paradisus *alicubi in* Assyria *fuit* 22, b. *in* Mesopotamia 26, b. *tertio die conditus* 197, b. Paradisi 4 *fluminum fons* 201, b. Paradisum *in statu innocentiæ fuisse facile totum Orbem* 204 (c.4) b.
Parallelobipedum obliquangulum 41, a. 42, b.
Pardus *pulchrè pictus* 62, a.
Parix *canora* 93, b. 94. Parices *in receptaculo* Arcæ 114, b.
Parnassus Mons 138, a. 140, b.
Pari, *in aviario* Arcæ 114, b. 116, T.
Passer 87, b. Indicus *ibid.*
Pastor primus 12, b. 13, a. *Pastoritiæ artis magister* Noë 229, b.
Patriarchæ primævi Adamo *vicini habitarunt* 198, b. *etiam post* Diluvium, *in Regione* Eden 201, a.
Patriarcharum ab Adamo *usque ad* Sem *quot*, *& cum quo*, *quisque vixerit annis* 228, a, b. 229. *Patriarcharum omnium exactior Chronologia usque ad mortem* Noe 238.
Pavo *quàm pulcher* 82, a. *tam libidinosus*, b. *falsum quod tradunt de conspectu pedum* 83, b. Pavoni, Indica Pica *non dissimilis* 89, a. Pavones *candidissimos qua arte obtineas* 51, a. 75, b. Pavo-gallus *seu* Gallus Indicus 83, a. 86, b. a.
Pacis genius aut figura 170, b.
Peccata enormia 11, a. *Peccatorum gradus* 3, b. *peccatorum elutæ sordes* 163. *fœtor*, ib. *Peccatis quid in propinquo* 140, a. Junge *Luxuria, Malitia, Scelera*, &c.
Peccandi proclivitas in homine unde 169, a.
Pediculorum *generatio* 52, b.
Peguina ales 89, b.
Πελαργίζειν 80, a.
Pelecanus, *qui nonnullis* Ὀνοκένταυλος 81, a, b. *Pictorum & Poëtarum fabulæ de hoc*, ibid. b.
Pellium in scribendo vetustissimus usus 205, b.
Pellucidum os rostri 89, a.
Penaria in Arca Noë 47, b. 48, a. 106, 107, 109.
Peninsulæ ex Insulis transmutatæ 190, b.
Pennigerorum animalium caussæ 74, a, b.
Perdix *pro Regione variat* 86, b. 87. *quomodo Spuria ab ea quæ Speciem servat discerni possit*, 87, a. Perdicum *usus ante* Diluvium 172, a, b.
Peregrinæ aliquot aves 114, a.
Persæ *sunt* Elamitæ 227. Persarum *olim Lingua quæ* 212, b. 213, b. Persarum Μυθεῖς *quis, quid*, 212, a.
Persiæ *etymon* 213, b.
Pertica 10 *pedum* 30, a.
Pes 4 *palmorum* 30, a.
Petra ex grumis Arcæ Noë 186, b. 187, b. *Petra quæ olim clivi, hi ex accumulatione limi* 124, b, seq.
Phantasticæ facultatis ludibria 200, a.
Pharos *olim* Ægypti *in medio maris* 190. b.
Phasianus *quis* 85, a.
Phengites lapis 39, a.
Philonis *error* 121, a.
Philosophia Chaldæorum Græcâ *perfectior* 215, a. *Philosophia* Græcorum *quibus natales suos debeat* 218, a.
Philtra ante Diluvium *unde miscebantur* 174, a. 175, a.
Phoca *quadrupes amphibion* 73, a.
Phœnicurus, *avis*, *à* rubra cauda 93, a.
Phœnix, *figmentum* 96, b. 97.
Phryges *à quo oriundi* 225, a.
Phutæa *seu* Africa Mauritania 226, C.
Physiologiam docuit Noë 229, b.
Pica *garrula & furax* 88, b. *rostri ratio in* Brasilienfibus 89, a.
Picus Martius 90, a.
Pingue agris inditum cum tempore evaporare 194, b.
Pinnæ Piscium alæ, & vice versa de Avibus 74, b.
Pini & Abietis antipathia 20 (c.2) b.
Piper in Hederam degenerans 50, a.
Pix quomodo differat à Bitumine 20 (c.3) b.
Planetarum Syzygia in inundationibus 128, b. 131, a.
Plantæ variant pro cœlo 76, a. *metamorphoses* 95, a, b. *Plantæ ex* India *in* Europam *translatæ*, *& vice versâ, ut degenerent* 50, a. *Plantarum usus infra carnem* 172, a.
Plato *Philosophus & Politicus*, *unde talis* 218, a.
Platonicus Annus unde profectus 219, a.
Plinii & Scaligeri Monocerotem *in natura non reperiri* 58, a, b.
Pluvia ante Diluvium 173, a. 176, a. *ejus utilitas & necessitas* 177, a, b. *Pluviæ ubi generentur* 130, a. *Pluvias vel in tertia aërea regione generari posse* 132, a. *& supra quosvis altissimos Montes*, ib. & b. *Pluviæ & nives montium bases corrodentes* 190, a. 192, a. *vide &* Imber.
Pœnitentia de DEO *quomodo dicatur* 4 (cap.1) a. *Pœnitentiæ vox ab* Arca Noë, 2. *Pœnitentiæ præconium per* Noë 27, a, 28.
Poëtæ unde sua de Japheto & Titanibus *hauserint* 223 (c.9) b, seq.

Poli-

Politica Platonis *unde hausta* 218, a.
Polygamiæ introductio 12, b. 13, a.
Pondus totius Arcæ Noë *quot libras pependerit* 146.
Pons sublicius, pro Animalibus, ad Arcam Noë 40, b. 123, b. 166, a.
Porcus *vorax & lascivus* 63, a.
Praadamitæ 196, b.
Præsepia in Arca 19, a, b. 47, b.
Primævorum post Diluvium *ingenium, & constantia in exequendo* 222, b.
Primigeniæ Species 81, a. *quibus opponantur*, ibid. *vide* Species. *Primigenias Avium species ab accidentariis dignoscendi ratio* 94, b.
Principes & Monarchæ filii Noë 234, a.
Prisma cujus dimidium 42, b.
Prodici hæresis 215, b.
Proportio Arcæ Noë *& Humani corporis* 150, a. *Proportio motûs accelerationis* 131 (c.4) a. 133, b.
Psalmum 88 *&* 119, *ad quos* Hebræi *referant* 208 (c.6) b.
Psittaci *dotes* 87, b. Psittaci *variant* 88, a.
Ψοθοφανὴξ *apud* Ægyptios *qui* 210, b. 212, b.
Ptyas *sputo extinguit* 55, b.
Pulicum *hospitium* 52, b.
Putre spermaticum subjectum generationis 52, a. 53, a, b. 56, a.
Pygargus, Aquila 76, b.
Pyramides per Chami *progeniem erectæ* 222, b. Ægypti *prodigiosæ structuræ* 186, a. *barbara* Memphis *miracula subducant se* Arcæ Noë 1.
Pyrenæi *Montes* 160, a.
Pythagoras *unde sua hausit* 218, a.

Q.

Quadratum 150, a, b. 152, a.
Quadrupes Animal perfectum describitur 56, a.
Quadrupedum variæ classes 49, a. *Quadrupeda ex promiscuo Specierum coitu* 67, a, seqq.

R.

Rabbini superstitiosi quid defendant 11, a, b. *de castratione* Noë 184, a. *de fenestra in* Arca Noë 38, b. *Rabbinorum fabula de Luctu* Noë 119, b.
Ranarum *ortus* 53, a. 56, a. Ranis *an jus ullum ad* Arcam 53, b, seq. 56, a.
Regendus ab alio qui non regitur à se 169, b.
Regulus *rex Avium, unde* 94, a.
Religio, ante & post Diluvium, *per quos propagata* 228, b. 229, a *&* b. *vide* Cultus.
Reptile *quid, & innumerabiles species* 47, b. 52, a. *Reptilium duplex ortus* 48 (c.3) b, 49. *triplex nascendi via* 95, a. b, 96. *Reptilia quatuor pedum* 55, a. *jus ad* Arcam 53, b. 54, 55, a. 56, a. *Reptilium stabula aut locus in* Arca 104, b.
Resina differt à Bitumine 20 (c.3) b.
Revelatio Adæ 206, b.
Reverentia 240, a.
Rex: Reges nulli Antediluvianos coërcuerunt 11, b.
Rhinoceros Elephanto *minor* 59, a. Rhinoceroles unicornes 58, a.
Rhodii *à* Dodanim *fil.* Javan 225, b.
Ricinorum *genitor* 52, b.
Riphat, *unde* Riphæi 224, b, seq.
Roma *quando condita* 137, b. Romæ *veteris* 66 *templa* 186, b.
Rostrum acinacis instar 91, a. *Rostrum* Picæ Brasilensis 89, a. *Rostri cornu* 89, a. *sacculus* 81, b.
Rostra Piscium pro Unicornium venditari 58, b.
Rubecula, *canora* 93, a.
Rubeta *quadrupes* 55, a. *an jus ad* Arcam *habuerit* 56, a.
Ruminans animal 99, b. 101.
Rupicapra 62, a *&* b.
Ruta antidotum 65, b.

S.

SAbæa *à* Seba *sic dicta* 226, E *&* H.
Sabtha *Regio qua, & à quo sic dicta* 226, F.
Sacarum *Regio* Seba 227.
Sacculus rostro Avium affixus 81, b. 89, a.
Sacrorum Notarius ap. Ægyptios 219, b.
Sacerdotes Chaldæorum Notarii & Historici 214, b.
Sacrificium Noë 167, a.
Sal humanæ societati conservandæ Leges 218, b,
Salamandra *an ab* Arca *rejicienda* 56, a.
Sanguis quid 175, b. *Sanguinis esum cur* Deus *&* Apostoli *inhibuerint* 173, seq. 175, b, seq. *quid hic* Græci *&* D. Thomas 175, b. 176, a.
Saraceni *an* Chasluhim 226, X.
Sarmatæ *ab* Hazarmavet 227. Sarmatarum *porrò origo* 224, a. Sarmatia *sive* Scythia 224, b.
Sauromatæ *ab* Hazarmavet 227.
Satanica Cainitarum *improbitas* 234, b.
Saturnia *est* Latium 229, b.
Saturnus *&* Janus *est* Noë 229, b. Saturni *filius & scriba, quis* 216 (c.7) b. Saturni *plures, & quæ dignationis ratio* 210, a.
Saxea moles è quibus tandem 186, b.
Scalæ in Arca 147, b.
Scelera primævi Mundi 27, b. 173, b. 174, b. *Scelerum fastigium & barathrum ante* Diluvium 3, b. 11, a *&* b.
Scintillas ex astris quis carmine elicuit 210, b, seq.
Sciurus *mundus, inquietus* 65, a.
Scorpionum *generatio* 53, a.
Scriba & filius Saturni 220, a.
S. Scripturæ *simplicitas & sinceritas* 182, b. *ejus veritati contradicentes*, 2. *S. Scripturam loco cujusvis Historiæ habentes* 103, a.
S. Scripturæ *loca aliquot* illustrata: Et fluvius egrediebatur ex *Eden*, & divid. 201, a, b, 202. Iste cœpit invocare Nomen *Domini* 207, b. Filii Dei, filii hominum 8, a. 12, a, b. Ambulavit cum Deo 14, b. Iste consolabitur nos, 14 (c.5) b. Ex omnibus animantibus universæ carnis bina induces in *Arcam* 51, b. Tolles septena & septena, duo & duo 98, a, b. obtinuerunt aquæ terram 150 diebus 156 (c.8) a, b. 158, a. Et requievit *Arca* 158, 159. adduxit *Dominus* spiritum super terram ad exsiccandas aquas 156. Fontes Abyssi magnæ & Catarractæ Cœli 127. Ingredieris *Arcam* tu & filii tui, *&c.* Egredere tu & uxor tua, *&c.* 166, b, seq. *Nemrod* cœpit esse potens in terra 230, a, b.
Scytale *parvus Serpens* 55, b.
Scytharum *ad* Riphæos *Montes origo* 225, a.
Scythia *sive* Sarmatia 224, b. Scythia *intra* Imaum *est* Dikela 227.
Seba *Sacarum* Regio 227.
Secretissimarum rerum, sive licitarum sive illicitarum, inventores ut dicti 212, b.

Σώτηρ Noachus, *cui* 136, b.
Selebii Scheseph 227.
Selenites *lapis* 39, a.
Semi *virtutes* 234, a. 240, a. *diutissimè vixit* 239, 240, a. *ad quotum* Jacobi *annum pervenit* 228, b.
Semi *Genealogia* 223, a. 227.
Semi, Chami & Japheti *progenies quàm longæva fuerit* 221, a.
Seminum provisio in Arca 111, a.
Seminium universæ Naturæ in Arca Noë 122, a.
Semiramis & Abraham σύγχρονοι 211, b. Semiramis *quomodo* Babylonem *condidisse intelligenda* 230, b. Semiramidis *Babylonici muri*, 1.
Semixas *princeps olim malorum Angelorum inter homines* 6, a.
Sennaar Babylon 22, b.
Sensitivorum dispar conditio pro alio atque alio cœlo 49, a, seqq.
Sensus Mysticus & Anagogicus 97, b. *Sensus Mystico-allegorico-tropologicus* Arcæ Noë 149-154.
Sentinæ ratio & locus in Arca Noë 36, b. 45, b. 47, a. 106, a. *pondus* 144, b. 145, a, b.
Seps *putris* 55, b.
Septem dies conditi Mundi & totidem ante Diluvium 120, a.
Serpens: Serpentum generatio 53, a. *species* 55, a. *Serpentes quidam innoxii, & quibus familiares* 55, b. *Serpentes alis cartilagineis* 74, a. *incredibilis magnitudinis* 56, a. *Serpentum usus*, 54, b. 55, a.
Serpentes in Arcam *fuisse admissos* 54, a, b. *Serpentum genera ad* Arcam *erumpentia* 122, b. *locus in* Arca 104, b.
Seth *quos libros scripserit* 205, b.
Sethiani Cainitis *conjugio mixti perdendo Mundo occasionem dant* 22, a. 27, b.
Sethiani *hæretici* 209, a.
Sexus discrimen in Lumbricis, *Julis, &c. nullum* 52, a.
Siccitas, vide Ἀνομβρία, *Pluvia, Imber.*
Sicilia *quondam Continens* 188, b. 190, b.
Sidera inter causas particularis Diluvii 128, b. *non Universalis* 131, a.
Sideralis scientia filiorum Seth 205, b.
Sidonii 226, a.
Simia *canda carens* 66, b, 67. *summa hujus Speciei varietas* 67, a.
Siphones ad aquas derivandas in Arca 45, b.
Sirenum *Monstrum* 73, a.
Sodomia Antediluvianorum 174, b.
Sodomitæ *in proprias foveas cadunt* 21, b.
Solaris Annus & Mensis 161, a, b.
Solidum, Cubus 144, b.
Species Animantium quot 47, b. 48, a. *Species primigeniæ* 96, b. *Junge* Animal. *Specierum Volucrum major cognatio quàm Quadrupedum* 75, a, b. *Species variare pro diversis Climatibus* 75, a & b. 76. *transformationes* 196, b.
Species unius gradus inter Volucres quantopere discedant 86, b. *Specie non differunt* Anas *domestica vel sylvestris* 84, a. *Speciei unius Aves quomodo dignosci queant* 87, a. Species *Avium primigenias discernendi generalis modus* 94, b.
Species Insectorum, quot, an innumerabiles 56, b.
Species Animalium in Arca Noë 48, 49, seqq. *Species animantium primigenias tantum in* Arcam *fuisse admissas* 49, 50, 51. 75, a & b. 81, a.
Species Quadrupedum ex promiscuo coitu, 67-70. *in* Arca *conservatæ non putantur* 67.
Spiracula in Arca Noë 48 (c.2) b. 113, a. *quantus eorum usus* 148, a.
Spiritus siccans *Diluvii* aquas *Ventus fuit extraordinarius* 157, a, b.
Spiritus mali inter homines versantes 5, b & seqq. *sed occulte & per illusiones*, 11, a, b.
Spithama 3 *palmorum* 30, a.
Spuria animalia, *vide* Animal. *Spuriæ aves quo experimento discernantur* 87, *a.*
Stabula pro Animalibus in Arca 103, 4. *Stabulorum distributio* 45, 46, 47.
Stabula & ornithotrophia in Arca *quantam ordinantis sapientiam arguant* 45, 46. *Stabulorum Pinax* 105.
Stadium *quot passuum* 30, a. 231, b.
Statica ars 159, b.
Status rerum centum retro annis ante Diluvium, 3, 4, 5, & seqq.
Stellarum numerus 103, a,
Stellas deducendi ars 6, b. 174, a.
Stellio quadrupes 55, a. *an in* Arcam *admissus* 56, a, b.
Stercoraria 133, a.
Sterilis agri prodromi 194, b.
Stibii varios usus & fucos quis docuerit 6. a.
Struthocamelus, *stolidus* 78, a, b.
Stryges, *ex* Noctuis 88, b.
Sturnorum *receptaculum in* Arca 114, b.
Subscudes in colligationibus 42, b.
Substructiones ædificandorum 36, a.
Suggrundiorum canales in Arca 111, b.
Supellex varia in Arca Noë 46 (c.1) b. 48. a.
Susan Persidis 227.
Susii *ab* Arphassad 227
Sylvæ *Montis* Libani & Mesopotamiæ *inter p.* 22 & 23 Mappa.

T.

TAlparum *geminus ortus* 53, b. seq. Talpas *nullum jus ad* Arcam *habuisse* 53, b, seq.
Tarsus & Cilices *quo auctore exstiterint* 225, a.
Tartarorum *prima origo* 228 (c.9) a. Tartarorum *Magnus* Cham *quo venatore & aucupe maximè delectetur* 77, b.
Taurus *sive* Bos 58, a.
Taurus M. 133, a.
Tayus *somniculosus & piger* 66, a.
Τίχιαρχος *opuleneo Principe dignum* 44, b.
Τελεσιουργικὸν 215, a.
Telluris morbi 188, a. *mutata facies* 191, b. 194, a. *Telluris rimæ* 129, b.
Tempestates Diluvii 124, a. 126, a.
Templum Salomonis 1.
Temporum injuriæ tandem ægrè resistitur 186, b.
Tenebræ initio Cataclysmi 124, b.
Tentationis proventus 142, b.
Terceræ & Canariæ *Insulæ* 191, b.
Terra ante Diluvium *plana non fuit* 4 (c.2) b. *Terræ Globus dimensus* 134. *Terrarum Orbem & interne & externè varias mutationes subire* 188, a. junge *Geocosmus Tellus.*
Terræmotûs effectus 195 (c.2) *a.*
Terreni Globi Juventus, ætas Media, Senium 194, b.
Terrestres partes a Diluvio *cum Mari stationem permutarunt* 4 (c.2) *a. Terrestres quisquiliæ* 193, a.
Terrestrium quisquiliarum ἀπόρροια 54, b. 179, b. 181, a.

Testu-

Teſtudo 72, b. *non eſt amphibion* ibid.
Tetraon 85. b.
Thamnin *pagus cujus ſedes fuerit* 26, a.
Thare *quam artem calluerit* 212, b.
Thautus, Thoth, 216 (c.7) b. 220, b.
Theometha, vide *Meta*.
Theſeus *in* Upupam *transformatus* 91, a.
Thiras Thracum *pater* 224, b.
Thoth, Adris 220, b.
Thracum *origo* 224, b.
Tigris Felis *formâ* 60, a.
Tonitrua, fulgura & fulmina initio Diluvii 124, a.
Tragelaphus *ſive* Hircocervus 68, *a.*
Tranſmigratio gentium 187. *per progeniem* Japhet 223, ſeqq.
Tranſmigrantium curiæ 224, b.
Tranſmutatio, vide *Metamorphoſis*.
Triſmegiſtus, *vide* Hermes.
Tritici metamorphoſis 95, a.
Troglodytarum *origo* 226, R.
Tubalem Hiſpanis *originem dediſſe* 224, b.
Tubalcain *faber* 229, b.
Turcæ *an a* Gomer *nepote* Noë *proceſſerint* 225, *a.*
Turdi, *deliciæ menſarum* 90, b. *marini ex* Fulica, *ib.*
Turris *condendæ* Babylon. *auctor* 230, b. *Turres* Ninives 231, b.
Turtur 85, b.
Tyrannus Nemrod 230, b.

V.

Vapores in deſertum aëreæ regionis quâ copiâ deducti 130, b.
Vegetabilium diverſa conditio, unde 49, a. ſeq. 75, b, 76.
Venator 230, b.
Venenatarum animantium uſus 54, a.
Venerea idola 3, b & 4, a.
Ventus in exſiccandis Diluvii *aquis non merè naturalis* 157, a, b. *Ventorum generatio* 157, b.
Veris amœni pictura 183 (c.3) a.
Veſicam Aves non habent 74, b. *cur* ibid.
Veſpertilio Mus volatilis 74, a.
Viciſſitudines rerum, vide *Mutat.*
Vinum novum quæ Inſecta generet 52, a. *Vini uſum etiam ante* Diluvium *obtinuiſſe* 180. 182, a, b.
Viperæ *deſcriptio & utilitas* 55, a.
Vir bonus 142, b.
Viſio beatifica 203, b.
Vita in quo conſiſtat 175, b. *Vitæ curſus magnis caſibus exercitus* 236.
Vita omnium Patriarcharum uſque ad Jacobum 228, a & b, 229.
Vitium plantandarum proviſio in Arca 111, a. 181, a.
Vitiorum barathrum 234, b.
Vitulus Marinus *ſeu* Phoca 73, a.
Viverra *avaritiæ ſymbolum* 65, *a.* 66.
Ulna menſura 36, a.
Ulula, Noctua *eſt major* 88, b.
Uncia 3 *digitorum* 30, a.
Ungulam ſolidam habens Animal 99, b. 101.
Unicornis *ſive* Monoceros 58, a.
Volatile latiùs patet quàm Avis 74, a. *Volatilium varietas* 49, a. *monſtra, & unde*, 51, a, b. 75, a, b.
Volatilium acceſſus ad Arcam 122, b.
Volucrum Nomenclatura 102. *ſpecies* 48 (c.2) a. 74, b. *Volucrum ſpecies ſunt ſibi maximè affines* 75, a, b. *Volucrum diverſi colores ut procurentur* 51, a. 75, b.
Volucrum interitus in Cataclyſmo 125, a.
Volucrum caveæ in Arca 46, b.
Voluptas 162, b. 166, b. *Voluptatis & libidinis laxatæ habenæ* 3, b.
Upupæ *pulchritudo* 91, a. *fœtor*, b.
Ur Chaldæorum *in Regione* Eden 201, a. *ab Ignis cultu ſic dicta Urbs* 212, b.
Urbes vitæ humanæ neceſſariæ 4, b. *à quo primæ exſtructæ*, ibid. *præter unam omnes ex hominum memoria deletæ*, ibid. *Urbes alluvione Maris ſubmerſæ* 191, a, b. *Terræ hiatu abſorptæ* 188, a. 189, a & b. *Urbium celebrium poſt* Diluvium *fundatores* 230, ſeqq.
Urogallus 85, b.
Urſus *etiam formicis veſcitur* 60, b.
Vulcani *tyrannis* 189, a.
Vulpes *callida & detrimentoſa* 64, a, b.
Vultur 76, b. *homines & equos invadit* 77, a. *alæ quot pedum*, ibid.

W.

Wolckenbruch 130, a.

X.

Xylophytorum *generatio* 53, a.

Z.

Zodiaci Minutum *unum* 218, a,
Zonæ Torridæ naſcentia 49, b. *Zonæ Frigidæ* 50, a. *Temperatæ* ib. b. 96, a. *Zonarum diverſitas mutat ingenia Vegetabilium & Senſitivorum* 49, a, ſeqq.
Zoologi 56, b. 76, a. 104, b.
Zoroaſtres: *etymon* 209, b. 210. 212, a, b. Zoroaſtræ *quot numerentur* 209, a, b. *cur ſic plures* 210, a. 212, a, b. Zoroaſtren *fuiſſe* Chamum *filium* Noë 210, a, b. Zoroaſtræ *librorum, quanta auctoritas* 215, b.

INDEX
FIGURARUM,

Suis locis à Bibliopego inſerendarum.

EFfigies *Regis Hiſpaniæ* ante Dedicationem.

Deſcriptio Regionis *Edeniæ*, *pag.* 22.

Typus laborum in exſtruction. *Arcæ*, 28.

—— Subſtructionis *Arcæ*, 36.

Contignatio ſive oſſatura primi pavimenti, 38.

Arcæ in 3 contignationes diviſæ Figuræ III. 47.

Projectio Optica *Arcæ* ſecundum longitudinem, 48.

—————— & latitudinem, *ibid.*

Icones Serpentum, 54.

Ornithotropheion, 108.

Optica projectio trium *Arcæ* contignationum, tribus Tabulis, 116.

Ingreſſus Animantium intra *Arcam*, 122.

Miſerabilis hominum ſtatus in principio *Diluvii*, 127.

Diluvii ante diminutionem aquarum ſtatus, 154.

Typus *Arcæ* quieſcentis, 159.

Sacrificium *Noë* poſt *Diluvium*, 168.

Geographia conjecturalis de Orbis poſt *Diluvium* transformatione, 192.

Topographia *Paradiſi*, 197.

Tabula Geographica Diviſionis gentium, 223.

Arbor Genealogiæ *Noëticæ*, 227.

ERRATA

Quædam Typographica, quæ abſentiâ Autoris irrepſerunt.

Pag. 198, *columna* b, *lin.* 42. *poſt*, nam uti Libro primo diximus, *ponatur*, *Lamech*, hoc loco non intelligi patrem *Noë* ex ſtirpe *Seth*, ſed *Lamech* ex ſtirpe *Cain*, qui duas ſibi ſumpſit uxores *Sella* & *Ada*, & ex illa quidem genuit *Tubalcain*, qui fuit malleator, & faber; & *Noëma* ſororem; ex *Ada* vero ſuſcepit *Jabel* qui fuit pater habitantium in tentoriis, & *Jubal* qui fuit pater canentium in organis, &c. quemadmodum in Genealogia videre eſt.

Pag. 210, *col.* a, *lin.* 16. *poſt hæc verba* cui congruit etymon Perſicum, *ponatur* بستان الدنيا, id eſt, *Hortus Mundi.*

In Indice, voce *Lamech* ante *pater Noë* ſic leg. *Lamechi duo*, 13, a. *alter pater* Noë, *ibid.* & 238, a. *ejus Prophet. ſpiritus.*

ELENCHUS LIBRORUM
A
P. ATHANASIO KIRCHERO
è Societate JESU, editorum.

1. *Magnesia* sive Concluſiones experimentales de effectibus Magnetis, edita Herbipoli 1630, in 4.

2. *Gnomonica Catoptrica*, ſive Horologiographia reflexa, quà per ſpecula totius primi Mobilis doctrina, horarumque ductus in interioribus Domuum parietibus delineati, radio reflexo demonſtrantur. Avenione 1634. in 4.

3. *Specula Melitenſis Encyclica*, hoc eſt, Syntagma novum Inſtrumentorum Phyſico-Mathematicorum. Meſſanæ 1638. in 8.

4. *Prodromus Coptus*, in quo tum Linguæ Coptæ ſive Ægyptiacæ, quondam Pharaonicæ, origo, ætas, viciſſitudo, inclinatio, tum Hieroglyphicæ literaturæ inſtauratio, nova methodo exhibetur. Romæ 1636. in 4.

5. *Ars Magnetica*, qua Magnetis natura, ejuſque in omnibus uſus explicatur, ac præterea è viribus Magneticarum motionum in Elementis, Lapidibus, Plantis, Animalibuſq; eluceſcentium, plurima nova hucuſque per varia experimenta recluduntur. Romæ primò in 4. dein Coloniæ: ultimo iterum Romæ, pluribus aucta, 1654. in fol.

6. *Lingua Ægyptiaca reſtituta*, qua Idiomatis primævi Ægyptiorum Pharaonici vetuſtate temporum pœnè collapſi, ex abſtruſis Arabum monumentis inſtauratio continetur. Romæ 1643. in 4.

7. *Ars magna Lucis, & Umbræ*, in duos Tomos diviſa, quà Lucis & Umbræ in univerſa Natura vires effectuſque, nova reconditorum ſpecimínum exhibitione, ad varios rerum uſus panduntur. Romæ 1646. in folio, quæ nunc multiplici novarum inventionum augmento denuo prodiit à Janſonio Amſtelod. 1671. in folio.

8. 9. *Muſurgia*, ſive *Ars magna Conſoni & Diſſoni*, qua Muſicæ Theoricæ & Practicæ ſcientia traditur: Conſonique & Diſſoni vires effectuſque mirabiles in Natura, in omni pœnè facultate demonſtrantur. Opus in duos Tomos diviſum. Romæ 1650. in folio.

10. *Obeliſcus Pamphilius*, in foro Agonoli (vulgò *Piazza Navona*) erectus: in quo Veterum Theologia Hieroglyphicis involuta ſymbolis è tenebris in lucem aſſeritur. Romæ 1650. in fol.

Oedipus Ægyptiacus, in quatuor Tomos diviſus, quorum

11. *Primus*, dicitur *Templum Iſiacum*, quo ad originis, progreſſus, durationis, Ægyptiacæ ſapientiæ ac Hieroglyphicæ inſtitutionis notitiam portæ reſerantur. Romæ 1652. in folio.

12. *Secundus*, dicitur *Gymnaſium Ægyptiacum*, quo veterum Hebræorum, cæterorumque Orientalium recondita ſapientia, temporum injuria perdita, per contextum Sacrarum Sculpturarum demonſtrata inſtauratur. Romæ 1653. in folio.

13. *Tertius*, Variarum Artium veteribus Ægyptiis uſitatarum Claſſes continet, & ſunt Arithmetica, Geometria, Muſica, Aſtrologia, Mechanica, Alchimia, Magia, Theologia Ægyptiaca, unà cum Hieroglyphicis exhibita.

14. *Quartus*, dicitur Theatrum Hieroglyphicum, & continet Obeliſcorum, cæterorumque Hieroglyphicorum monumentorum, quæ tum Romæ, tum in Ægypto, ac celebrioribus Europæ Muſeis adhuc ſuperſunt, Interpretationem. Romæ 1654. in folio.

15. *Iter Ecſtaticum Cæleſte*, ſive Mundi Opificium, quo Cœli Siderumq; tam errantium, quàm fixorum natura, vires, proprietates, compoſitio, & ſtructura ſub ficti Raptus integumento ad veritatem exponitur, Romæ 1656. in 4. Poſtea à P. Gaſpare Schotto variis commentationibus illuſtratum, proſtat Norimbergæ.

16. *Iter Ecſtaticum Terreſtre*, ſive Geocoſmi Opificium, quo Terreſtris Globi ſtructura, arcanarumque in ea partium conſtitutio, Figmento ad veritatem compoſito exponitur. Romæ 1654. in 4

17. *Scrutinium Phyſico-Medicum*, ſive de Peſte, quo ejuſdem origo, cauſæ, ſigna, prognoſtica, & inſolentes malignantis Naturæ effectus, & appropriata remedia demonſtrantur. Romæ 1658, in 4. & Lipſiæ recuſum ſub forma 12.

18. *Diatribe de Crucibus Neapolitanis*, quæ ibidem, tum ſupra veſtes hominum, tum potiſſimum ſupra lini ſupellectilem, paulò poſt ultimum Veſuvii incendium comparuerunt. Romæ 1661. in 8.

19. *Polygraphia*, ſive Artificium linguarum, quo cum omnibus totius Mundi populis, & linguis unuſquiſque; licet non alia, quàm materna lingua inſtructus correſpondere poſſe demonſtratur, cum multis aliis ad Steganographiam Trithemianam pertinentibus arcanis. Romæ 1663. in folio.

20. 21. *Mundus Subterraneus*, in quo univerſæ Naturæ majeſtas, & divitiæ, ſumma rerum varietate, exponitur, abditorumque effectuum cauſæ in totius Naturæ ambitu eluceſcentes duobus Tomis demonſtrantur. Amſtelod. 1664. in folio.

22. *Hiſtoria Euſtachio-Mariana*, qua Vita, Genealogia, & Locus Converſionis S. Euſtachii, nec non Eccleſiæ jam in Urbe, in eodem Converſionis loco, Deiparæ, & S. Euſtachio à Conſtantino Magno dedicatæ origo deſcribitur. Romæ 1665. in 4.

23. *Arithmologia*, ſive de occultis Numerorum myſteriis, qua origo, antiquitas, & fabrica Numerorum exponitur, eorumque abditæ proprietates demonſtrantur, & fontes ſuperſtitionum hoc tempore currentium aperiuntur, & acriter confutantur. Romæ 1665. in 4.

24. *China* monumentis qua ſacris, qua profanis, in qua de admirandis Artis & Naturæ in triplici ejus Regno ſpectaculis, aliarumque rerum memorabilium, tum de China, tum de Tartaria, vicinaque India enarrationibus fuſè agitur. Opus ob incognitarum hucuſque rerum novitatem, rarum & curioſum. Amſtelodami 1666. in folio, lingua Latina, Gallica & Belgica editum.

25. *Obeliſci Ægyptiaci* præterito anno intra rudera Templi Minervæ effoſſi Interpretatio Hieroglyphica, nova methodo tradita. Romæ 1666. in folio, & Obeliſcus Alexandrinus dicitur.

26. *Magneticum Naturæ regnum*, ſive de triplici Magnete. Romæ 1666. recuſum Amſtelod. in 12.

27. *Ars*

27. *Ars Combinatoria*, ſive *Ars magna ſciendi*, qua Ars Lulliana reſtituitur, & ad omnes Artes, & Scientias facili methodo addiſcendas, nec non de quocumque argumento propoſito, diſcurrendi porta aperitur. Amſtelodami 1671. II Tom. in folio.

28. *Latium Priſcum*, quo ejus origo, ſitus, natura, urbes, montes, lacus, monumenta veterum æquo cum præcedenti paſſu curioſe deſcribuntur. Amſtelodami 1671. in folio.

29. *Archetypon Politicum* ex numiſmate extractum, & dicitur, Splendor domus Joanniæ, quæ eſt una ex perilluſtribus, & antiquiſſimis Hiſpaniæ familiis, 1672. in 4.

30. *Arca Noë*, qua architectura, & fabrica Arcæ exponitur in 3. libros diſtincta, & res ante Diluvium, in Diluvio, & poſt Diluvium peractas curioſis quæſtionibus exponit. Amſtelodami 1675. in fol.

31. *Tomus I. Turris Babel*, opus in quatuor libros digeſtum, quo ſtructura Turris, nec non aliæ prodigioſarum fabricarum monumenta exponuntur. Amſtelod. 1675. in folio. ſub prælo.

32. *Phonurgia Nova*, qua per prodigioſos ſonorum effectus, & proprietates, nec non per machinas ſono animatas, reciproco correſponſu, de quacunque re occulta, manifeſta, tum inter domeſticos parietes, tum foris in diſſitis regionum locis, ſermocinatio inſtitui poteſt. Campidonæ 1673. in folio.

33. *Phyſiologia Kircheriana* multiplici innumerabilium experimentorum varietate comprobata, quam ex vaſtis Ath. Kircheri operibus ſumma fide, & ſtudio collectam in unum Tomum contraxit Joannes Stephanus Keſtlerus Alſata, 1674.

34. *Organum Mathematicum* ad diſciplinas mathematicas facili methodo addiſcendas, in uſum Principum primò adinventum, & deinde à P. Gaſpare Scotto integro Tomo eruditè deſcriptum, & demonſtratum. Norimbergæ apud Enteros, 1670.

35. *Pantometrum Kircherianum* ad uſum Principum primò ab Authore inventum, & à P. Gaſpare Scotto, integro Tomo explicatum & demonſtratum.

36. *Sphynx Myſtagoga*, ſive *Diatribe de Mumia hieroglyphicata*, ex Ægypto in Galliam non ita pridem tranſlata, & Hieroglyphicorum, quibus inſcribitur, ſymbolorum interpretationem continet. Amſtelodami apud Janſonium 1675.

Opera, jam prælo parata ſequuntur.

37. *Turris Babel Tomus II & III. Atlas polyglottus intitulatus*, ſive Confuſio linguarum, in ordinem redacta, quo omnium linguarum atque idiomatum totius Orbis Terrarum diſparatiſſima genera, & ſpecies ad 72 linguas novo auſu atque methodo, multorum annorum ſtudio & labore collecta, orbi literario exponuntur.

38. *Muſei Collegii Romani*, à P. Ath. Kirchero inſtituti, deſcriptio exactiſſima per Georgium de Sepibus Valeſium Mathematicum, & Authoris in machinis conficiendis, executorem peracta, 1675.

39. *Ars Analogica*, quæ de quovis propoſito themate, per rerum naturalium analogiſmos, ſive ſymbolicos conceptus, tum expeditè ſcribendi, tum amplè dicendi materia ſubminiſtratur. Amſtelod. in fol.

40. *Iter Hetruſcum*, quo Hetruriæ tum priſcæ, tum tempore Reip. Rom. tum poſteræ, origo, ſitus, natura, politica, cataſtrophæ, monumenta ſacra, profana, nec non naturæ admiranda, triplici ratiocinio, politico-phyſico-geographico deſcribuntur, & explanantur. Amſtelod. in folio,

41. *Geometria practica-combinata*, in uſum Principum elaborata.

42. *Ars Veterum Ægyptiorum Hieroglyphica*, qua Sacerdotum priſcorum in Obeliſcorum, ſtatuarum, aliorumque monumentorum hieroglyphicis ſymbolis diſponendis, ordinandis, & ſingula cum ſingulis combinandis, ratio, modus, & methodus. à nemine, quod ſciam, hucuſque tentato artificio verè, & genuinè exponitur, & Hieroglyphica ſapientia tandem reſtituta jure dici poteſt.

43. *Abhenaali*, ſive *Avicennæ Tomus* II. qui & *Canon dicitur*, de medicamentis ſimplicium mineralium, plantarum, fructuum, gummium, animaliumque, *&c.* ex Hebr. Arabic. ling. tranſlatus.

Nota ad Lectorem.

Quicunque hæc Opera hactenus impreſſa deſideraverit, is ea à Dom. *Joanne Janſſonio à Waesberge*, Bibliopolæ Amſtelædamenſi & Impreſſori *Kircherianorum Operum* obtinere poterit.

FINIS.

BIBLIOTEKA UNIWERSYTECKA K.U.L.